Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM, ANNO MDCCXLIV publicata.

*Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.*

*LIPSIÆ,*

Prostant apud JO. FRID. GLEDITSCHIUM, & B. LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Parisiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amstelodami in WAESBERGIORUM & WETSTENII officinis.

LITERIS LANGENHEMIANIS,

MDCCXLIV.



# *Lectori Salutem!*

*Non eſt, quod multis tibi aut hæc* Acta *noſtra, aut in his ſcribendis ſtudium induſtriamque noſtram, commendemus. Ea rerum noſtrarum ratio eſt, ut ſatis tibi poſt longam tot annorum militiam videri commendati poſſimus, aut, ſi nihil prorſus emerita hæc ſtipendia valeant, omni etiam pondere noſtrum de nobis ipſis teſtimonium careat. Relictum igitur hoc nobis unum eſt, ut tuæ, Lector, æquitati confidamus, &, utcunque ad hunc diem nos geſſerimus, nec ingratam tibi fuiſſe inde a tot annis noſtram operam putemus, nec futuram deinde ſperemus. Per ſe inviſum multis Cenſoris literati nomen eſt, &, qui talem ſuſtinet perſonam, ſi ejus non ſit ſtomachi, ut devorare odia, invidiam, obtrectationes, poſſit, næ bene is prudenterque fecerit, ſi adminiſtrandum hoc munus aliis permiſerit, fortiori ad expugnanda illa monſtra pectore armatis. Præterea magnum hoc, quod ſuſtinemus, onus eſt, cui ferendo, nihil mirum, ſi non ita ſemper, ut vellemus, hi ſeniles humeri ſufficiant. Multiplici hic non induſtria tantum opus eſt, ſed doctrina etiam; &, omnis generis libros legere primum, deinde in compendium mittere, denique, cujus ſint pretii, dicere, ſi quis rem levem, & artis, aut ſcientiæ, nullius, putet, huic, ne deinde ſic putet, ipſe laboris hujus faciat periculum, ſuademus. Eorum ſane, qui, de rebus noſtris judicandi, ſibi olim ſumſerant*

*licentiam, bene multos, conversos aliquando ad hæc studia, non ita hic sibi, ut speraverant ante, amicum habuisse Apollinem, & id ipsum nobis libere confessos, meminimus. Hoc minus igitur dissimulamus lapsus nostros, quo, labi in hoc curriculo, facilius est, non nobis tantum, a quibus longissime abest artis & doctrinæ ostentatio, sed iis etiam ipsis, quibus, magna omnia perficere, in exiguo labore ponitur. Habemus tamen, cur inimicam nobis in eo sortem doleamus, quod leviora peccata nostra rigidissimos judices inveniant, de his, quæ bona & utilia scribimus, vix legendis quisquam, nedum laudandis, cogitet. Qualem si pro labore satis duro, & suavitatis parum habente, solvere mercedem, justum sit; in ergastulo hospitari verius, quam in amœno Musarum viridario, dicemur. Nos, in condendis literarum annalibus occupatos, nulla unquam gloriæ cupido tenuit, nec in posterum tenebit. Ad tuam, Lector, utilitatem, & florem studiorum, si non augendum, at conservandum saltem, curæ nostræ omnes & cogitationes spectant. Atque hoc ipsum pro virili nostra parte agentes, aliorum de nostris studiis judicia, non dicam nihili ducimus, (est enim, probari viris bonis, omni tempore jucundum,) sed ob id ipsum tamen, quod, in quamcunque cadant partem, nostram corrumpere quodammodo virtutem possint, prorsus nobis cupimus incognita manere. Nam, si bona & secunda sint, hoc timendum est, ne tali nos quadam fiducia nostri impleant, quæ ipsis deinde literis sit detrimento; sin malevola & inimica sint, exstinguent fortasse in animo nostro veterem bona & utilia conandi alacritatem, quæ aut dulci illa laudis spe, aut ipso ejus fructu, sustinetur. Itaque de nobis in futurum tempus hoc spondemus, tantum nos præstituros, quantum est in nostris facultatibus præstare; quod ipsum ne leve ita & exiguum, ut est, appareat, studebimus honesta hac, quam dudum nobis imperavimus, industria efficere.*

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Januarii Anno* MDCCXLIV.

---

*GEORGII EVERHARDI RUMPHII, Med. Doct. Hanavensis, Mercatoris senioris, & in Amboina Consulis, nomine Plinii Indici celebris, & Membri illustris Societatis Acad. Nat. Cur. Germaniæ, Herbarium Amboinense, plurimas complectens arbores, frutices, herbas, plantas terrestres & aquaticas, quæ in Amboina & adjacentibus reperiuntur Insulis, accuratissime descriptas juxta earum formas, cum diversis denominationibus, cultura, usu, & virtutibus. Quod & insuper exhibet varia insectorum animaliumque genera, plurima cum naturalibus eorum figuris depicta. Omnia magno labore & studio multos per annos collecta, & duodecim conscripta Libris. Nunc primum in lucem edita, & in Latinum sermonem versa, cura & studio JOANNIS BURMANNI, Med. Doct. & in Horto medico Amstelædamensi Prof. Bot. Acad. Cæs. Nat. Cur. Socii, qui varia adjecit synonyma, suasque observationes.*

*Partes IV.*

Amstelædami, apud Franciscum Changuion, Joannem Catuffe, Hermannum Uytwerf, Hagæ Comitum, apud Petrum Gosse, Joannem Neaulme, Adrianum Moetjens, Antonium van Dole, Ultrajecti, apud Stephanum Neaulme, 1741 & 1743, fol. maj.

P. I Alph. 2 plag. 4, Tab. æn. 82, P. II Alph. 2 plag. 17, Tab. æn. 87, P. III Alph. 2 plag. 7, Tab. æn. 141, P. IV Alph. 1 plag. 17, Tab. æn. 82.

Egregia celebrium virorum ſcripta, in incrementum ſcientiarum elaborata, ex tenebris eruere, lucique publicæ exponere, inſtitutum eſt laude digniſſimum. Hiſtoriæ naturalis cultores, qui induſtriam Cel. *Rumphii* in declaranda Hiſtoria naturali Indiæ ex aliis ſcriptis jam cognoverant, Herbarium quoque Amboinenſe exſpectabant. Horum deſiderio Cel. *Burmannus* nunc ſatisfecit, & Opus hoc, quod *Rumphius* Societatis Indicæ orientalis, in Belgio conſtitutæ, moderatoribus dedicaverat, quodque diu latuit, publici tandem juris fecit. Antequam vero concinnum hujus Operis conſpectum exhibeamus, pauca, quæ ad hiſtoriam ejus pertinent, præmittere, a re alienum non erit. Cel. Autor inter alias curas, quas commercia Societatis Indicæ orientalis exigebant, animum quoque ad diſquiſitionem corporum naturalium applicavit, & inter alia plantas collegit, iconibusque exaratis omnes, quas de illis congerere poterat, obſervationes adſcripſit. Non tantum vero, commercii cauſa, plantas domeſticas, & in hortis cultas, veſtigavit, ſed, herbarum amore incitatus, omnes, quas in deſertis quoque locis invenire poterat, plantas, ſtudioſe collegit, & herbario ſuo inſeruit. Dolendum omnino eſt, Virum Cel. nec methodi botanicæ, nec partium plantæ, nec vegetationis, ſufficientem cognitionem habuiſſe; quodſi enim his fundamentis cognitionis hiſtorico-phyſicæ vegetabilium inſtructus fuiſſet, opus, tanta induſtria ſuſceptum, uberiori cum fructu elaborare potuiſſet. Ne vero in Cel. Autorem injurii videamur, ipſa ejus verba ex Præfatione adducamus: *Lectores monitos volo, hunc librum non eſſe productum a docto quodam Medico, Phyſico, vel ſimili hujus artis Profeſſore, ſed ab amatore tantum ſcientiæ naturalis, qui modicam ſibi adſcribit Botanices notitiam, quique inter militaria aliaque publica officia & munia ſubceſivas huic operi impendit horas.* Sed forſitan & ipſe Autor in ordinando hoc libro majorem operam collocaſſet, niſi, infeliciſſimo

cissimo fato, post tot exantlatos labores, suffusione inducta, lumina oculorum amisisset, ut ad hoc Opus ex collectis chartis in ordinem redigendum non propria, sed amanuensium, opera uti potuerit. Quilibet igitur perspicit, nec Autorem ubique id, quod perfectio studii botanici eo, quo nunc vivimus, tempore exigit, præstare, nec Editorem, qui proprium *Rumphii* laborem exhibere voluit, ordinem perfectiorem, & characteres generum & specierum certos, ubique eruere potuisse. Haud pauca tamen sunt, quæ librum hunc naturæ indagatoribus commendabilem reddunt; quapropter nunc ordinem, descriptiones, & icones, paulo attentius consideraturi, & quædam specimina addituri sumus. Herbarium Amboinense dicitur, non quod plantas tantum, in hac Insula inventas, continet, sed quoniam Cel. Autor easdem, ex omni India collectas, Amboinæ quasi in unum corpus coegit. Præter Amboinenses igitur plantas, alias quoque, in adjacentibus, Moluccis, Banda, aliisque insulis, usque ad ipsam Javam, inventas, continet. Plantas has in *duodecim Libros* digessit, quorum *quinque* priores de variis arboribus, tam edulibus & frugiferis, quam aromaticis & silvestribus, agunt; *sextus* omnes frutices erectos; *septimus* vero illos, qui longis flagellis & surculis prorepentes procumbunt, vel aliis sese implicant arboribus, complectitur. *Quatuor* subsequentes *Libri* non nisi varias exponunt herbas, quarum hortenses *octavo*, convolvulaceæ *nono*, & silvestres *decimo* & *undecimo*, describuntur. *Duodecimus* vero peculiare detegit Lithophytorum marinorum genus, quod non in terra, sed in mari, progerminat, mixtamque ex lignea & lapidea massa gerit naturam. Hunc ordinem Cel. Editor quidem non mutavit, sed tantum opus ita digessit, ut *tres Libri* Autoris in *duabus* semper *Partibus*, atque ita *sex* priores *Libri* Autoris in *quatuor Partibus*, a nobis indicatis, contineantur. *Liber primus* complectitur arbores, quæ fructus esculentos ferunt, ac culturam humanam requirunt. In hoc inprimis Palmæ recensentur, quæ in tres classes dividuntur: in *nuciferas*, quæ etiam cocciferæ dicuntur, & quarum fructus æstimatur; *viniferas*, quarum succus ex racemis florum præcisis exstillans colligitur & bibitur;

*fariniferas*, quarum medulla farinam exhibet pinſendo aptam. Palma vero dactylifera, quæ in Africæ oris deprehenditur, in India orientali exotica eſt planta. *Liber ſecundus* arbores aromaticas continet, quæ aut fructum, aut corticem aromaticum, aut odoratum aliquod præbent lignum. *Liber tertius* arbores recenſet, quæ reſinam, ſpecioſosque dant flores, aut noxium aliquod lac fundunt. *Liber quartus* arbores ſilveſtres, quarum pars aliqua fabrilis eſt, continet; *quintus* vero de arboribus ſilveſtribus promiſcue agit. *Liber ſextus* tandem frutices, tum ſilveſtres, tum domeſticos, deſcribit. Patet itaque ex dictis, omnes ferme librorum titulos ab accidentalibus maxime deſumtos eſſe characteribus, & ideo hoc Opus nulli methodo aptum reddi potuiſſe, ſed ſingulos tantum *Libros* in *Capita* dividendos fuiſſe. *Caput* ſingulum unam utplurimum plantam deſcribit, interdum tamen ad unam plantam declarandam duo vel tria *Capita* deſtinata ſunt, ſi nimirum vel uſus, vel cultura, longiorem tractationem exigunt. Genera & ſpecies non accurate ſatis, nec ſemper, diſtinguuntur; ob neglectum enim characterum examen, ea tantum, quæ ob habitum externum ab incolis Indiæ diſtinguuntur, propoſuit. Nomina igitur vel Amboinenſia, vel alia barbara, *Capiti* præfiguntur, Latina vero, quæ in ſynonymis *Rumphii* inveniuntur, verſioni Latinæ in fronte *Capitis* præfiguntur. Hæc vel a Botanicis jam recepta ſunt, ut Caryophyllum, Tamarindus, &c. vel ex barbaris utplurimum vocabulis, nonnihil mutatis, formantur, e. g. Mangoſtana, Jamboſa, &c. vel verſione Latina vocabuli barbari exprimuntur, e. g. Folium acidum majus & minus; lignum leve, equinum; arbor noctis, nuda. Quo vero barbara hæc nomina ad genera vera reducantur, Cel. Editor deſcriptiones *Rumphii* cum ſcriptis Botanicorum contulit, & in obſervationibus paſſim vera nomina, methodo apta, adjunxit, &, ut ſperamus, finito Opere, Floram Amboinenſem methodice conſcriptam exhibebit. Deſcriptiones plantarum maxima cum cura exaratæ ſunt. Sollicite enim truncum, radicem, folia, & partes reliquas, deſcripſit, licet, ut ſupra monuimus, floris, & interdum etiam fructus, accuratiorem deſcriptionem omiſerit. Paſſim etiam

dicta

dicta sua cum aliis Historiæ naturalis scriptoribus contulit, & alia emendavit, alia vero dilucidavit. In quibusdam *Capitibus* Editor egregias floris & fructus descriptiones, a Cel. *Garsino*, Med. Doctore, secum communicatas, & multo studio elaboratas, addidit, in aliis vero synonyma Autorum citata lucem affundunt, & plantas, sæpius obscure descriptas, illustrant. Declarata igitur cujuslibet plantæ structura, variisque mutationibus, *quas in diversis Indiæ orientalis* insulis subire solent, species, *si* quæ sunt, & varietates recenset, hasque sæpius accurate satis a speciebus distinguit; synonyma varia subjungit, & locum natalem, non tantum quoad insulas, sed speciatim quoque quoad natale solum, vel pingue, vel arenosum, vel paludosum, vel siccum, & sic porro, describit. His culturæ modum subnectit, in quo declarando inprimis sollicite versatur, si inde, vel in arboribus ipsis, vel in earum foliis, & fructibus, aliqua mutatio locum invenit. Enchireses circa transplantationem, modum collectionis fructuum, & alia varia, quæ *non tantum commercium* juvant, sed etiam Materiæ medicæ usum præstant, distincte docet. Tandem ad usum plantæ, ejusque partium, accedit. Multa quidem hic occurrunt, quæ, ex instituto Autoris, *Belgas* in Indiis degentes instruunt, & in Europa parum vel nihil commodi promittunt; non desunt tamen alia, quæ ad historiam plantarum, quarum partes per commercia ad nos transferuntur, spectant, & quæ ideo Materiæ medicæ studium juvant. Multæ enim sunt plantæ, quæ in calidioribus regionibus crescunt, & efficaciore solis actione perficiuntur, quo incolis frigidiorum regionum medicamenta præbeant. Notandum quoque est, Autorem non tantum partes plantarum *ipsas, sed varia ex iis* præparata, describere, & characteres exhibere, quibus bonitas medicamentorum simplicium & præparatorum, ex India allatorum, cognoscitur. Ex hoc igitur Opere plurima, quæ in horto Malabarico brevius describuntur, suppleri possunt. Sed in iconibus, nitide satis exsculptis, non ea observatur elegantia atque perfectio, quam hortus Malabaricus exhibuit, &, si Autor noster hujus horti, cujus tantum prima Volumina vidit, icones cum suis conferre

potuiſſet, multas forte commentario egregio illuſtraſſet. Sed audiamus ipſum Autoris de iconibus judicium. *Icones*, inquit, *a variis delineatæ ſunt artificibus, quarum quædam majores, aliæ minores, ſunt, ſingulæ vero ſuo notatæ nomine, quas ipſe nunquam vidi, ſed a peritis cognovi, certiorque factus ſum, ſatis cum ipſis convenire plantis, quid vero mutandum aliquando ſit, ad ipſas notavi figuras, vel in textu. Has autem lector ſuſcipiat tanquam ſatis fideles & jucundas, donec forte ab aliis corrigantur, vel meliores producantur*, &c. Ex delineatione quarundam plantarum, in aliis ſcriptis botanicis jam delineatarum, e. g. Caſſiæ fiſtulæ, Tamarindi, Aurantiorum, &c. ſatis patet, florum inprimis figuris in plantis minus cognitis vix fidendum eſſe. Aniſi Moluccani icon *Part. II Tab. 42* umbellam, ipſo Autore teſte, ſiſtit, ſed, imperfectam eſſe delineationem, quilibet primo intuitu perſpiciet. Ex iis, quæ hactenus de ordine, deſcriptionibus, & iconibus, hujus Operis in medium produximus, ſatis apparet, Herbarium hoc votis Botanicorum non omni ex parte reſpondere, Materiæ medicæ tamen cultoribus varias, minime contemnendas, obſervationes exhibere. Quod ut eo melius intelligatur, pauca adhuc de Caryophyllis & Nuce myriſtica in medium proferamus. Caryophyllum, ſive arbor, Caryophyllos gerens, Lauro quodammodo ſimilis arbor eſt, trunco ſimplici anguloſo, verſus inferiora utplurimum diviſo, gaudet, cortex eſt glaber, tenuis, lignoque firmiter jungitur, lignum vero durum, grave, cinereum, nonnihil luteolum. Folia laurinis longiora & anguſtiora, bina ſemper oppoſito ſitu conſpicua, ita ut cum ſubſequenti pare cruciatim ponantur, in ambitu integerrima, ſuperius obſcure viridia, ſplendentia, inferius flava. Menſe Majo tenera folia propullulant, & ſimul floris & fructus rudimenta evolvuntur, quarto deinde ſubſequente menſe completam caryophyllorum dant ſpeciem. Fructus rudimentum ſenſim læte viridem amittit colorem, pallide flavum induit, qui demum in ſanguineum tranſit. Flore evoluto, fructus nondum maturi aromaticam vim, quam exoptamus, habent, nondum vero ad propagationem apti ſunt. Fructus ad maturitatem accedentes amplum acquirunt ventrem,

quatuor

quatuor anguli, in capitulo immaturo conſpicui, ſeſe contrahunt, & color iterum in viridem mutatur, tum demum nucleum durum continent, & caryophylli matres, ſive Anthophylli, dicuntur. Caryophylli vero fructus tres dantur ſpecies. Prima parum ruber, altera, minor præcedente, ſanguinei magis coloris eſt, tertia, quæ fœmina dicitur, alba eſt, parum rubens, omnes vero aromaticæ indolis. Caryophylli olim in Moluccis inſulis tantum inveniebantur, nunc vero in Amboina majori cura, quam in naturali ipſorum patria, coluntur. Arbuſculæ juniores umbra arborum ſilveſtrium obteguntur, adultiores vero factæ requirunt, ut arbores aſſitæ exſtirpentur, minime vero credendum eſt, ac ſi arbores propinquæ calida caryophyllorum natura deſtruerentur. Si caryophylli florere, vel rubere, incipiunt, ob cephalalgias inſalubre habetur, in his ambulare ſilvis. Quæ de cultura arborum, collectione, præparatione, & uſu, fructus exponuntur, longius non recenſebimus, ſed tantum monemus, Autorem quoque Caryophyllum ſilveſtrem in eſſentialibus a præcedente vix diverſum exhibere, cujus tamen fructus & parcior, & aromatica vi deſtitutus, obſervatur. Nucis Myriſticæ arbor pyro ſimilis eſt, ſimiliaque folia gerit, rami magis ad latera extenduntur, nec ita eriguntur, ut caryophylli. Arboris cortex eſt glaber, obſcure cinereus, nonnihil virideſcens, interne rubens, & ſuccoſus, rami longius & tenuius extenſi, fructus gravitate ſæpius deorſum ducuntur. Arbor inciſa ſuccum præbet rubentem, glutinoſum mox concreſcentem & exſiccatum, ſed arbor hoc ipſo emaciatur. Floſculus albus, Lilii convallii flori ſimilis, ſed inodorus, eſt, piſtillum in fructum excreſcit, qui nono poſt florem menſe tandem ad maturitatem accedit, nihilo minus tamen ter in anno decerpitur, quoniam ſimul cum flore alii fructus perficiuntur. Fructus malo Perſico ſimiles, ad pedunculum acuminati, cuticula primum læte virente, glabra, & in maturitate gilva facta, obducuntur, hac fiſſa nucleus eleganti colore kermeſino exterius præditus apparet. Putamen, nucem cingens, durioris eſt ſubſtantiæ, ſaporis auſteri adſtringentis. In hoc putamine nucleus ſeu vera continetur nux, in qua kermeſina macis primum

mum apparet, retiformiter nigrum ambiens nucis corticem. Cortex hic niger æque crassus est, ac nucum avellanarum, minime vero durus, sed friabilis; in hoc tandem verus continetur nucleus, nux myristica dictus. Autor quinque varietates tum quoad arborem, tum potissimum quoad fructus, recenset. Arbor hæc in toto fere Moluccæ imperio occurrit, locus tamen ejus naturalis est Banda. Animalium, quæ in titulo promittuntur, in Præfatione Autoris nulla injicitur mentio, & nos, præter nonnulla insecta, passim adpicta, in his *quatuor Partibus* illorum animalium nihil invenimus.

ESSAI D'UN SISTEME NOUVEAU, CONCERNANT la nature des Etres spirituels, &c.

id est,

*SPECIMEN SYSTEMATIS NOVI, QUANTUM ad naturam spiritualium entium attinet, ex parte dogmatibus Celeb. LOCKII, Philosophi Angli, cujus apologiam Autor exhibet, superstructi.*

*Tomus I & II.*

Neo-Comi juxta Helvetios, ex typographeo Editorum Ephemeridis literariæ Helveticæ, 1742, 8.

Alph. 3 plag. 1.

Qui quæstionem de commercio, seu unione, mentis humanæ cum corpore solent tractare, trifariam differunt. Aut enim ipsi sunt Idealistæ, aut sunt Materialistæ, aut, mentem & corpus existere simul, largiuntur. Priores sunt Monistæ; posteriores Dyistæ. Hi rursus amplectuntur vel systema unionis physicæ, vel systema causarum occasionalium, vel systema harmoniæ præstabilitæ. Dyistis id est pro certo, mentem humanam ab omni materia esse immunem, nec per sese esse corpoream, licet nonnulli eorum, animam corpusculo involutam esse perpetuo, addant. Persuaserat sibi *Joannes Lockius*, corpus viribus cogitandi posse divinitus instrui ac referciri. Hoc Autor suffragio suo præmuniendum, latiusque exponendum, duxit

duxit dogma, ratus, animam humanam esse e materia subtili contextam & compaginatam; Deum ipsum esse sensu quodam animam mundi; Deum ipsum esse corporeum; vires substantiis creatis, id est, corporibus, esse nullas; corpora non agere quidquam, sed perpeti, allidi, trudi, moveri; Deum corpora movere perpetuo; substantiam haud dari extensam; substantiam simplicem esse punctum mathematicum, contradictione laborans; conservationem rerum esse continuatam creationem; mundum Deo exstitisse coæternum; animam humanam esse, quia Deo sic visum fuerit, immortalem. Potissimam rationem, cur animam existimet materialem, desumsit ex *Gen. II*, 7, ubi *Deus* putatur vulgo dici *sufflasse*, *seu inspirasse*, *in faciem Adami spiraculum vitæ*. *Tomus primus duas* complectitur *Partes*. *Prior* exhibet Dissertationem isagogicam, satis longam, Epistolam, ad Equitem *Sloane*, Regiæ Societatis Londinensis Præsidem, missam, conspectum novi systematis metaphysici compendiosum, annotationes, ei adjectas illustrationis gratia, aliam annotationum mantissam, declarationes novas, quibus nonnullæ aliæ objectiones ansam suppeditarunt, nec non Anonymi Epistolam de *Lockio*, & cogitata in Epistolam eandem. Continet *Pars prior* præterea epitomen ratiocinationum Anonymi Deistæ, ni athei, qui commune dogma, quo animæ immaterialitas propugnatur, refellere aggreditur; annotationes, in hanc epitomen conjectas; Epistolam ad Dominum *Meuron*, Consiliarium status Prussici Regis, de motu; nec non literas, ad Theologum Neocomensem datas, de systemate novo, atque objectionibus, illi oppositis. Hæc est summa *Partis prioris*. *Parte posteriori* exhibentur tria scripta. Scenam aperit Examen in systema hoc novum, jussu Societatis Regiæ Londinensis institutum. Excipiunt illud observationes Autoris in illud examen. Agmen claudit consuetudo & commercium Autoris cum amico quodam docto, ubi novæ, muniendo systemati novo idoneæ, rationes dicuntur allatæ. Tantum *Tomus* complectitur *primus*. Invitamento fuit Autori, ut tantæ molis opus exstrueret, scriptor ephemeridologus, qui in scripto, *Le Pour & Contre*, *Joannem Lockium* erroris ac irreligiosæ indolis coarguit,

B causatus,

causatus, corpori illum vim cogitandi haud denegasse. Fuit
itaque Autor in eo, ut *Lockio* vindicias pararet. Ex hisce conatis
ac meditationibus novum opus, quod nuntiamus, excrevit,
quo Pyrrhonios ac Deistas expugnatum iri, sperat Autor. Ex-
posuit id ipsum in prooemio, & systemata tria, de commercio
P. I. animæ corporisque circumferri solita, judicio suo subjecit.
Pag. 13. Tribuit *Cartesio* ipsi systema causarum occasionalium, quod a
*Cartesianis* aliquot excogitatum fuisse, non ab ipso *Cartesio*,
nemo fere dubitat. *Cartesii* ac *Leibnitii* philosophemata uti-
litatibus carere ipsi videntur. Celebrat D. *Guisii* operam, in
15. systemate influxus physici consumtam; addit tamen illud *Vir-
gilii*: *Si Pergama dextra defendi possent, etiam hac defensa
fuissent*. De vi opinionum præjudicatarum differit, multis-
que usus anfractibus, vix clare, quid ipse sentiat, ape-
rit. Significat artus & partes systematis sui præcipuas, osten-
dens, de libertate hominis sese copiose expositurum, ac de ea
jam literas duas scripsisse, insertas *Diario Helvetico A. 1740 Mens.
31. Oct. & Nov.* Fatetur ingenue, sese intra ætatis virilis annos li-
teris scientiisque tempus nullum consecrasse, aliis quippe oc-
46. cupationibus districtum, tandem vero vergente ætate in secessu
philosophico meditationibus hisce animum appulisse, a subsi-
49. diis fere singulis minus instructum. Prædicat consensum Phi-
losophorum vetustissimorum, quippe qui, essentiam animæ si-
tam esse, existimaverint, in motu æque ac in cognitione, ani-
masque citra interventum a Deo emanasse, Deumque eo sensu
esse animam mundi. Veteres Deo extensionem immensam at-
tribuisse, adjungit & prædicat. Objectiones si quis sit obmoli-
turus ipsi, illi has dicit leges: priorem, ut Gallice scribat; po-
62. steriorem, ut causam rei ipsius invadat. Materialistam se esse,
negat, arbitratus, Materialistas habere materiam pro omnium
rerum principio, ac Deum ipsum causasque finales tollere, Co-
dicemque sacrum & vitam futuram assensu suo haud dignari.
65. Contendit, hypothesin extensionis animarum haud repugnare
animarum immortalitati, siquidem hæc haud sit superstruenda
immaterialitati. An non materialitas & extensio, quam Autor
tribuit spiritibus, perimat eorum ἀφθαρσίαν, seu incorrupti-
bilitatem

bilitatem internam, ipsi relinquimus dijudicandum. Methodum sequitur satis prolixam, & sermocinationum æmulam. Veritates metaphysicas disconvenire methodo, a Geometris adhibitæ, censet, quasi methodus synthetica ab hac vel illa scientia sit prorsus suspensa, nec demonstrationi cuicunque communis. Ingenium geometricum a methodo Geometrarum solicite distinguit. Monet, Mathematicos *quanta* contemplari, Philosophos *qualitatem curæ habere*. At dantur omnino in qualitatibus ipsis quantitates. *Wolfium* æque aberrasse a veritate in metaphysicis atque *Spinozam*, audacter pronuntiat. Materiem infinite esse dividuam, negat. Objicit systematibus scientiarum assensionem cœcam. Quid igitur de novo systemate suo sibi promittat, ipse noverit omnium optime. Quid hoc sit rei, corporum negare divisionem, seu potius divisibilitatem, in infinitum, & tamen nulla *entia individua*, non extensa, largiri, nobis comprehensu videtur difficile, ne quid de contradictione, quæ inde emanat, moneamus. Transscendunt hæc quidem *imaginationem* & sensionem externam. At quis, imaginationem, dixerit, esse rationis normam? *Lockius* existimavit, cognitionem apodicticam ad quantitatem solam pertinere. Autori autem videtur is de methodo geometrica hæc non accepisse. Ideas innatas dari, negat, largitus, existere in mentibus humanis capacitatem sentiendi & admittendi verum, qua verum, bonumque, qua bonum, simul ac ideæ claræ & distinctæ simplicesque de vero & bono nobis fuerint obversatæ. Linguæ Italicæ fuit innutritus. Ideo fatetur, sese linguæ Gallicæ haud esse ad amussim peritum. Sibi persuadet, systema *Malebranchianorum* & *Leibnitii* spectare ad Fatalismum quendam stabiliendum, ac libertati humanæ minus favere. In literis ad Equitem *Sloane* ita judicat. Spiritualitatem animæ humanæ meram haud dignatur assensu suo, ratus, animam esse quidem minus adspectabilem, extensam tamen, & materiei compagem subtilem. Addit, se esse avtodidactum, literas nunquam professum, juventutem & virilem ætatem se aliis occupationibus impendisse, quibus cum Metaphysica nihil fuerit negotii. Alibi credit, eam ob causam sese opinionibus præjudicatis minus

Pag. 71. 76. 84. 85. 95. 98. 4. 6.

 esse

Pag. 10. eſſe obnoxium. Contendit, ſyſtema ſuum examini veritatis &
religionis augmento inſervire, idque a Gallis duobus doctiſſi-
mis fuiſſe approbatum, ſperans, id a Societate Londinenſi æque
14. approbatum iri. Epitomæ ſyſtematis ſui illud *Ciceronis* præ-
miſit: *Utinam tam facile vera invenire poſſem, quam falſa con-
vincere!* Superſtruit hoc illis verbis *Moſaicis: Deus inflavit
naribus Adami reſpirationem vitæ.* Inde colligit, animam hu-
manam, ob hanc inflationem Dei, cogitandi eſſe capacem ac
ſentiendi. In Ebraico fonte nil legitur de Deo inflante, nil de
naribus legitur, nil de reſpiratione, ad animam ſpectante. *Deus
juſſit ſpirare in facie hominis primi halitum vitalem.* Nihil
præterea habetur in fonte Ebraico. Origo vitæ, cujus indi-
cium eſt reſpiratio, indicatur. An inde effici poſſit, animam
hominis rationalem eſſe ſubtilem materiam & corpus extenſum,
16. arbitrentur alii. Nobis ea argumentatio videtur nulla. Uni-
verſos Philoſophos & Theologos, Autor tradit, conſervatio-
nem mundi divinam ponere in perpetua & continuata crea-
tione. Liceat monere, dari complures, qui ſecus ſentiant.
Celebrat ipſe illa *Newtoni: In Deo continentur & moventur
omnia.* Ipſe ſyſtema ſuum haud venditat pro demonſtrata ve-
19. ritate, ſed pro hypotheſi, ratus, hominem conſtare ex parti-
bus externis & internis, & has conſtituere corpus organicum
ſpirituale, cui Deus perpetuo adjungat vitam, facultatem co-
gitandi & agendi, quæ ad poſteritatem propagetur per com-
municationem, quali cereus a cereo recipit flammam; corpus
externum eſſe inſtrumentum & perceptionum ſeu modificatio-
num entis ſpiritualis conditionem ſine qua non, obtinere a ſo-
le & aere motum particularem, &c. partem internam immedia-
te ab inſpiratione Dei animari, ac, ſeparato corpore externo,
perdurare ob Dei continuatam inſpirationem. An vero vis co-
gitandi perdurat, disjuncta illa conditione ſenſionum ſine qua
22. non? Nihil de ea re Autor, dictitans potius, ſpiraculum vitæ,
corpore moriente externo, redire ad principium ſuum. Sy-
ſtemati ſuo inſerit vacuum, corpuſcula vacuo innatantia, &
*Newtoni* ſyſtema cœleſte. Attractionem *Newtonianam* expo-
nit per inſpirationem divinam, quæ partibus univerſi omnibus
vitam

vitam & motum impertiat. Decernit, ens non extensum & Pag. 25.
mere spirituale esse functionum personalitatis minus capax, materiamque & machinam hominis esse cogitandi & sentiendi causam instrumentalem, nec tamen animam cogitare qua materiam, sed qua ens præditum extensione & vi cogitante. Addit, Deum ipsum esse ens extensum, nec subsistere posse attributa naturæ divinæ realia, nisi ipsis sit subjectum inhæsionis, id est, ens re vera extensum, licet natura hujus entis, re ipsa existentis, nobis sit penitus incognita. Adjicit illa *Newtoni: Omnipræsens est Deus, non per virtutem solam, sed etiam per substantiam; nam virtus sine substantia subsistere non potest.*
Differentiam, quæ homines bestiasque intercedit, collocat in 28.
diversa partium organisatione ac diversitate finium, quos respiciunt & contingunt. *Lockius de Intellectu humano Lib. I Cap. 3 §. 6* suspicatus fuit, materiæ fortassis facultatem cogitandi divinitus
inseri potuisse. *Stillingfleetus & Dittonus* contrarium tenuerunt. 33.
At, horum rationes nihili esse, existimat Autor. *Lockius*, Deum esse *spiritum purissimum*, docuit *Lib. II Cap. 23 §. 28.* Id vero Autori parum probatur dogma. Ex quo momento intelligitur, Autorem ob solas *Lockii* vindicias laborem, operi tanto exstruen-
do impensum, haud suscepisse. Idem, spiritualitatem meram, 38.
putat, esse punctum mathematicum, seu ideam contradictione la-
borantem. Dei omnipræsentiam ita exponit, ut radii ab ejus 47.
lumine sine mora emanent ex centro naturæ divinæ, quemadmodum radii solares omnia illustrant. Ut hoc comprobet,
provocat ad *Act. XVII, 17*, & sensum communem. Creatio- 52.
nem universi ex nihilo existimat videri comprehensu difficilem, immo absurdam. Restat idcirco nihil aliud, quam ut eam interpretari malit per emanationem. Motum, qui inest mundo, putat esse effectum & modum, qui profluat ex Deo. Vires
rebus creatis insitas esse aliquas, negat. Provocat simul ad *Act.* 55.
*XVII, 28*, & *Ps. CIV, 29.* Fermentatio, cohæsio, gravitas, attra-
ctio, sunt, ex ejus sententia, non nisi abstractæ cogitationes. Ad- 60.
stipulatur *Lockio*, substantiam in abstracto definiri posse, neganti. Deo simplicitatem & immutabilitatem ita attribuit, ut aliquid non extensum ipsi sit idem ac ferrum argenteum. Unde

 patescit,

pateſcit, imaginationem ab Autore locari in locum judicii,
ipſumque ea, quæ ab imaginatione hominis comprehendi ac
exprimi haud poſſunt, repudiare. Scilicet monuit is ipſe,
capacitatem intelligendi haud ineſſe omnibus eandem. Recor-
detur, velimus, ipſe, individua illa, e quibus mundus in in-
finitum haud dividuus conſtat, eſſe omnis extenſionis exper-
tia. Largitur enim, hæc dari. Quærimus jam ex ipſo, an res,
extenſionis plane expertes, ſint ferrum ligneum; an imagina-
tio ſit ſpirituum definiendorum amuſſis. Ipſe angelis tribuit
Pag. 78. corpora ſpiritualia, perpetuo durantia. Dictitat, ex dogmati-
bus ſuis *Spinozam* & *Tolandum* ad ſilentium redigi poſſe. Ap-
96. probat illud *Lucretii: Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla
poteſt res.* Tradit, Deum corpora cœleſtia ex nihilo protra-
xiſſe, *pag. 191*, nec tamen creationem ex nihilo aſſenſione digna-
tur *pag. 52.* Subſtantiam non extenſam reputat pro chimæra
*pag. 220.* Motus, hoc judice, eſt modificatio potentiæ di-
238. vinæ immediatæ *pag. 230.* *Croſam*, civem ſuum, encomio or-
nat *pag. 234 ſeq.* ratus, hunc æque motum habuiſſe pro mo-
do. Motum eſſe cauſam phyſicam, negat. Motum materiæ
eſſe eſſentialem, inficiatur, ſiquidem Deus eum poſſit immi-
nuere vel tollere, *pag. 258.* *Tolandus* iit in alia omnia *pag. 277.*
Autor negat, extenſionem eſſe materiæ eſſentialem, *pag. 285.* Ad-
dit, exiſtentiam eſſe corporum eſſentiam, adjuncta proprieta-
291. tum, inibi animadverſarum, compage. Credit, ſyſtemate ſuo
293. evolvi ſyſtema & *Newtoni* & *Popii.* Non diſſimulat, ſeſe *Spi-
noziſtam* agere nonnullis videri, *pag. 295.* Approbat illa *Cicero-
nis de Nat. Deor. Lib. I Cap. 11: Aperta ſimplexque mens, nulla
re adjuncta, qua ſentire poſſit, fugere intelligentiæ noſtræ vim &
319. notionem videtur.* *Spinoziſmi* labem a ſeſe alienam eſſe, con-
tendit *pag. 324.* Examen, quo Societatis Londinenſis conſors
adumbrationem ſyſtematis novi compendioſam ventilavit &
P. II. exploravit, Autori non probatur. Inveſtigator enim Anglus
judicavit, inventionem ſyſtematis ejusmodi novi eſſe inutilem
Pag. 5. & infructuoſam. De commercio animæ cum corpore ita ju-
dicavit: *Commune Syſtema influxus majorem probabilitatis gra-
dum habet reliquis omnibus; nam ſyſtemata Malebranchii, Leib-
nitii,*

*nitii, & Autoris, ſunt mere hypothetica, & ſimpliciter poſſibilia, idque tantum ſola poſſibilitate abſoluta, ſeu metaphyſica, qua ſibimet ipſis non contradicunt; non vero poſſibilitate vel phyſica, vel morali, ubi plurimis difficultatibus urgentur. Syſtema vero influxus, recte intellectum, non ſolum omni ſpecie poſſibilitatis metaphyſicæ, phyſicæ, & moralis, gaudet, ſed & probationem exiſtentiæ realis ex ipſa experientia habet.* Negat deinde, ſyſtema Autoris eſſe *Malebranchiano*, vel *Leibnitiano*, præſtantius. De *Malebranchiano*, *Leibnitii*, & Autoris, hypotheſibus, quan- Pag. 7.
tum ad commercium mentis cum corpore attinet, ſic ſentit: *Meri ſunt luſus ingenii, quibus congruit, quod in Metaphyſicam inanem Scholaſticorum quondam dictum: Intelligendo faciunt, ut minus intelligant, gens ratione furens & mentem paſta Chimaris.* Judicat, Autorem in eo eſſe, ut Deum cum veteri- 10.
bus Philoſophis orientalibus *faciat animam mundi, pag. 17.* Cauſam ſyſtematis influxus mutui ſic perorat: *Quod ubique & ſemper adeſſe requiritur, ut eventus certus contingat, illud pro cauſa hujus eventus recte aſſumitur, uſque dum evidenter probetur contrarium.* Quæ quidem ratio eſt inſtar omnium. Nec omit- 31.
timus hoc pronuntiatum: *Sola experientia ſpirituali, experimentando ordinis ſalutis in S. Scriptura præſcriptum, homo ad demonſtrativam convictionem divinitatis Scripturæ venire poteſt.* Laudat Anglus *Wagneri*, Hamburgenſium ornamenti, librum 35.
Germanicum, *de libertate voluntatis humanæ* inſcriptum. Philoſophia *Newtoniana* eſt, illo judice, *vera philoſophia naturalis.* Objectionem de qualitatibus occultis contra Philoſophiam 37.
*Newtonianam* deſtitui ſpecie veri, addit. Provocat ad *Freindium* eo nomine, ad *Coteſium*, ad *Graveſandium*, ad *Musſchenbræckium.* Negat, Deum a *Newtono* pro anima mundi habitum fuiſſe. Addit: *Rogamus Autorem, ut a trahendo in* 39.
*partes ſuas Newtono amice abſtineat; nam Philoſophi Newtoniani opinionem iſtam de Deo anima mundi, quocunque modo expoſitam, plane pleneque rejiciunt.* Cum vero Autori videretur id reſponſum ingratius, annotationes ſuas ei ſubjunxit, ægre ferens, quod *Graveſandium* Examinator fautorem venditavit influxus 45.
phyſici, nec quæſtionem, an anima ſit extenſa, nec ne, attigit.

Compro-

Comprobatum ire ſtudet, Deum certo ſenſu animam mundi
Pag. 63. poſſe appellari. Omittimus reliqua. *Tomus ſecundus* com-
T. II. plectitur Præfationem, qua evolvit diverſa principia, quibus
ſyſtema ſuum ſuperſtruit; cogitata Autoris, quibus examinat
terminos, ad quos mens noſtra poſſit in cognitione naturæ ſpi-
Pag. 29. rituum pervenire, & principia quædam præſtruit; Epiſtolam
nonneminis ad nonneminem de Abbate, ſcriptore libelli *le Pour
& Contre*; epitomen reſponſi nonneminis *B. de P.*; hiſtoriam &
28. indolem Equitis *Henrici F.*, deſumtam ex libello *le Pour & Con-
tre*, cum Abbatis annotationibus; annotationes Autoris in id
66. momenti; locum *Joannis Lockii* de quæſtione, an Deus poſ-
ſit jungere vim cogitandi materiæ; epitomen vindiciarum pro
*Lockio* contra objectiones *Stillingfleeti* per *Coſtium*; obſervatio-
nes Autoris in haſce vindicias; cogitata Autoris de ſyſtemate
166. influxus phyſici, & noſtræ mentis immortalitate; Epiſtolam do-
cti Viri Pariſienſis ad amicum in Provincia de animæ noſtræ na-
tura; opinionem Philoſophi, qui ſuffragatur ſyſtemati harmo-
425. niæ præſtabilitæ, de differentia, hominem inter & beſtiam in-
tercedente, cum Autoris judicio; tandem compendium eo-
439. rum, quæ hoc *Volumine* comprehenduntur. Vindicias, *Lo-
ckii* manibus ſubminiſtratas, approbabunt omnes, qui merita
viri olim magni norunt æſtimare. Circumcirca proſpeximus,
ut argumentis convinceremur, quæ nobis perſuaderent, cor-
pora cogitare poſſe, mentesque ad unam omnes eſſe extenſas.
Vidimus illa repetita & repoſita: ens non extenſum eſt pun-
ctum mathematicum, eſt nihilum, quod imaginatione concipi
& figurari nequit. Præter ea nondum deprehendimus ex-
cellentiora argumenta. Ex compoſitione & motu vim cogi-
tandi haud oriri poſſe, apodicticis rationibus oſtendere va-
lemus. Dari individua, Autor procul dubio largietur, eo
quod negat, dari materiem in infinitum dividuam, tandemque
in individuis elementis cogitationem figi ac ſubſiſtere. Mira-
mur itaque, qui factum ſit, ut individua, nec porro extenſa, in
numerum fictionum, contradictione laborantium, rejecerit. Sed
fortaſſis *Tomus III & IV* ſuppeditabunt nobis certiora ejus ar-
gumenta. Comperimus inter hæc, Ampliſſimum Celeberri-
mumque

mumque *Cuenzam*, Reipublicæ S. *Galli* Consiliarium, & Societatis literariæ Massiliensis Sodalem, olim ad Lilia Oratorem, esse eum, a quo spiritus vestibus corpusculisque perpetuis in hoc Opere sunt induti. Ita est: Placet nonnullis obesior *Diana*.

THEORIE NOUVELLE SUR LE MECANISME
de l' Artillerie, &c.
hoc est,

*DE EO, QUOD IN RE PYROTECHNICA MEchanicum est, Theoria nova; Autore DULACQ, rei Pyrotechnicæ apud Sereniss. Sardiniæ Regem Præfecto.*

Parisiis, apud Carol. Anton. Jombert, 1741, 4.
Alph. 2 plag. 4, Tabb. æn. 24.

Uti *reliquæ* artes, ita & Pyrotechnia perfectionem suam a Mathesi exspectat. Quam ob rem non possumus non conatibus Autoris Clarissimi, in scientiis mathematicis supra vulgus, uti videtur, eruditi, impense applaudere, eumque ad Theoriam suæ artis, quam illotis huc usque manibus, hoc est, ab Empiricorum cohorte, maximam partem tractatam esse constat, ulterius excolendam, & in luce ponendam, luculenta hac formula invitare. Negari quidem nequit, potiora quædam hujus scientiæ capita, quæ inprimis ad Ballisticam spectant, a Geometris præstantissimis, facem præferente *Galilæo*, diversis temporibus, & diversis quoque methodis, excussa, & novis subinde accessionibus ditata fuisse; quam vero multa adhuc supersint ne tentata quidem, densisque tenebris obsita, & quam parum præterea, quæ hactenus Viri egregii tradiderunt, ad captum vulgi sint, quam dispersa denique atque ex voluminibus multis conquirenda, quis est, quem fugiat? Hisce perpensis, eum sibi scopum præfixit Autor, ut in formam corporis compingeret, quæ ab aliis fuere inventa; ut, experimentis accurate institutis, omnia, quam fieri poterat, roboraret; ut multa

 de

de suo adderet, vel recens inventa, vel nova ratione inflexa; denique ut omnia ad applicationem & praxin, quantum dabatur, traduceret. Quibus prælibatis, de ipsa Operis ratione dicendum erit breviter. Distribuitur id in *Partes* principes numero *tres*, quarum quælibet peculiari *Sectionum* & *Capitum* numero constat, de quibus autem singulatim referre nihil attinet. *Prima Pars* tota est in natura pulveris pyrii, qui totius rei tormentariæ anima est, accuratius evolvenda, demonstranda, confirmanda. Mirum sane videri possit, cum multa Physices capita nostra ætate præclare exculta, & in luce posita fuerint, perpaucos tamen, quantum quidem constat, eruditorum fuisse, qui in pulveris nitrati indole, ejusque stupendis effectibus, rimandis, nedum ad numeros & mensuras exigendis, operam suam & studium posuerint. Quodsi enim ab observationibus quibusdam, in Academia Scientiarum Parisiensi factis,& ab eleganti *Belidori* Dissertatione, quæ Pyrotechnæ Gallico (*le Bombardier François*) inserta est, discesseris, quæcunque alia circa hanc materiam dicta sunt, vix ultra mediocritatem assurgunt. Satis amplus itaque campus, suas ingenii vires circa rem difficultatibus haud paucis obnoxiam periclitandi, *Dulacquio* patuit. Ante omnia vim pulveris pyrii, in pleno aere accensi, examinat. Fingatur globus, e pulvere factus, & in libero aere pendulus, ejusque centrum ignem concipiat. Quo facto, totus globus in flammam, quæ fluidum est maxime elasticum, mox abibit; cumque experimentis deprehensum sit, pulverem accensum in volumen millies quater & ultra majus expandi; consequens est, ut flamma pulveris, actione e centro versus circumferentiam diffusa & propagata, globum formatura sit, ad minimum quater millies eo majorem, qui antea fuerat. Si inflammatio expansioque grani pulveris puncto temporis fierent; globus quoque quantumvis magnus uno eodemque momento ignem conciperet. Cum vero res secus se habeat, operam dedit Autor, ut in velocitatem inflammationis, quæ in globis pulveris pyrii variæ magnitudinis obtinet, inquireret. Quamobrem demonstrare conatur, si inflammatio successiva sit, globos pulveris quovis temporis tractu inflammatos

esse

esse in ratione globi, primo inflammati, multiplicata secundum exponentem temporis. E. g. sit globus uno minuto secundo inflammatus $= a^3$, secundo inflammabitur $a^6$, tertio $a^9$, quarto $a^{12}$, & generaliter minuto secundo $m$ — esimo inflammabitur $a^{3m}$. Velocitates vero inflammationis statuit esse ut $a, a^2, a^3, a^4, \ldots a^m$. Postulat autem granum pulveris pyrii eo ipso momento, quo ab igne tangitur, inflammari; deinde, extensionem pulveris $a^3$, qui primo momento temporis inceditur, secundo demum momento absolvi, supponit. Tertio statuit, vim extensionum proportionalem esse extensionibus ipsis, hoc est, si recte mentem Viri percipimus, vim globi pulveris, in flammam expansi, fortiorem esse in ea ratione, quæ est axis extensionis; cumque effectus pleni sint ut causæ productrices, velocitates mobilibus a pulvere in flammam expanso impressas esse ut $a, a^2, a^3, \ldots a^m$, pro ratione exponentis temporis $m$. Primum recte satis habet; de reliquis autem, prout fieri solet in quæstionibus physico-mathematicis, nondum plene evolutis, Lectorum aliqui hærere forsitan possent. Cum ipsa quoque demonstrandi ratio, ab Autore adhibita, paululum obscurior esse videatur; huic defectui statim succurrere laborat in sequentibus, ubi omnia ad captum vulgi, quam fieri posset, accommodare satagit. Hisce præstructis, Theoriam suam ad effectus pulveris pyrii explicandos mox applicat; neque diffitendum, plurima ibi occurrere lectu digna, utilia, & ulteriori rerum indagini ansam præbitura. Vim scilicet pulveris pyrii, prout in diversis statibus est, ad examen revocat. Nobis vero, cum per singula ire non liceat, de iis commemorasse sufficiat, quæ de vi pulveris, spatiis diversis contenti, hic prolata sunt. Primo itaque ostenditur, vim, sive energeiam, totalem datæ pulveris accensi massæ esse in ratione subduplicata inversa spatiorum, quibus continetur. Quodsi in spatio eodem accendantur variæ pulveris massæ; vires erint directe ut quadrata massarum. Si denique massæ & spatia continentia sint inæqualia, ratio virium componetur ex duplicatis, directa nempe massarum, sive quantitatum, accensarum, & reciproca spatiorum continentium. Exinde deducit Autor, quid cognitu

opus sit, si figuram tormenti bellici, vel, quod idem est, curvæ, cujus circa axem rotatione Conoides, figuram tormenti referens, gignitur, determinare quis velit. Quodsi enim pulvis pyrius non in camera accensoria, sed in anima tormenti, demum inflammatur, perspicuum est, ad lineam determinandam, cujus applicatæ exponant crassities tormenti, in singulis punctis ad æquilibrium cum vi pulveris faciendum requisitas, necessarium prorsus esse, ut pro quolibet tempusculo inflammationis rationes tam massarum pulveris accensarum, quam spatiorum, in anima tormenti percursorum, accurate innotescant; quæ cum ob varietatem camerarum, pulveris, aliarumque circumstantiarum, infinitas mutationes subeant, linea quoque infinities variari deberet, ut adeo nulla figura omnibus casibus inservire possit. Quæ causa sine dubio est, cur Autor methodum solvendi Problematis solam indicaverit, Problema non solverit, quin in ejus locum substituerit cogitationes quasdam lectu dignissimas de causis variatarum frequentissime dimensionum in tormentis bellicis, deque modo eas determinandi, & ad examen revocandi, copiose differat. Circa longitudinem tormentorum, de qua tot ac tanta sunt sententiarum divortia, iterum pronuntiat, eam ad Problemata indeterminata referendam esse; si enim vel maxime ulla arte velocitates inflammationum, earumque durationes, determinari possint, mutationis tamen atmosphæræ rationem non minus habendam, nec non varios caloris & siccitatis gradus, tam tormenti, quam pulveris, in computum ducendos esse. Quibus missis, progreditur ad vim pulveris accensi, prout superficies, eum ambiens, dilatationem & velocitatem inflammationis vel juvat, vel eidem officit. Qua occasione inter cetera demonstrat, cameram accensoriam mortariorum optimam esse, quæ sphæricam figuram habeat, quippe quæ maximam vi pulveris remoram afferat, adeoque totali pulveris inflammationi tempus sufficiens subministret. Oportet autem pulverem in centro cameræ inflammari. Pro tormentis autem bellicis eam ceteris præferendam multis nominibus esse, cujus figura est cylindrica, & in fundo rotunda, cujus altitudo non excedat *Calibrum*, sive diametrum animæ; adeoque

eoque nihil aliud faciendum restare, quam ut pulvis pyrius inveniatur, quam fieri potest, violentus, quo exigua haecce copia, quam camera accensoria caperet, globo satis valide propulsando sufficiat. Quae sequuntur, agunt de variatione inflammationis, a vario luminis accensorii loco oriunda; quae res utique majoris, quam vulgo existimatur, momenti est. Tandem vero haec ipsa Theoria ad cuniculos quoque applicatur, &, quod experientia cognitum antea erat, demonstratur; nempe spatium, a cuniculo nudatum, sive excavationem, a pulvere accenso factam, habere figuram Conoidis parabolici, posita nempe resistentia uniformi, ex tenacitate, densitate, compressione, &c. oriunda. Quae de omnibus hisce copiose disserit Autor, in formulas deinceps generales, easque algebraicas, concludit, ad quas sedulo inspiciendas omnino ablegandus est Lector. Experimenta quoque plurima, tam a se ipso, quam ab aliis, instituta, recenset, quibus Systemati suo aliquid roboris & firmamenti accedere putavit. Ast, qui in recensenda speciminis loco *Parte* voluminis *prima* paulo fusiores fuimus, reliquis *duabus* minori jam opera defungi poterimus. Igitur *Parte secunda* nihil aliud, quam Ballistica, pertractatur. Primo quidem loco notissima *Galilei* doctrina de motu gravium accelerato, deque semita projecti in vacuo, quae Parabola *Apolloniana* est, exhibetur. De his, nihil est, quod magnopere notemus, nisi quod ubique observaverimus, Cl. Autorem omnem movisse lapidem, ut omnia minutim excuteret, & ad Praxin praecipue accommodaret expeditiorem & faciliorem. Quem in finem addidit Tabulas, ad eam rem necessarias, nec non instrumentum quoddam novum, projiciendis pyrobolis majoribus apprime inserviens, proposuit. Cum vero resistentia aeris non adeo sit exigua, ut in computum adhiberi minime mereatur, adeoque jactus pyrobolorum, secundum solam theoriam *Galileanam* institutus, supremum perfectionis gradum haud assequatur; motum projectorum in pleno quoque, hoc est, in medio resistente, contemplari aggreditur Vir industrius. Notum est, mobili projecto ab aere resisti in duplicata celeritatum ratione. Inde est, quod Geometrae praestantissimi semitae pro-

jecti in hac resistentiæ hypothesi eruendæ insudaverint. Quanquam vero ad æquationem, qua curvæ quæsitæ natura continetur, pervenerunt; adeo tamen intricata est, ut ad usus practicos, nisi nova inveniantur artificia, applicari vix & ne vix quidem possit. Inde est, quod semitas veris proximas assignare cœperint. Ita Cel. *Eulerus* in Mechanica sua *Tom. I §. 974* æquationem algebraicam pro Curva quadam affert, quæ a vera eo minus discrepat, quo major globus, & quo majori vi, projicitur. Conf. quoque *Acta* nostra *A. 1738 Mens. Mart. P. I pag. 132.* Idem quoque consilium hic sequitur Noster, ut semitam nempe, a vera non nimis aberrantem, invenire doceat. Principium, quo in hac investigatione utitur, palmarium est, velocitates, in fine temporis cujusvis amissas, esse semper in ratione temporum duplicata. Quod quidem cum iis, quæ a Geometris celeberrimis demonstrata sunt, haud satis conspirare, lubens fatetur; monet autem, in praxi satis tuto adhiberi posse, inque eam rem experimenta quædam, a *Blondello* aliisque instituta, recenset. Nec minus quoque facile percipient Lectores mathematici, in rigore minime vera esse, quæ statim ab initio hujus Tractationis habentur: nempe, cum in vacuo semita mobilis secundum quamvis directionem projecti parabola vulgaris sit, totam de resistentia aeris quæstionem eo reduci, ut innotescat, quantum resistentiæ mobili in singulis semitæ parabolicæ punctis afferatur. Quicquid vero hujus est, Autor Cl. hisce principiis insistendo, totam projectorum doctrinam in medio resistente pertractat, & casus diversos, nec non media, quibus ad ipsam praxin omnia deduci possint, satis copiose & luculenter demonstrat. Quo facto, ad *Partem* Operis *tertiam* transit, quæ tota circa constructionem fornicum, nec non circa vim percussionis, quam pyroboli exercent, cum in eos secundum omnes directiones possibiles incidunt, determinandam occupatur. Quæ vero omnia cum ex principiis de compositione & resolutione virium intelligantur, constructioque fornicum ab aliis Viris clarissimis satis superque fuerit exposita; manum hic de tabula retrahimus, nostrosque Lectores, eos inprimis, quibus perfectio artium bellicarum curæ cordique est, ad ipsum

ipsum librum attente perlegendum, & in usus convertendum, omni studio hortamur. Optamus denique, ut *Volumen* Operis *secundum*, cujus spem facit Vir Clarissimus, sine ulteriori mora in lucem publicam prodeat.

*ELEMENTA JURIS CANONICO-PONTIFICIO-Ecclesiastici, tum veteris, tum hodierni. Tomus II. Ex genuinis principiis eruit, & apta connexaque ratione adornavit, LUDOVICUS MARTINUS KAHLE, P. P. O. in Academia Gottingensi.*

Halæ, impensis Rengerianis, 1743, 4.

Alph. 1 plag. 13.

Haud ita pridem Elementorum horum *Tomum I* percensentibus nobis, jam dispiciendum est de *Tomo II*, complectente *Librum III* & *IV*, quorum alter de applicatione Juris Canonici, & ordine caussarum atque judiciorum, alter de Jure criminali, *eoque ecclesiastico*, agit luculenter. Jurisprudentiæ, non pensilis & aereæ, sed solidis & genuinis nisæ fundamentis, novum specimen publicæ committit luci hoc ipso opere suo Cel. Autor; comprobatque suo exemplo, legitimæ scientiæ eam partem, quam in foro potissimum sequimur, connexa firmaque tradi posse ratione. Qui igitur, quasi sub antiquorum Sophistarum sidere nati essent, causas expediunt, jurisque dicundi præceptiones perturbato edisserunt ordine, vel prorsus nullo, ii abhorrebunt sane a Cel. *Kahlii* placitis; at e contrario industriam eorum provocabit, qui æqui doctrinæ solidæ sunt æstimatores. Sed commentari liceat de iis capitibus generatim, ad quæ redeunt ab Autore *proposita* omnia. Inscriptiones *Libri primi* ita se habent: de jurisdictione ecclesiastica; de judicio & judice ecclesiastico; de arbitris; de pactis & transactionibus; de postulando; de procuratoribus; de Syndicis; de libelli oblatione; de citatione & contumacia; de mutuis petitionibus; de exceptionibus dilatoriis; de litis contestatione; de exceptionibus peremtoriis; de probationibus generatim; de præsumtionibus; de confessione; de testibus; de instrumentis; de jureju-

jurejurando; de ordine cognitionum; de causa possessionis & proprietatis, nec non de judiciis extraordinariis; de restitutione spoliatorum; de sequestratione possessionis & fructuum; de sententia & re judicata; de appellatione; de supplicatione; de revisione; de beneficio Syndicatus; de restitutione in integrum; de executione. *Liber II* commentatur de delictis & pœnis eorum generatim; de infidelitate; de hæreticis; de schismaticis; de apostasia; de simonia; de delictis, quæ in secundam tabulam ratione vitæ committuntur; de delictis, excedentibus a terminis legum, corporis saluti inservientium; de delictis, dominium rerum violantibus; de delictis ratione sermonis; de delictis, quæ sunt Clericis propria; de excommunicatione; de interdictis; de suspensione; de remotione; de pœnitentia; de accusatione, inquisitione, & denuntiatione. His subjungamus Tituli cujusdam Paragraphos nonnullos; quamvis enim inter se nexæ sint enuntiationes ejus, haustæque, si principia respicias prima, ex *Tomo primo*, sequentia tamen strictim, seu in compendium redacta, proferre liceat, quæ statim in limine *Voluminis* hujus de judicio & judice ecclesiastico *pag. 12* leguntur. §. *13 Judicium* est legitima rei controversæ inter litigantes apud judicem tractatio. §. *14* Si circa factum ad leges applicandum sibi invicem contradicunt quidam, *causa controversa*, vel *litigiosa*, dicitur. Hi ipsi vero, qui sibi repugnant ratione applicationis legum, *litigantes* vocantur, quorum alius *actoris*, alius *rei*, nomen fert. *Actor* nempe, jus quoddam in alterum sibi competere, asserit; *reus*, jus prætensum locum habere, negat. Ordo vero, ad quem causæ sunt coram judice pertractandæ, *processus* dicitur. *Judex* denique est persona publica, potestate prædita applicandi leges ad facta subjectorum; vel is, cui competit jurisdictio. *Jurisdictio* autem *contentiosa* nuncupatur, quæ penes aliquem est in causis litigiosis, & *jurisdictio voluntaria*, quæ alicui competit in causis non litigiosis (§. *1*). §. *15* Judicia vel secularia, vel ecclesiastica, sunt (§. *1*); *seculare judicium* nuncupatur, cum judex laicus causas laicorum cognoscit; *ecclesiasticum* vero, cum judex ecclesiasticus alicubi præest jurisdictioni, vel sedet in tribunali, jus Clerico-

rum

rum administrans. §. 16 Requirimus judicem incorruptum, ingeniosum, peritum, æquum, quia alias sapienter judex edicere nequit. Ergo ejusmodi etiam judices quærimus ecclesiasticos, qui Prælati, Episcopi, Archiepiscopi, cetero, vocati sunt *Lib. I*, ac potestate vigent, a Pontifice tradita, firmataque (*Lib. I* §. *118*). Si igitur integri haud videntur, vel suspicionem incurrunt gravem, recusari & possunt, & debent, ante litis contestationem, *nisi causæ recusationis post hanc emergant*. Cum autem judicis virtutes verisimiles sint maxime, causæ recusationis justæ, ut probentur, necesse est, a recusaturo judicem. Hinc consequitur, ut rationes recusationis rite expediendæ sint vel ab arbitris, cooptatis eum in finem, vel a judice superiori, & suspendatur interea judicialis potestas omnis. Quæ quidem nonnunquam facile possunt ad veritatem revocari; sed tamen accommodatiorem viam commonstrant Canones, nimirum *jusjurandum perhorrescentiæ* commendant, quo quis religiose asseverat, se extimescere inferioris judicis iniquam justitiæ administrationem. §. *17* Episcopus est judex ordinarius diœcesis suæ (*Lib. I* §. *124*); ergo jurisdictione pollet ordinaria (§. *5*); ergo hanc delegare valet in omnibus diœcesis locis, nisi speciale privilegium & exemtio obstet (§. *5*); ergo invenitur judex etiam ecclesiasticus extraordinarius, quia vocabula *delegatus* & *extraordinarius* unum eundemque sensum indicant. §. *18* *Judex competens* est is, penes quem jus est cogendi subjectos, ut legibus faciant satis. Igitur actor forum competens rei sequi debet; &, quemadmodum ratione domicilii, rei sitæ, delicti, & contractus, fiunt judices congruentes, vel sui, secundum Jus civile, ita etiam Jus Pontificium hoc præfinit. Ergo judex *incompetens* jus non habet, cogendi subjectos, ut obligationes adimpleant. §. *19* *Forum* est litium exercendarum locus, a litigantibus adeundus. §. *20* Domicilium vel commune est, vel privatum; ergo forum etiam domicilii duplex est: commune nimirum & privatum. (§. *18*) Commune olim fuit Romæ, sed non minus Pontificiorum jure forum Clericorum Roma dicitur, quoniam Papa ibi sedet in tribunali (*Lib. I* §. *118*); licet multi Concilia judices Papæ vocaverint, & forum

jis adscripserint summum (*Lib. I* §. *120 n. 4*). Domicilii autem forum privatum, seu speciale ratione actuum parochialium, quilibet parochianus habet in sua parochia (*Lib. I* § *91*), uti Clericis inferioribus præsunt Episcopi (*Lib. I* §. *100*). §. *21* Judice seculari prorsus non utitur Clericus (*Lib. I* §. *9*). Licet igitur repudiaverit privilegium istud, & tulerit judicem secularem, id tamen irritum jubetur esse, sive jusjurandum firmaverit renuntiationem, sive minus (§. *10*). Ergo non causæ tantum sacræ Clericorum, sed & causæ civiles, pertinent ad judicem ecclesiasticum (*Lib. I* §. *104*), vel Consistorium; vocatur enim *Consistorium* judicium ecclesiasticum, quod diœcesani nomine administratur. §. *22 Forum singulare* dicitur, quod datum est reo, vel ratione causarum, vel ratione conditionis personarum. Ergo forum ecclesiasticum, si confertur cum jure & foro communi, est forum singulare; ergo judex ecclesiasticus competens est judex Clericorum (§. *18* & *21*). §. *23* Non quilibet judex ecclesiasticus Clerici competens judex est (§. *18*, *20*,); ergo ad subsellia ejus trahi debet Clericus, cujus ditioni, vel diœcesi, subjicitur adducendus in judicium, vel ubi domicilium habet, vel conventionem iniit, vel perpetravit crimen, vel denique res sita est, quam aliquis lite persequitur (§. *18*). §. *24* Judex ecclesiasticus competens est, & præponitur spiritualibus, ecclesiasticis, sacrisque, quin etiam civilibus, causis Clericorum (§. *21*, *22*,); ergo laici etiam sumere judicem ecclesiasticum debent, 1) si deliquerunt adversus ecclesiam (§. *cit.*), vel 2) si actores personæ sunt miserabiles (*Lib. II* §. *247*), licet causa sit secularis; 3) si laicus certat cum aliquo laico lite seculari, sed justitia denegata est a judice seculari; quia judex ecclesiasticus præsidere jurisdictioni dicitur, si maleficia hoc modo averti queunt (§. *15*), id quod ex hierarchiæ arcanis (*Sect. II* §. *7*), & blanda benevolentia Principum in Clericos, & Clericorum vi, jus circa sacra & civile invadente, facile est ad intelligendum. Nihilo minus ipsi Pontificii de discrimine & finibus jurisdictionis secularis atque ecclesiasticæ disceptant, variasque eunt in partes (§. *15*). §. *25* Fori privilegia Clericorum præclara plane sunt (§. *21*); prima autem tonsura solummodo ornatis,

natis, vel in ordinibus minoribus tantum constitutis, vel bigamis, vel artem jaculatoriam exercentibus per anni spatium, nec versis ad pœnitentiam, vel assassinii convictis, privilegia illa Canones minus indulgent (*Lib. I* §. 49). Brevitati studentes, mittimus reliqua; illa enim perpaucula, ipsis legibus semper corroborata in Notis, a Cel. Autore adscriptis, indicant satis, notiones distinctas ab Autore nostro adhibitas esse, atque ejusmodi principia stabilita, quorum fides & nexus cum reliquis enuntiationibus se sua commendat firmitudine. Doctissimum igitur *Kahlium* vel hoc modo promissis stetisse, in Præfatione *primi Tomi Elementorum* suorum factis, merito arbitramur, & pronuntiamus.

DELLE FEBRI MALIGNE ET CONTAGIOSE NUOVO Sistema theorico-practico, &c.

hoc est,

*NOVUM SYSTEMA THEORETICO - PRACTICUM de Febribus malignis & contagiosis, excogitatum a JO. BAPTISTA MOREALI, Medico & cive Regiensi.*

Mutinæ, apud Franciscum Torri, 1739, 4.

Alph. 1 plag. 6.

Hypotheses, in Medicina theoretica assumtæ, non tantum observationibus & meditationibus ulterioribus excoluntur, sed novis quoque experimentis ansam præbent, quæ quidem, si sine damno ægrotantium institui possunt, practicam quoque Medicinam haud raro perficiunt. Exanthemata a seminio verminoso, in massa humorum hærente, produci, nonnulli Medicorum vel observatione accurata cognoverunt, vel tantum suspicati sunt, & ideo mercurialia medicamenta, vermibus ex canali alimentorum expellendis apta, in his quoque exanthematicis morbis propinarunt; quo vero successu illud susceptum fuerit, ex observationibus huc usque cognitis nondum

certo constat. Cl. Autor in præsenti libello horum quidem opinionem non sequitur, sed aliis argumentis & observationibus declarare annititur, Mercurii usum, levioribus purgantibus junctum, in febribus malignis, inprimis petechialibus, & variolis, omnino esse salutarem. Monet quidem in Præfatione, se contradicentes plurimos invenisse Medicos; quapropter etiam, ut civibus suis satisfaceret, Tractatum hunc sermone Italico conscripsit, & observationes, in posterum hac de re evulgandas, Latino sermone tradet. In *Libro primo* hujus tractationis methodum suam, curandi febres malignas, proponit, modum, quomodo ad eandem pervenerit, recenset, & asserta observationibus passim insertis demonstrat. *Cap. I* utilitatem observationum in Medicina ostendit, & modum cognoscendi Medicos, ex mente *Hippocratis*, exponit, quo ipso inventorum suorum malevolos obtrectatores compescere conatur. *Cap. II* historiam febrium malignarum recenset, quæ A. 1734 & secutis in urbe Regio regnarunt. Symptomata, quæ recenset, & varietates morborum, maximam partem cum illis conveniunt, quæ ab aliis Medicis recensentur; annotamus tantum, diarrhœam salutarem bonum morbi exitum indicasse, id quod, uti *Cap. III* monet, inventum novum & methodum inusitatam, curandi febres malignas, eum docuit. Licet enim prostratio virium summa, mox in principio morbi observata, aliam causam indicare videretur; tamen, cum omni tempore aut per vomitum, aut alvum, vermiculi secederent, de cura vermium primo cogitavit, &, cum drachmam Mercurii vivi in conserva quadam infantibus, qui vermibus laborant, dari soleat, ille idem medicamentum, relicta febri, quam tanquam effectum cognoscebat, ad causam morbi curandam exhibuit, & leve purgans ex paucioribus granis Diagrydii, vel sæpius rhabarbarinum medicamentum, apposuit. Mercurii etiam similem dosin pro mali natura altera & tertia vice exhibuit, donec febris cessaret. Postquam igitur hanc medendi methodum variis observationibus illustravit; *Cap. IV* de origine vermium agit, & *Vallisnierii* sententiæ subscribit. *Cap. V* experimenta, inprimis a Cel. *Redi* circa vermes instituta, recenset, & ad suam medendi methodum applicat.

*Cap. VI*

*Cap. VI* de propagatione vermium differit, ſigna, ex quibus morbi maligni & dignoſcuntur, & prædiguntur, recenſet, &, vermium majorem proventum etiam in corpore humano ex cauſis externis proficiſci, oſtendit. *Cap. VII* non tantum teſtimonia celebrium Medicorum adducit, quibus mala, a vermibus producta, deſcribunt, ſed ipſe quoque modum, quo hæc mala producuntur, declarat, & inprimis *Cap. VIII* oſtendit, quomodo *vermes febres malignas producere* queant. Vermes, tanquam animalia viva, diu ſine noxa hominis in inteſtinis vivere poſſunt, ſed, ſi malo & inimico quodam paſtu, ad inteſtina delato, irritantur, ipſi ægrotant, & excrementa putrida & corrupta ejiciunt, quæ, chylo remixta, ad ſanguinem abeunt, & cauſam malignarum febrium ſiſtunt. Et hæc eſt nova illa ſententia Autoris, quam recenſitis aliorum Autorum opinionibus, de febris malignæ cauſa, ſubjungit. *Cap. IX* declarat, quod & quomodo Mercurius vivus febribus malignis medeatur. Mercurium medicinam potius, quam venenum, vermium, ob *frigidam ſuam indolem*, eſſe, aſſerit. Si igitur vermes ob malum victum ægrotant, materiam malignam excernunt, & excretam chylo & ſanguini miſcent, febris oritur; vermibus vero curatis, non amplius materia maligna ſuccedit; ergo febris quoque cohibetur. Hujus rei veritatem ex obſervationibus declarat, ubi febris jam cohibita, irritatis per novum victum vermibus, denuo oriebatur, & ipſa deliria, aliaque febris malignæ ſymptomata, producebat, ſed medicamento mercuriali, iterum iterumque exhibito, compeſcebatur. Oſtendit quoque, quomodo febres illæ non quidem omnibus, ſed illis tantum, contagioſæ eſſe poſſint, qui ſeminium verminoſum in inteſtinis habent, &, malum humorem cum ſaliva deglutiendo, vermes irritant, & ad ſimilem excretionem materiæ morboſæ cum ſanguine communicandæ diſponunt. In *Libro ſecundo* ſuæ tractationis varia momenta *Libri* præcedentis illuſtrat. *Cap. I* igitur de Mercurio, & ejus operatione, quatenus crudus deglutitur, differit, & oſtendit, illum, non niſi in minimas partes ſolutum, tranſire per *inteſtina*, nec a vaſis lacteis abſorberi, ſed iterum cum fæcibus expelli, corroſivam indolem neutiquam ſuſcipere, quippe



Digitized by Google

quæ non nisi acidis vehementioribus & igne chemico producitur; tutum igitur esse remedium tum in febribus malignis, tum etiam in aliis morbis. *Cap. II* disquirit, cur vermes medicamentis non expelli possint, &, arcuatum eorundem situm, quem in intestinis reperti ostendunt, solam causam esse, asserit. Si igitur materia, quam excernunt, non in tanta copia inveniatur, ut homini insignem morbum inferat, tunc quidem, uti in infantibus videmus, expelluntur; quodsi vero mala excretio vermium copiosa deprehendatur, tunc tutius est, vermes relinquere, eosque modo superius descripto curare. *Cap. III* disquirit, quomodo morbus hominis ægroti morbum vermis efficiat, quando nimirum humores corrupti inimicum ipsis præbent nutrimentum. Autor itaque ex quibusdam morborum historiis ostendit, non in principio morbi, sed in progressu tandem, signa mali verminosi fuisse observata. *Cap. IV*, febres pestilentiales ab eadem causa, ex qua petechiales producuntur, oriri, & in hoc quoque casu vermium morbos morbum hominis causari, asserit; quæ cuncta ex signis horum morborum, ab Autoribus quæ sunt nominata, & cum signis vermium præsentium conveniunt, longius declarat. *Cap. V* variolas examinat, & ad præsens institutum applicat. Inde *Cap. VI* in naturam variolarum, & quousque salutares dici possint, inquirit, varia etiam de mitioribus purgantibus in variolis exhibendis, nec non de febre duplici, immo triplici, variolarum, differit. *Cap. VII* casus quosdam singulares verminosos exponit, ex quibus discitur, morbos sæpius sine cognitione causæ curari. Sunt hi 1) Hæmorrhagia narium enormis, 2) Abortus cum copiosissimo sanguinis profluvio, 3) Abortus impeditus, 4) Convulsiones cum febre & delirio, & cum fractura femoris, 5) Apoplexia, 6) Paralysis. In his omnibus licet ad vermes non respiciendum esset, tamen illi causa symptomatum quorundam inveniebantur. In principio & fine hujus Operis additæ sunt binæ Epistolæ Canonici *Bellincini*, in quibus insignes effectus medicamenti mercurialis in febre maligna prædicantur, & Autor ad opus hoc publicandum excitatur. Experientia in medicis scriptis omnimodam affert perfectionem; ergo & huic

scripto,

ſcripto, experientiis variis, in conclavi ægrotorum collectis, repleto, laus deneganda non eſt. An vero medicamenti mercurialis uſus, & explicatio Autoris, aſſenſum Medicorum promereri queat, non ſine ratione dubitamus. Symptomata enim, in hominibus, quorum inteſtina vermibus repleta ſunt, obſervata, rarius, licet interdum, ſymptomatibus febrium malignarum reſpondent, & in morbo complicato non ſemper ad unam tantum cauſam reſpiciendum eſt. *Speramus* interim, fore, ut Cl. Autor in obſervationibus circa hanc medendi methodum, in poſterum evulgandis, hiſtorias morborum accuratius & cum omnibus circumſtantiis deſcriptas exhibeat, & lectorem certius de efficacia Mercurii vivi in febribus malignis convincat.

## P. LACERMI, ACADEMICI PATAVINI, *in Militem glorioſum Plauti Commentarius, & ejusdem Fabulæ interpretatio, Italicis verſibus concinnata.*

Venetiis, apud Jo. Baptiſtam Recurti, 1742, 4. Alph. 1 plag. 12.

Autor hujus libri uſus eſt autoritatibus maximorum virorum, *Taubmanni*, *Turnebi*, *Gronovii*, *Gruteri*, *Parei*, *Clerici*, *Grotii*, *Lipſii*, *Aldi*, *Lambini*, *Ugoleti*, *Grapaldi*, *Acidalii*, *Douſæ*, *Pflugii*, *Paſſeratii*, *Boxhornii*, *Guieti*, *Diſſaldei*, *Salmaſii*, *Petri Vallæ*, *Alciati*, *Saraceni*, *Pontani*, *Meurſii*, *Bentleji*, *Mureti*, *Briſſonii*, *Gulielmii*, *Palmerii*, *Rittershuſii*, *Victorii*, & aliorum. Ipſe iis de ſuo addidit, quicquid viſum eſt commemorabile. Hujus generis exempla aliqua ſubjiciemus, ut Lector judicare poſſit. *Act I Sc I v. 61 Plauti* verba ſunt iſta: *Innuit illarum altera: ergo mecaſtor pulcher eſt, inquit, mihi & liberalis viſus.* Hic particulam *ergo* poni putat primum pro *certe*, *ſane*; mox pro *merito* poſitam credit. Sed *ergo* hic potius eſt *re vera*, ſeu *re ipſa*. Paulo poſt *liberalis viſu* mavult legi, quam *liberalis viſus eſt*. Sed Autor non ſatis meditatus eſſe videtur vim nominis *viſu*. Nam *mirabile viſu* dicitur, quod *adſpectu admirationem injicit*; *terribile viſu* dicitur,

dicitur, quod *intuentes terret*; *miserabile visu* dicitur id, *quod forma sua commiserationem excitat*. An autem Autor credit, militem adspectu *liberalem*, hoc est, *liberali educatione dignum, honestis & ingenuis moribus conspicuum esse cœpisse?* Videt ergo, suspicionem suam discrepare ab usu antiquorum. Est autem notissimum, *liberalem* interdum esse *hominem moribus libero homine dignis*. Ibid. *v. 65*, *ne* a græco *ναὶ*, vel secundum alios a *νὴ*, duci, monet. *Act. II Sc. III v. 64*, *nge*, negat, verbum esse, sed adverbium, nec id perperam se fecisse autumat. Ibid. *v. 77*, *hic ei proximus est*, ait *Plautus*. Autor ergo declarat *proximus* per *præsens*; & hoc rursus per *propitius*. Clarius mentem & veritatem explicuisset, si *præsens* omisisset. Nam proxima non semper sunt *præsentia*, & *propitius* ejusdem est originis, ac *proximus*. *Act. II Sc. VI v. 58* *admonere* & *monere* ita discernit, ut *admonere* sit *in memoriam redigere*, *monere* vero *hortari*. Sed Autor ex *v. 90* hujus *Scenæ* meliora discere potuerat. Communis eruditorum sententia est, *monere* valere idem, ac *jubere memorem esse*; *admonere* idem, quod *simul memorem esse jubere*. Monemus immemores; hortamur memores. Vid. *Cic. Lib. X Ep. 1.* Nec reprehendit Autor fabulam illam de origine adverbii *oppido Act III Sc. I v. 40*, quasi rustici rogati, quantum frugum percepissent, respönderint, quod *oppido* suffecerit. *Act. II Sc. VI v. 112* facilis etiam explicatio fuerat verborum: *ne sortito suam*. Nam *sortito* est obsoletus dativus pro *sortitui*, uti adhuc habemus *despicatui*, *derelictui*, *esse*. Sic ablativus reperitur in formulis, *accurato & properato opus est*, *Act. III Sc. V v. 209*. *Formam* Autor pro *indole* & *ingenio* positam putat *Act. IV Sc. II v. 36*, in quo fortasse paucos sibi assentientes habebit. Idem judicamus de formula, *exigere ætatem*, quæ solis conjugibus non competit, ut ex *Sallustii Jugurth. Cap. XIV §. 15* constat. Nec videmus, cur Autor *Act. II Sc. II v. 43 dolum dolose* paronomasian, & *v. 57*, *vigila*, *inquam: expergiscere*, *inquam*, anaphoras, & *v. 103*, *docte tibi illam perdoctam dabo*, pleonasmum, & *Act. IV Sc. II v. 94*, *quam propter*, metathesin, vocet. *Caculam* ducit idem a *κάζεσθαι*, *cedere*. *Act. IV Sc. IV v. 30* ad verba: *ædis*

*dotalis*

*dotalis tuas*, a se animadversum esse dicit, ab aliis neglectum, quod mares etiam fœminis, non modo fœminæ maribus, dotem attulerint. *Act. IV Sc. V v. 4 lenta materies* videtur eidem *placida, dulcis, dulciter arctans & implicans*, nullis uso idoneis testimoniis. *Act. IV Sc. VI v. 54, animum inducere*, opinatur, idem valere, ac *persuadere*. Critici vero interpretantur *invitum facere, & tamen facere, ut libentius identidem facere discas.* Velimus etiam *Act. II Sc. VI v. 71* a Notis Autoris abesse: *quam notionem nec alii Lexicographi animadversi sunt*, & *Act. IV Sc. VIII v. 24*: *qui ita sentierunt*, itemque *pag. 32, 56, 68, nedum — sed etiam*, et *Act. II Sc. III v. 73* commentationem de accusativo *pedes* pro *pedibus*; nam Hellenismus hic nullus est, & *Act. II Sc. II v. 99 vera* pro *veram*. De reliquo monebimus hic ea, quæ interpretes in *Plauto* non adhuc videntur intellexisse. *Periplectomenes* compositum est ex περίπληκτος, *perplexus*, & μένος, *mens*. Est igitur *homo perplexa mente*. Autoris derivatio *Philocomasii* a φίλος & κομέω nemini, speramus, literato imponet. *Milphidippa* est quasi *militis ministra in adducendo equo*. Nam, qui equum alteri adducit ita, ut equo ipse non insideat, φείδιππος dicitur. Ancilla autem militi equam quasi adducebat ut conciliatrix. *Sycolatronida* est nomen loci, fictum ex ψυχή & *latrones*, quasi dicas *locum, ubi multæ militum animæ, seu umbræ, vagantur.* Nam animæ sepultis cadaveribus circumvolitare credebantur. *Syco* pro ψύχο antique scribitur. Nam *ps* in antiqua lingua Latina non erat, nec ulla litera aspirata. Vid. *Cic. Orator. Cap. 48*. Hinc *calx* ex χάλιξ, *cordum* ex χόρτος, *carus* ex χάρις, *pulcer* ex πολύχροος, &c. *Act. II Sc. II v. 57 bini custodes* sunt ambo lacerti, ori hominis meditabundi vel languidi suppositi. Subjungendum denique specimen est artis, qua in Italicis versibus usus est Autor noster. Ponamus hic paucos *Act. III Sc. II*:

Pal. *Che gran rigiri! e che gran cose machino!*
*Oggi io torrò di man la cortigiana*
*Al Soldato, se son ben squadronati*
*E disposti all' impresa i miei Soldati.*

E *Ma*

*Ma chiamerollo fuori. Olà tu Sceledro*
*Vien su la porta, se non sei impedito.*
*Ti chiama Palestrion.* Lucr. *Non è in istato*
*Di far covelle Sceledro.* Pal. *Perchè*
*Così?* Lucr. *Dormendo egli sorbisce.* Pal. *Come*
*Sorbisce?* &c.

Hic Lector, cui *Plautus* ad manum est, ex comparatione cum Italico Autoris nostri facile per se intelliget, nonnunquam a sententia *Plauti* recedi. Nam *non è in istato di far covelle Sceledro* haudquaquam est *Plautinum* illud, *non est opera Sceledro. Plautus* enim ambigue loquitur de industria, ut *Palæstrio* habeat, quod meditetur, quod stomachetur. Possunt enim verba *Plauti* significare, *nihil est Sceledro negotii*, vel ita accipi, *non est Sceledro hoc negotii, ut ad te prodeat.* Dubius ergo & stomachans *Palæstrio* quærit: *Quid jam*, scilicet tandem, fiet? Prodibit *Sceledrus*, an non prodibit?

## TRAITE' DES MARQUES NATIONALES, &c.

hoc est,

## *TRACTATIO DE SIGNIS NATIONUM, TAM illis, quæ inserviunt distinguendis nationibus generatim, quam iis, quæ diversos honorum ordines distinguunt inter varias uniuscujusque gentis personas, & quorum vel illa, vel ista, originem dederunt insignibus, vestitui institutionis bellicæ diverso, & vestibus familiarium ministrorum. Autore BENETON DE MORANGE DE PEYRINS.*

Parisiis, apud P. G. le Mercier, 1739, 8.

Alph. 1 plag. 7.

Propositum Autori ab initio fuit, non nisi Dissertationem de diverso vestitu, ministri quem familiares accipere solent, publicare; quod ipsi argumentum tam utile, quam jucundum, visum

ſum erat. Cum autem deinceps conſideraſſet, nobiles ipſos, longo abhinc tempore, inſignia veſtium geſſiſſe: unde diſtinctio nata eſt in ſymbola veſtiaria honorifica, ſive honoris, & ſervitutis; ſimulque perpendiſſet, quod inſignia illa honorifica initio tantum non militaria fuerint, & quibus perſonæ militares uterentur, quæ quidem pace ſimiliter durante ſervarint in cerimoniis, maxime ad apparatum pertinentibus, atque unde ſimul *inſignia domeſtica originem ceperint*; hoc omne *conjunctim* Autorem impulit, ut, propoſito amplificato, qui coram eſt, librum elaboraret. Finis ejusdem primarius eſt, nobilem inſignium ejusmodi ac ſymbolorum originem oſtendere, atque ordinis equeſtris hominibus perſuadere, ut utraque conſervarent quam curioſiſſime, nec temere quidquam mutarent, dum genus indidem ſplendidiſſimum unicuique ſtatim appareret, ac potentia illius vel ex ipſis multorum veſtitibus conſpiceretur. Miratur omnino non ſine cauſa Scriptor noſter, tot tamque eruditos viros, qui vel ludos equeſtres deſignaſſent, *vel arma atque inſignia* propoſuiſſent, vel ſimile aliquod argumentum illuſtraſſent, hanc plane rem intactam reliquiſſe, ipſique adeo conceſſiſſe prærogativam. Ut autem ab ovo quaſi inſtitutum ſuum repetat, diviſionem commemorat ac ſeparationem populorum, unde arctior familiaritas, cognitio demum obſoleta, hoſtilitas contra & perſecutio, nata fuerit. Hinc furor arma miniſtrabat, atque etiam neceſſitas capiebat. Ut autem, quis amicus, quis adverſarius, ſit, quaſi de longinquo noſſet quilibet, peculiaribus ſignis opus erat. Oriebantur indidem indicia primum, quæ generalia vocantur; mox autem & peculiaria ſuccedebant, quibus diverſi unius populi ordines, *ſecundum nobilitatem quisque ſuam*, diſpeſcerentur. Nota generalis, apud Græcos nominatim & Latinos, in inſignibus & vexillis, peculiaris in ſuprema caſſidis parte, conſpiciebatur, in clypeo item, gladio, atque alibi paſſim. Sic *Aventinus* apud *Virgilium*:

— — — *clypeoque inſigne paternum,*
*Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus hydram.*

Ac ſimile quidquam de multis antiquitatis gentibus obſervatur,

 atque

atque exemplis pariter additis illustratur. Ad notas generales quod attinet, quælibet gens habebat nonnihil, quod rem præcipuam cultus sui designabat. Sic Persarum erat sol, numen unicum hujus regni, Romanorum aquila, propter reverentiam, quam Jovi, Deorum parenti, exhibebant, Athenienfium noctua, dum *Minervæ* inprimis sacra faciebant, atque ita porro. Neque tamen omnino deerant populi, quorum insignia solis coloribus distinguerentur. Ita & apud Gallos vexillum cœruleum erat S. *Dionysii*, rubrum S. *Martini*, ac deinceps album. Horum quoad quodvis in usu fuit, color pertinebat ad populum Gallicum designandum, qui habuit adeo successu temporis sibi proprios, post etiam inter se mixtos. Inde & insignia vestium originem trahebant, quæ quo sint tempore ortæ, non liquet. Accidit illis sine dubio, quod aliis consuetudinibus, quæ sensim invehuntur, & exigua sæpius scaturigine, nec posthæc apparente, emanant. Undecimum forte Seculum istis poterit assignari, quo tempore expeditiones in Palæstinam sacræ suscipiebantur. Probat Autor affectum suum diversis vocabulis, ex lingua Arabica in Heraldicam artem translatis, quæque ante istas expeditiones in usu fuisse haudquaquam videntur. Provocat hac occasione ad Dissertationem suam de insignibus militaribus Gallorum, *Mercurio Gallico* insertam. Neque vero bella Asiatica primam originem dederunt, quæ sane antiquior est, sed hæreditaria tantum ejusmodi vestium insignia fecerunt. Nec etiam soli sunt Christiani, qui signa distinctionis vestibus suis indiderunt, sive addiderunt. Ipsi antiqui Principes torques aureas portabant, & subjectis etiam sibi carioribus largiebantur liberaliter. Talem *Pharao* jam dedit *Josepho*; ut & equestris apud Romanos ordo annulos portabat tantum non omnis. Sed, dum vult certius habere Autor, ubi pedem figat, mox redit ad expeditiones, quas cruciatas vocant, & in quibus opus erat, ut diversarum gentium exercitus certiora signa haberet, quibus per species suas dispesceretur. Relatum legimus, quod *Philippus Augustus*, Gallorum Rex, in Orientem proficisci voluerit cum *Richardo*, Anglorum Rege, & *Ferrando*, Flandriæ Comite. Tunc quilibet eorum sibi suisque alium crucis colorem eligebat, rubrum

brum Gallus, Anglus album, viridem Belga. Proceres harum gentium alii tres illos comitabantur, stipati quamplurimis, quibus intererant Nobiles pariter ac Barones, & quorum, præter communem colorem, clypei partes habebant pictas animalium, atque aliarum figurarum, quas primates totas præ se ferebant. Sed tot huic libro insunt notatu digniora, ut longum foret, singula referre. Filum igitur abrumpimus, minime dubitantes, fore, ut quilibet ejusmodi rerum atque argumentorum legitimi *æstimatores* ipsum librum non evolvant solum, sed & a capite ad calcem, quod ajunt, perlegant. Si quid autem est, quod quis forte mallet emendatum, circuitionum sine dubio longitudinem appellaret, & ordinem desideraret paululum adstrictiorem.

## ELOGES DE QUELQUES AUTEURS FRANCOIS.
hoc est,
## *ELOGIA ALIQUOT GALLORUM INGEnio clarorum.*

Divione, apud P. Marteretum, 1742, 8.
Alph. 1 plag. 8.

Succedere velle videtur Autor hic *ἀνώνυμος* in locum *Niceronii.* Adeo & studiose, & feliciter, hujus insistit vestigiis. Imo ejus diligentiam superare videtur, dum Catalogis librorum inserit judicia de iis doctissimorum virorum, eaque, licet interdum copiosius exposita, ad verbum exhibet. Imitatur & in eo *Niceronium*, quod Vitis, a se contextis, immiscet Vitas, a suis amicis compositas. Hoc scilicet in volumine tres occurrunt Vitæ, ab ipso non scriptæ, *Mich. Montani*, *Dalecampii*, & *Brossinii*. *Francisci* vero *Bruysii* Vitam exhibiturus hic loci non erat, si scivisset, post mortem *Niceronii* (ad hunc enim eam miserat,) ejus *Tomo quadragesimo secundo* eam insertum iri. Hæc e Præfatione cognovimus. Ingredimur nunc ipsum Opus, in quo *pag. 1-84* exhibetur Vita *Claudii Caspari Bacheti de Meziriac*, m. 1638 d. 26 Februarii. Multa hic refelluntur, quæ alii de eo prodiderunt memoriæ. Multos item

 libros

libros ejus nondum editos commemorari videas. Edita sunt ejus *Problemata arithmetica, Poemata* Gallica, Latina, & Italica, *Vita Æsopi*, Versio Gallica metrica *Epistolarum Ovidii*, una cum insigni Commentario, quem & nos recensuimus *A. 1716 Mens. Oct. pag. 447 seq.* Edidit etiam cum amplissimo Commentario *Diophanti Arithmeticorum* sex Libros. *Pag. 85 - 117* vita *Francisci Bruysii*, m. 1738 d. 21 Maji, profertur. Cum vero ea & in *Niceronii Tomo XLII* (uti jam dictum,) reperiatur, in hujus *Tomi* recensione eam jam satis copiose persecuti sumus. *Pag. 118 - 125 Andreæ Renaldi*, Theologiæ Doctoris, Lugduni A. 1702 exstincti, scripta laudantur. De vita enim ejus perpauca Nostro sunt cognita: qui proinde optat, describi eam ab alio copiosius. Edidit autem *Renaldus* ille non solum librum de præparatione ad mortem sub titulo *Mortis quotidianæ*, sed etiam *Judicium de judiciis de virgula divinatoria*; praetereaque *de Gallico stilo* librum, in quo & judicium fert de clarioribus stili Gallici artificibus, qui vel in prosa, vel in arte poetica, excelluerunt. *Pag. 125 - 149* Vita *Michaelis Montani*, m. 1592 d. 15 Sept., describitur. Autor hujus libelli est *Boubierius*, ille multa magnaque laude in orbe literato florens Præses Parlamenti Burgundici. Excerpta est hæc Vita maximam partem ex ipsius *Montani* opere notissimo; cujus & editioni illi, quæ A. 1739 Londini prodiit, jam inserta est. Ac laudari meretur hic Vitæ *Montani* scriptor eo nomine, quod non utitur calamo panegyrico, sed vere historico, verissimam describens *Montani* imaginem. Fatetur igitur, ex ejus opere manifestum esse, ipsum fuisse ostentatorem maximum, multa item scripsisse Christianis doctrinis moribusque repugnantia. *Pag. 150 - 231* reperimus Vitam *Petri Richeleti*, m. 1698 d. 19 Novembris. Hic initio fuit Advocatus Parlamenti Parisiensis; postea totum se dedit culturæ linguæ patriæ, cujus & magistrum aliis se præbuit per annos plurimos. Quo studio cum sibi amicos pararet multos, satyrica sua maledicentia aliorum multorum incurrit in odium. Notat etiam Noster ejus obscenitatem stili, in ipsius *Lexico* larga manu dispersam. Nec vero in viliores solum animas, sed etiam in præstantissimos aliquot viros, æmulatione

latione scilicet stimulante, dicacitatem suam exercuit. De ejus *Dictionario Gallico pag. 184-204* agitur, ac simul diversorum de eo recensentur judicia. Cum vero & *Dictionarium rhythmicum* emiserit, hac occasione Noster *pag. 170 seq.* cetera quoque, a Gallis composita, hujus generis Dictionaria recenset accurate. *Pag. 232-259* Vita prodit Abbatis *Philiberti Papillonii*, m. 1738 d. 23 Februarii. Hoc Noster usus est familiariter; quare non solum ejus dotes ingenii, sed etiam virtutes morales, quas insignes habuit, ingenua fide describit. Excelluit *Papillonius* in Historia literaria, adjutrice usus Bibliotheca, quam sibi compararat ditissimam. Patriæ vero inprimis memor conscripsit *Historiam literariam Burgundiæ*; quam, a morte ejus editam, nos quoque in his *Actis* proxime recensebimus. *Pag. 260-335* describitur *Armandi Joannis Plessæi Richelii*, m. 1642 d. 4 Dec., vita literaria. Cum enim observaret Noster, de Cardinalis hujus rebus in re publica gestis exstare multorum commentarios, ipse scriptorum ejus notitiam dare animum induxit; quod quidem nondum a quoquam factum erat. Brevem tamen vitæ ejus historiam, ab historia administrationis regni sejunctam, præmisit, multas simul tollens circumvagantes de *Richelio* fabulas. Exhibet item duo ejus Epitaphia, quorum prius, quod nonnulli a *Grotio* contextum fuisse credunt, non solum multum ingenii, sed nec nihil satyrici salis, habet. Hinc uberius exponit consilium *Richelii*, adjutore *Laurentio* quodam Reformatos Gallos traducendi in suam ecclesiam; quod quidem consilium, cum juxta vitæ finem demum a Cardinale initum esset, cum ipso sepultum est. Catalogum eorum, quæ scripsit, eum in modum concinnavit Noster, ut omnes singulorum commemorentur editiones, versiones Latinæ, refutationes, epicrises. Inter alia *pag. 323 seq.* pluribus docet, *Historiam matris & filii* (hoc est, historiam *Ludovici XIII* & matris ejus,) *Richelium* habere compositorem, non, quod quidam sibi persuaserunt, *Mezeræum*. Memorantur hic etiam scripta *Richelii* nondum edita, &, quibus asserventur in scriniis, docetur. Mirum vero, nondum a Gallo quoquam conjunctim edita esse *Cardinalis Richelii Opera omnia*. *Pag.*

*336-349* legimus Vitam *Caroli Lotharingi*, Cardinalis, m. 1574 d. 26 Decembris. Sed nec hujus viri tota exhibetur historia, sed id potissimum agitur, ut notitiam scriptorum ejus accipiant literati homines. *Pag. 350-368 Jacobi Dalecampii* Vitam habemus expositam, mortui A. 1588 ipsis Calendis Martiis. De vita quidem ejus afferuntur perpauca; at de libris, ab eo editis, tam multa, ut vel avidissimi lectoris desiderio satisfactum esse videatur. *Pag. 369-400* accipimus Vitam *Georgii Brossini*, vulgo appellati *Chevalier de Méré.* Menti o anni illius, quo diem vidit supremum, hic omissa est. Ac nos quidem facile caremus hac notitia, cum scriptor ille solis Gallis scripserit; quibus adeo gratius fecit Noster, quam exteris, ejus libellos producens in hanc scenam. *Pag. 401-427* jucunde legimus relatam Vitam *Gabrielis Danielis*, m. 1728 d. 23 Junii; qui, cum *Historia Franciæ* tam illustre nomen ipsi pepererit, alios præterea libros reliquit varia eruditione refertissimos. Postremum locum merebatur *Joannes Harduinus*, m. 1729 d. 3 Sept. Hujus verius mirabilis, quam admirabilis, ingenii fœtus summo studio, interjectisque censuris, recensentur *pag. 428-469.*

## *MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata. Edendi consilium suscepit, sua nonnulla passim addidit, Præfationem præmisit, FRID. OTTO MENCKENIUS, Ph. & J. U. D.*

## *Voluminis II Pars I.*

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium, 1743, 8.

Plag. 12.

Procedimus jam, favente Deo, ac suffragantibus rei literariæ cultoribus, ad *Volumen Miscellaneorum alterum*, gaudentes de successu laborum nostrorum maxime secundo. Præfationem, qua institutum, ejusque continuationem, formam, & usum, edisseruit *Menckenius*, attento Lectori tradimus perlegendam.

gendam. Scenam tractationum aperit *Petri Zornii Differtatio de certorum Temporum in jugi facrificio, apud Ebræos offerendo, & caufis, & myfteriis.* Norunt facile univerfi, Judæos, ftante religione *Mofaica*, olim fingulis diebus agnos duos, unum luce vix exorta, alterum advefperafcente cœlo, loco victimæ folidæ concremaffe. De die facra fuerunt expedita Judæorum. Secus rationes agendi fuas inftituerant reliquarum gentium facerdotes, quippe qui mortuis inferisque nocturna fecerunt facra. Utrumque facrificandi tempus Judaicum vocatur a Judæis Mincha, eoque & ferta & fuffitio facra venerunt in cenfum. Quæritur, de quonam fuffiendi tempore, an matutino, Pag. 5.
an vefpertino, fiat mentio *Luc. I, 9.* Adftipulatur Nofter *Abrahamo Sculteto*, ac, ob locum *Dan. IX, 21*, ad fuffitum vefpertinum refpici, oftendit. An Jefus, poftridie in crucem 9.
actus, agnum pafchalem cum fuis comederit, definire haud audet. Præceptum fuiffe Judæis a Deo, ut precibus intenti effent, contra *Volckelium* docet; preces vero, Minchæ additas, ab *Esdra* arceffit, quantum ad formulas earum attinet, ratus, Jefum tempore Minchæ vefpertinæ, in cruce demortuum, facrificiis impofuiffe claufulam & finem; Judæorum vero fuiffe, cultum de die divinum peragere, ut, fuperftitiones cultus nocturni a fe alienas effe, ipfi demonftrarent. Excipit hanc Dia- 13.
tribam *Gottlobii Frid. Gudii de Sadducæorum in Judaica gente autoritate Diff. hiftorico-critica*, quæ cum Pl. Rev. Viri controverfia & certamine eft conjunctiffima, ipfi cum Cel. *Conrado Ikenio* intercedente. Contenderat Vir hic pofterior, quem femper collaudamus, Jefum morti vicinum interfuiffe agno comedendo pafchali ob Sadducæorum autoritatem. Operæ itaque pretium duxit Nofter, in illam autoritatem curatius inquirere, quam quippe nullus ex profeffo adhuc fibi putavit difcutiendam. De Karæis, quibus Rabbanitæ nomen Sadducæorum nonnunquam impofuerunt, non differit Cel. Autor. Cum eis, qui, reditionem mentium in corpora ex- 17.
uta fieri ullam, negarunt, ipfi res eft. Karæorum natales ex Sadducæis derivat. Νομικὸς & γραμματεῖς pro hominibus reputat eisdem, ipfosque e numero Pharifæorum ex-

 ftitiffe,

Pag. 20. ſtitiſſe, exiſtimat, inductus loco *Act. XXIII, 9.* Ad tantam
excreviſſe autoritatem Sadducæos, ut ipſis a Phariſæorum for-
mula, ſecundum quam cultus publicus erat exercendus, rece-
dere licuerit, inficiatur, præeunte *Joſepho Ant. XVIII, 1, 2.*
Iis, quæ objici poſſunt, argumentis ſeſe accingit diſſolvendis.
An Chriſti in crucem ſublati ætate Sadducæorum tanta fuerit
28. autoritas, ut ipſi modum cultus religioſi in templo vel arbi-
tratu ſuo obire, vel publice determinare, valuerint, id vero an-
quirunt viri doctiſſimi. Negando cauſam expedit Noſter, ra-
tus, fruſtra eſſe eos, qui, Chriſtum exemplo Sadducæorum
citius uno die, quam Phariſæos, paſchalibus epulis uſum fuiſſe,
contendunt. Jeſus certe encænia, a Maccabæis inſtituta, ce-
lebravit, a quibus abſtinendum eſſe cenſuere Karæi. Succe-
30. dit huic Commentationi, lucernam olenti, *Jo. Chriſtoph. Ha-
renbergii Diſſ. philoſophica de eo, an permiſſio mali moralis ſit
Deo inconveniens & aliena; in uſum philoſophantium Deiſta-
rum.* Ipſe in id vires ingenii contulit, ut molem peccatorum,
quibus inundatum eſt genus humanum, cum providentia & gu-
bernatione Dei componat, ac, permiſſionem mali moralis Deo
haud eſſe inconvenientem, demonſtret. Primo quidem, dari
duo principia æque æterna, negat, demonſtratione apogogi-
ca una & altera uſus. Tum vero, quid Deum deceat, quid
48. perfectioni illius conveniat, oſtendit, addens, permiſſionem
mali a decreto & decentia Dei haud eſſe removendam. Fieri
poſſe, ut mens creata peccet & aberret a fine ſibi præſtituto,
51. oſtendit ex ejus finitudine. Deum decuiſſe id, ut ipſe homi-
nem inſtruxerit libertate, indicat. Homines, recens creatos,
in bono confirmatos fuiſſe, negat. Peccati, defectus quippe
moralis, cauſam exiſtere æternam & perfectiſſimam haud poſ-
ſe, oſtendit. Sententiam *Joannis Gerhardi,* de mali permiſſio-
55. ne expromtam, laudat. Rationes, cur Deus permiſerit mala
moralia, ex *Nemeſio* recenſet. Addit exemplum *Joſephi,* Pro-
regis, in quem ut fratres peccarent, Deus permiſit, familiæ
integræ proviſurus. Cacodæmonem dari quendam minus crea-
tum, pronuntiatis ſacri Codicis præmunitus, inficiatur, ratio-
61. niſque conſulta adjungit. Creatum fuiſſe quidquam ante mun-
dum,

dum, pernegat. Quam ob caussam diabolus vocetur *homicida ab initio*, expedit ac definit. Tandem historiam de permisso peccato primo *Mosaicam* longe lateque excutit, objectionibus ultro citroque in eam immissis obnitens, & responsiones obmoliens. Diabolum dici ipsum inibi serpentem, demonstrat. Po- Pag. 68.
tentiam esse diabolo quandam in corpus humanum, contendit exemplis, testimoniis, & sacri Codicis pronunciatis. Verisimile esse putat, exercitibus cœlestibus, seu angelis, certos initio per stellas assignatos fuisse principatus, ac diabolos peccantes in atmosphæram telluris esse dejectos. De esca pomi exitiosa 73.
longus est in disputando. Deum multifariam impedivisse & impedire peccata, docet. Diluvii universalis miseriam, ejusque 78.
originem, contemplatur, atque eam in numero modorum, quibus Deus peccata impedit, recenset. Fœdus Dei, cum primis parentibus initum, collustrat, atque modum, quo labes eorum cessit in perniciem universi generis humani, ex doctrina, qua Philosophi evolvunt & illustrant imputationem peccati alieni, edisserit. Subjicit pauca de modo, quo Jesus ad removendam eam imputationem in sese suscepit pœnas peccatorum, ac imputationem novam opposuit antiquæ. Postea attentionem 93.
Lectoris provocat *Joannis Conradi Schwarzii Observatio de Crethæis & Plethæis, eorumque patria.* Fit de eis mentio *1 Reg.* 95.
*XXX, 14, 16, 2 Reg. VIII, 18, 3 Reg. I, 38,* & *1 Par. XVIII, 17.* Crethæi commemorantur *Sophon. II, 5,* & *Ezech. XXV, 16,* ac ab Alexandrino interprete *Cretes* dicuntur. Targumista secum ipse pugnat, nec certi aliquid habet. Judaici Commentatores, ubi pedem figas, haud tradunt. Licentiosas horum fictiones Autor felici conatu solideque profligat. Oppidum Minoam, *Gazæ adjacentem*, non a *Minoe*, sed ex מניע, dictam 104.
fuisse, ostendit. Cretenses in Philistæam commigrasse quosdam, quæ *B. Lakemacheri* erat conjectura, negat. *Marnas*, Gazæorum Deus, existimatur ipsi dictus ex הרה, quasi Deus *fœminas reddens gravidas.* Crethæos vero appellatos fuisse ex Creta, Philistæorum regione, tradit. Plethæos habet pro 108.
gente Philistæa, Crethæis vicina. Hinc *C. A. Heumanni Recensio Epistolarum familiarium Joannis Trithemii* in censum ve-

nit. Perpaucis eas vidisse licuit. Gratum igitur fecit rarissimi ferculi administer, qui potissima ex eis decerpsit, & bellariorum apposuit loco, post epitomen unam & alteram, a *Richardo Si-*
Pag. 110. *monio* suppeditatam. Prodierunt Epistolæ illæ, a libro uno Epistolarum ad diversos diversæ, Haganoæ A. 1536, 4, Alph. 1 plag. 22, ex officina *Petri Brubachii. Tritemius* ubique in eis scribitur, non *Trithemius. Duobus Libris* illæ continentur. *Prior Epistolas* habet *79, posterior 60.* Confessio ingenua est, quæ legitur *pag. 61: Nostri concionatores majore in numero crebrius*
114. *Philosophos gentilium, quam Christi Apostolos, allegant.* Artis typographicæ inventionem tribuit Moguntiæ *pag. 175 & 305. Henricum Northeimensem* laudat *pag. 189*, e quo *J. A. Fabricius* duos fecit scriptores. Abbatiam Spanhemensem libris instruxerat copiosis *Trithemius pag. 196*, quos successor *Nicolaus* divendere studuit *pag. 310. Joannes* ille matrem nactus fuit *Elisabetham de Longovico*, patrem *Joannem de Heidenberg*, eque-
119 stri dignitate insignem. De *Philostrati Vita Apollonii Trithemius* ex vero judicavit. Ipse *Joachimum*, Electorem Brande-
121. burgicum, mensibus novem docuit Berolini. Fatetur *pag. 303*, sibi crimen magiæ fuisse immerito impactum. De magno illo, sed & malæ famæ, Medico, Doctore *Fausto*, certa commemoravit *Trithemius.* Docet, illum Geilenhusæ & Wirciburgi egisse, Crucenaci scholæ præfuisse ad tempus, ob pæderastiæ crimen inde fuga sibi consuluisse, ac se nominasse *Magistrum Georgium Sabellicum Faustum Juniorem.* Singula, exinde de-
125. cerpta, memoratu sunt admodum digna. Coronidem Fasciculo huic imposuit *Frid. Otto Menckenius*, cujus hic apparent *Voces aliquot Latinæ, quæ in Lexicis vulgaribus frustra quæruntur, ex priscis Autoribus collectæ. Pars prima* earum luci jam in præsens exponitur, cui præmissa est oratio de utilitate hujus instituti brevior, quam excipit recensio *patronymicorum & genti-*
129 seq. *lium nominum.* En eorum cohortem primam. Prodeunt hic in aciem *Æolis, Ætolis, Amarynthis, Apollonias, Arabus, Argeus, Ascræus, Aventinum, Barcinus, Bastarna, Boius, Cæcubus, Cæninus, Cæninensis, Cepheius, Cilnius, Cluilius, Cythereus, Danaus, Demetriacus, Edessæus, Flaccianus, Gnosias, Gordiensis,*

*Gordienſis*, *Icarius*, *Illyrius*, *Interamnas*, *Iſthmicus*, *Iſtricus*, *Ithacus*, *Itonius*, *Ledæa*, *Leontini*, *Liguſtinus*, *Mæſius*, *Magnetis*, *Methymnias*, *Nemæa*, *Nepeſinus*, *Niſias*, *Numida*, *Oſcenſis*, *Pæon*, *Parthus*, *Papirianus*, *Pergamum*, *Perſis*, *Phalaſarneus*, *Phylleius*, *Piſiſtratidæ*, *Popilius*, *Potitius*, *Romularis*, *Schœneis*, *Schœneius*, *Sentinas*, *Seſtus*, *Silvius*, *Sygambra*, *Tarquinius*, & *Vicilinus*, unde *Jupiter Vicilinus* reſtat apud *Livium XXXIV, 44.* Hæc eſt compendioſi Lexici ſumma, quam in uſus ſuos convertent ſcriptores Lexicorum Latinorum, niſi fallimur vehementer. Quærimus autem ex viris eruditæ civitatis, quotquot antiquitatibus Latii favent inveſtigandis, quænam ſit ratio, quid cauſæ, cur Jupiter cognomen *Vicilini* impetraverit. Qui clare & ſolide ſatisfecerit quæſtioni propoſitæ, eum & laudibus & obſervantia proſequemur, immo, ſi maluerit, is *Phyllida ſolus habeto.*

PROSE E RIME AL SERENISSIMO PRINCIPE PIETRO GRIMANI, Doge di Venezia, nel giorno anniverſario della di luì incoronazione, &c.

id eſt,

*PROSÆ AC POETICÆ ELABORATIONES AD Sereniſſ. Principem, PETRUM GRIMANUM, Venetiarum Ducem, in die ejus anniverſario inde a coronationis ſolennitate, collectæ per Doctorem AMBROSIUM.*

Venetiis, in Typographeo novo Joannis Baptiſtæ Regozzæ, 1742, 4.

Plag. 12.

Anni 1741 die 30 Junii *Petrum Grimanum* Principem Sereniſſimum fuiſſe Venetiis electum, ac ad ſublime inter mortales faſtigium aſcendiſſe, conſtat inter omnes. Anniverſariam tam ſolennis diei lætitiam celebrarunt jure meritoque ſuo viri ſummi. Editor doctiſſimus, & ingenii elegantia inprimis commendabilis, præmiſit panegyricum ſuum ſermonem, cujus exordium deducitur ex illo *Horatii Lib. I Ep. 46*: *Tene magis populus velit, an populum tu*, incertum. Dignus

gnus sane est Princeps, cui sui, cui omnes, cui & nos, culmen tantum, tantumque dignitatis divinæ apicem, gratulemur. Panegyrico subjuncta apparent exquisitissimæ artis Carmina, quorum Autores tantum eis indiderunt splendoris, quantum ipsa trahere debebant lucis ex gloria & fama eorum
Pag. 27. virorum, a quibus profecta sunt. Enitent enim hic nomina *Joannis Antonii Vulpii*, quem persæpe laudavimus, *Hieronymi Baruffaldi*, *Jacobi Agnelli*, *Julii Cæsaris Beccelli*, Comitis *Josephi Fiettæ*, P. *Joannis Petri Bergantini*, P. *Carmelli*, D. *Natalis dalle Laste*, *Joannis Stephani*, Abbatis *Matthæi Valentinis*, Equitis *Lucii Zappi*, *Georgii Seffennæ*, atque ipsius Editoris. Quæ universæ Musarum deliciæ Italico sermone compositæ fuerunt.
63. Excipit eas *Angeli Schiavetti, Canonici, in Gymnasio Patavino Lo-*
68. *gicæ ac Metaphysicæ Professoris, Oratio Latina*, qua significatur, Sereniss. Principem quidem summa ac præstantissima consecutum esse, semper tamen semet dignum præbuisse, qui summa consequeretur. Celebrat Orator vitam Principis omnem, eamque gloriosam, veluti in tabula convenientissimis coloribus pictam,
70. repræsentat, non omittens ejus legationes, ad *Annam*, Angliæ Reginam, & *Carolum VI*, Imperatorem, olim susceptas, Sexviratum 22 annorum, templi S. *Marco* consecrati procurationem non semel ad eum delatam, dignitatemque summam tandem hisce or-
84. namentis superadditam. *Petrus Grimani, Eques, ac Divi Marci Procurator*, fundit hoc purum Anagramma: *Qui divina cura*
94. *Venetiarum Princeps rogatus est.* Excipiunt Orationem *Joannis Antonii Vulpii*, *Francisci Angeli*, aliorumque, Carmina Latina, eisque insertum est *Elegiacum Græcum Antonii* Equitis *Cretis*, qui Patavii literas docet Græcas. Clausulæ loco est *Halievticon* Abbatis *Sirantis Melichii*. Præcones justissimarum laudum præstantissimos invenit Dux Serenissimus. Quæ felicitas est tanta, ut major appellari excogitarique haud possit.

## *EORUM, QUÆ IN EMENDANDIS ET ILLUstrandis Pandectis Florentinis præstitit olim Clarissimus doctissimusque Vir, HENRICUS BRENCMANNUS, brevis, sed accurata, descriptio.*

Insignem

Insignem olim ab egregio & multis in Jurisprudentiam elegantiorem meritis illustri Viro, *Henrico Brencmanno*, in describendis æque ac emendandis *Pandectis Florentinis*, nobili illo venerandæ antiquitatis monumento, positam industriam fuisse, unde, si in fatis Viro bono, sed infelici, hoc fuisset, ut salvus integerque absolveret hunc laborem, sine dubio ad doctorum hominum rempublicam eximii redundassent fructus, Lectorum fortasse pauci ignorant. Dolendum autem nunc est iis omnibus, qui humaniorum literarum honori bene cupiunt, spem illam, de *Brencmanni* studio & doctrina conceptam olim, immatura, &, ut fama fert, tristissima, ejusdem morte adeo in irritum cecidisse, ut, nisi Deus aliquis vehementer nos amet, vix unquam hæc, quæ, magno antiquarum legum commodo, a Viro optimo confecta sunt, proditura in lucem videantur. Sunt enim hæc, exstincto *Brencmanno*, translata in Bibliothecam Amplissimi *Bynckershœkii*, nuper autem, hoc etiam Viro magno ad Superos evocato, auctione publica nescio cui vendita, qui, si bono in literas animo fuerit, non hæc, luci nata, perire in tenebris patietur; sin, morem ætatis sequi, & sibi soli hæc servare, rectum & gloriosum duxerit, non aliam, ac tot pulcherrima habent opera, huic thesauro sortem ominamur. Interim, cum ex *Catalogo Bibliothecæ Bynckershœkianæ*, haud ita pridem edito, cognoscere eorum omnium, quæ collecta sunt aut eam in rem literis consignata à *Brencmanno*, rationem liceat, operæ facturi pretium videmur, si hæc ipsa, paucis, ni fallimur, inter exteros inprimis, nota, hic, tanquam in æternos annales redacta, breviter, sed accurate, describamus. Nimirum omnis illa literaria supellex *Voluminibus viginti* continetur; quorum primum sistit 1) Pandectas Florentinas, Florentiæ apud *Torrentinum* A. 1553 editas, cum Notis perpetuis MStis *Henrici Brencmanni*: quod Opus digestum est in *Volumina quinque*; 2) Notas ad XI priores Pandectarum Libros, volumen spissum in folio, conscriptum manu *Brencmanni*, & continens Notas varii argumenti, maxime criticas; 3) Notas ad Librum XII & sequentes Pandectarum usque ad Librum XXXVII, volumen spissum in folio, conscriptum manu *Brencmanni*, continens Notas argumenti maxime critici; 4) Notarum marginalium in

Pande-

Pandectas Supplementa, volumen in 4, divisum in duas partes, conscriptum manu *Brencmanni*; 5) Βασιλικῶν cum Pandectis Florentinis collationem, volumen in folio, scriptum manu *Brencmanni*, præter 12 priores paginas, conscriptas manu *Salvinii*; 6) Pandectarum Florentinarum cum *Taurelliana* editione collationem, opus in Folio scriptum manu *Brencmanni*, sed in quo hic illic apparet manus *Salvinii*; 7) Fontes mendorum in Pandectis Florentinis, volumen spissum in 4, scriptum manu *Brencmanni*; 8) Observationes criticas ex ipso Pandectarum Codice, quæ pertinent ad fontes mendorum, volumen in 4, satis spissum; 9) Fontes errorum de literarum permutationibus, omissionibus, & adjectionibus, volumen in 8 charta majori; 10) Observata a *Lælio Taurello*, quæ ad Crisin pertinent in editione Pandectarum Florentinarum, volumen in 8; 11) MStorum Pandectarum difficilioribus in locis collationem, volumen in 4 minoris formæ, continens varias variorum Codicum lectiones; 12) ad Syntaxin Pandectarum pertinentia, volumen in 4, continens Grammaticalia ad Pandectas; 13) Orthographiam Pandectarum, volumen in 4, nitide conscriptum, in quo omnia videntur absoluta, & ad prelum parata; 14) Græca in Pandectis, opus in 4 satis spissum, continens Observationes & Emendationes in Græca Pandectarum, fontes mendorum in Græcis, &c. 15) Observationes miscellaneas in nomina quædam propria Pandectarum, volumen spissum in 4, nitidissime conscriptum; 16) Extemporalia in Pandectas, volumen in 4, continens conjecturas sive observationes extemporales ab initio ad finem Pandectarum; 17) Observationes & emendationes Pandectarum, volumen in 4, continens varia capita observationum varii argumenti, conscripta manu *Brencmanni*; 18) Opuscula varia, volumen in 4, continens separata quædam volumina, observationes & emendationes, Dissertationes, aliaque ad Pandectas; 19) Notas selectas ad Pandectas *Cornelii van Bynckershœk*, quas ex adversariis suis cum *Brencmanno* communicavit, volumen in 4, non magnæ molis; 20) *Caroli Andreæ Dukeri* Animadversiones ad Notas *Brencmanni* in Pandectas, volumen in 4, Cl. *Dukeri* manu conscriptum.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Februarii Anno MDCCXLIV.*

---

## *ATLAS NOVUS COELESTIS, IN QUO MUNdus ſpectabilis, & in eodem tam errantium, quam inerrantium, ſtellarum phænomena notabilia circa ipſarum lumen, figuram, faciem, motum, eclipſes, occultationes, tranſitus, magnitudines, diſtantias, aliaque, ſecundum Nic. Copernici, & ex parte Tychonis de Brahe, hypotheſin, noſtri intuitu ſpecialiter, reſpectu vero ad apparentias planetarum indagatu poſſibiles e planetis primariis & e luna habito generaliter, e celeberrimorum Aſtronomorum obſervationibus graphice deſcripta exhibentur a JO. GABRIELE DOPPELMAIERO, Academiarum Imperialium Leopoldino-Carolinæ & Petropolitanæ, Societatumque Reg. Scientiarum Britannicæ & Boruſſicæ, Sodali, nec non Profeſſore publico Mathematum Norimbergenſi.*

Norimbergæ, ſumtibus Hæredum Homannianorum, 1742, fol. maj.

Plag. 1, Tab. 30.

Jam ante aliquot annos opera & ſtudio Clariſſimi Mathematum Profeſſoris Norimbergenſis, *Jo. Gabrielis Doppelmaieri*, ex officina *Homanniana* ſigillatim prodire cœperunt chartæ, ad modum Mapparum geographicarum de tabulis æneis deſcriptæ, & variis coloribus pictæ, in quibus ea, quæ cum ad fixarum ſtellarum hiſtoriam, tum ad planetarum & cometarum hiſtoriam atque theoriam, pertinent, oculis ſiſtuntur. Eas nunc

omnes, XXX numero, in unum volumen collectas, amœnissimum oculis Astrophilorum spectaculum, iterum ediderunt *Homanni* Hæredes, præmissa iisdem unica plaga typis descripta, quæ supra appositum hujus Operis titulum & indicem Tabularum continet. Prima Tabula sistit sphæram mundi, cum circulis, tam primariis, quam secundariis, punctis & lineis notabilioribus, in triplici ejus situ, recto, obliquo, & parallelo. Secunda spectandum præbet systema solare & planetarium *Copernicanum*, ex mente *Christiani Hugenii.* In margine hujus Tabulæ inter alias figuras, ornatus causa appictas, duæ comparent, quarum prima magnitudinis Planetarum ad Solis corpus rationem geometrice exhibet, altera integrum tractum eclipsis terræ 12 Maji A. 1706 per eas terræ regiones, quibus plena obscuratio contigit. Tertia Tabula idem systema exhibet, secundum *Tychonis de Brahe* atque *Riccioli* hypotheses exstructum, systema Ægyptiacum, & magnitudinem Planetarum, tam secundum *Tychonem*, quam secundum *Ricciolum.* In quarta Tabula exhibentur Schemata, ad theoriam motus planetarum primariorum, tam ex *Kepleri*, quam *Sethi Wardi*, *Ismaelis Bullialdi*, & *Nicolai Mercatoris*, hypothesibus ellipticis demonstrandam pertinentia. Horum schematum breves explicationes in margine Tabulæ traduntur; quod & in præcedentibus ac sequentibus Tabulis factum esse, hic semel monendus est Lector. Quinta Tabula ostendit phases omnium planetarum nostri systematis, nec non annuli Saturnini, e tellure spectatorum, dierum & noctium nostrarum varietates, Veneris variam faciem secundum *Cassini* & *Blanchini* observationes, zonas & maculas in Marte ex *Hugenii*, *Cassini*, *Hookii*, & *Maraldi*, observationibus, fascias & maculas Jovis secundum *Hugenium*, *Hookium*, & *Cassinum*, & denique Saturni faciem secundum diversas veterum & recentiorum observationes diversam. Uberiori explicationi quantitatis mutabilis dierum artificialium & solarium ex *Copernicana* hypothesi dicata est, quæ sequitur, sexta Tabula. Ejus latiorem marginem replent figuræ, quæ varia veterum & recentiorum Philosophorum, *Platonis*, *Porphyrii*, *Plutarchi*, *Ptolemæi*, *Jacobi Coccæi*, *Guilielmi Gilberti*, & *Sebastiani Clerici*, com-

commenta de mundi ſyſtemate oculis ſpectanda offerunt. Septima Tabula inſervit *Copernicanæ* explicationi inordinatorum motuum Mercurii & Veneris, inter fixas e tellure apparentium, vero utens exemplo earum periodorum, quas hi planetæ anno hujus Seculi decimo abſolverunt. Eorundem planetarum ortum heliacum matutinum ac veſpertinum, ejusque cauſas, hæc Tabula declarat; duo etiam ſchemata tranſitus eorum per Solis diſcum exhibet. *In octava Tabula ſtationum, retrogradationum, & directionum motus* planetarum ſuperiorum, conditiones & cauſæ ex hypotheſi terræ motæ ad oculum demonſtrantur, & Ephemerides motuum Mercurii, Veneris, Martis, Jovis, & Saturni, inter fixas annis 1708 & 1709 obſervatorum, exhibet, quæ ita ſunt conſtructæ, ut Eclipticam tanquam rectam lineam in ſigna ſua & gradus diviſam, & longitudinis latitudinisque cujusvis planetæ per quaternos denos dies mutationem, ſiſtant. Sequentes Tabulæ duæ planetarum motus in ſyſtemate *Tychonico* contemplandos præbent; earumque prima oſtendit motus *ſpirales inferiorum* planetarum, e motu ipſorum in orbitis ſuis, harumque orbitarum circa tellurem translatione, compoſitos, utiturque pro exemplo motibus ad annum Chriſti præcipue 1712 & 1713; altera periodos trium ſuperiorum planetarum circa terram in primo hujus, quod agimus, Seculi triente ex Ephemeridibus geometrice delineatas ſiſtit. Quas periodos, vel vias, helicum inſtar contortas, nemo, opinamur, poterit ad *Copernicanas* planetarum vias comparare, quin ſe ita ſentiat captum *Copernicani* ſyſtematis ſimplicitate, ut *Tychonicæ* hypotheſi haud gravatim valedicat. Undecima Tabula duplicem exhibet delineationem partis Lunæ nobis conſpicuæ, quarum altera *Hevelio* debetur, ejusque nomenclaturam macularum lunarium ſimul oculis ſiſtit, altera, ex *Riccioli* obſervationibus depromta, *Ricciolica* etiam macularum nomina adſcripta habet. In eadem Tabula diverſæ phaſes Lunæ, earumque cauſa, oſtenſæ ſunt. In ſequenti autem varia comparent ſchemata, inter quæ primo ſunt aliquot diſci lunaris maculæ ſeorſim ita depictæ, uti illæ *Hookio* & *Blanchino* per longiſſima Teleſcopia viſæ ſunt; deinde aliquot ſchemata, quæ explicandis hypotheſibus de motu

Lunæ *Newtoni*, *Horoccii*, & *Tychonis*, serviunt; porro duæ figuræ, quæ librationem Lunæ tam secundum longitudinem, quam secundum latitudinem, ex *Hevelii* observationibus declarant; duæ aliæ, quæ Palilicii figuram in appulsu ad limbum Lunæ mutatam sistunt; unum schema, quod causam tenuis lucis ante & post novilunia in luna conspiciendæ demonstrat; duo denique schemata motus cycloidalis lunæ per utramque dimidiam mensis periodici partem. Tabula decima tertia theoriam ellipsium illustrat. Præcipua hujus Tabulæ schemata sunt Diagramma Hipparchicum pro eclipsibus terræ & lunæ, typus eclipsis lunæ partialis, typus eclipsis lunæ totalis, schema, quod rationem diversitatis eclipsium terræ ex diversa coni lunæ umbrosi longitudine demonstrat, typus eclipsis terræ universalis, typus eclipsis terræ particularis in horizonte quodam, graphica designatio maximi illius, & per universam Europam, magnam Asiæ, & superiorem Africæ, partem extensi, tractus terræ, cui anno hujus Seculi sexto die 12 Maji contigit solis occultatio, schema octuplicis transitus Mercurii sub sole, solis discus cum Venere in eo ab *Horoccio* visa, duæ figuræ, quæ Zodiacum macularum solarium, & aliquas insignes maculas, in sole observatas, exhibent, & duo denique schemata occultationum planetarum primariorum & quarundam stellarum fixarum a luna. Sequens Tabula ad lunarum Jovialium & Saturninarum theoriam facit. Nam primo aliquot notabiles situs harum lunarum inter se & circum planetas illos primarios, tempora earundem periodica, rationem inter diametros orbitarum, quas hæ lunæ circa terras suas describunt, cum semitis, quæ ex motu Jovis vel Saturni in sua orbita & motu satellitum simul oriuntur, oculis exhibet. Deinde causas & conditiones observandarum immersionum & emersionum comitum Jovis & Saturni in umbras vel ex umbris horum planetarum, nec non conditiones eclipsium Jovis & Saturni per satellites eorum, exponit. Denique rationes, ob quas *Cassinus* & *Ræmerus* motum luminis successivum ex observationibus suis de primi satellitis Jovialis immersionibus & emersionibus suspicati sunt, declarat. Decima quinta Tabula inscripta est Basis Geographiæ recentioris astrono-

astronomica, in qua situs locorum insigniorum geographici ea exactitudine, qua celeberrimi Astronomi eosdem ex plurimis luminarium & circumjovialium eclipsibus nobis hactenus suppeditarunt, pro certiori Geographiæ stabilimento positi, designantur. Primum meridianum Cl. Autor hic ponit prope insulam Fer a meridiano speculæ astronomicæ Parisiensis decima sexta æquatoris parte distantem. Quæ sequuntur decem Tabulæ, stellarum *fixarum loca* exhibent, & earum quidem primæ duæ ostendunt utrumque hemisphærium cœli, & stellarum præcipuarum magnitudines, adscensiones rectas, & declinationes ad annum 1730 completum, una cum differentiis adscensionum rectarum & declinationum ad annos 10 & ad unum annum; sequentes duæ eosdem utriusque hemisphærii asterismos oculis iterum sistunt, sed ita, ut stellæ, in illis positæ, ad Eclipticam relatæ sint. In iisdem duabus Tabulis ad latera hemisphæriorum habentur catalogi asterismorum, indicantes, quot cujusvis magnitudinis stellas quilibet asterismus complectatur, & residuus Tabularum margo delineationibus celebrium in Europa specularum astronomicarum ornatus est. Sex autem reliquæ dictarum decem Tabularum continent novam Uranometriam; globum scilicet cœlestem in tabulas planas redactum sistunt; unicuique stellæ in quovis asterismo adscripta est aliqua alphabeti Latini litera; ad has literas, quæ a *Joannis Bayeri* literis diversæ sunt, refertur catalogus fixarum in marginibus earundem Tabularum, qui cujusque stellæ nomen vel locum in asterismo, magnitudinem, longitudinem, ad annum hujus Seculi trigesimum completum, & latitudinem, indicat. Hasce Tabulas, elegantissimas & utilissimas, adhuc jucundiores Astronomiæ amatoribus reddere studuit Cl. Autor, dum in iisdem etiam vias plurimorum Cometarum inter fixas stellas delineavit. Sed Cometarum theoriæ proprie dicatæ sunt, quæ sequuntur, tres Tabulæ. Eorum prima duo insigniora schemata nobis conspicienda præbet, quorum alterum orbitam ellipticam cometæ, qui ad finem anni 1680, & sequentis anni initio, apparuit, ex observationibus methodo geometrica definitam, alterum plurimorum cometarum, per ducentos annos huc usque con-

ſpectorum, orbitas ex Cel. *Whiſtoni* deſignatione, ſiſtit. Reliqua minora ſchemata in hac Tabula ſpectant ad *Kepleri*, *Hevelii*, *Petri Petiti*, & *Joannis Dominici Caſſini*, hypotheſes de Cometis, de qua *Caſſiniana* hypotheſi, ejusque ad loca & tempora Cometarum ſupputanda uſu, Cl. *Doppelmaierus* alibi fuſius expoſiturum ſe pollicetur, quod præſtabit forſitan eo in libro, quem, ut audimus, de univerſa Aſtronomia ad harum Mapparum uranographicarum explicationem conſcribere apud animum conſtituit. Duæ ſequentes Tabulæ exhibent hemiſphæria cœli, boreale & auſtrale, & in iis motus Cometarum, qui ab anno poſt Chriſtum natum 1530 uſque ad annum 1740 apparuerunt, cum octo ſtellis novis, per hoc tempus viſis. Marginem utriusque Tabulæ minora Schemata occupant; quæ partim lumen zodiacale referunt, partim motui fixarum ſtellarum proprio, & parallaxi ſtellæ polaris annuæ, explicandis inſerviunt, partim ad *Horoccii* & *Jacobi Bernoullii* de Cometis hypotheſes ſpectant. Claudunt tandem agmen harum elegantiſſimarum Tabularum uranographicarum duæ, quæ ad Aſtronomiam comparativam pertinent, atque præcipua phænomena motus planetarum, ex Sole, Luna, & quolibet quinque primariorum planetarum, ſpectati, exponunt.

## *SPECIMINA ANALYTICA IN EPISTOLAS Pauli quinque, ratione ordinis temporis, quo ſcriptæ ſunt, priores; inſervientia, conſideratis attente ad ſingulas prolegomenis, inveſtigationi ſenſus, ſcopi, & fili ſermonis illarum; adornata ab HIERONYMO VAN ALPHEN, S. S. Theol. Doct. & in Univerſitate, quæ Trajecti ad Rhenum eſt, Prof. Publ. Ordin.*

## *Tomi II.*

Trajecti ad Rhenum, apud Gisb. a Paddenburg, 1742, 4.
Tom. I Alph. 2 plag. 17, Tom. II Alph. 4 plag. 19.

Conſtitutum erat Viro doctrina, meritis, ætate, venerabili, nunc in beatas animarum cœleſtium ſedes translato, analyſin,

lysin, præmissis prolegomenis, in omnes Epistolas *Paulinas* dare, sed morbus, senectutis incommoda, & labores continui, id ipsum impediverunt. In hoc Opere, duobus distincto *Tomis*, sistit Epistolas *Pauli* quinque, eo ordine locatas, quo exaratas esse judicat. In *priori* exhibet delineationem historicam utriusque *Epistolæ* ad *Thessalonicenses*, subjuncta breviori analysi, cui accedit peculiaris commentatio in *1 Thess. IV, 16*; itemque introductionem in *Epistolam ad Galatas*, cum analysi, tum *generali*, tum *speciali*; in posteriori Epistolam I & II ad *Corinthios*, in quarum priore prolixior est, in posteriori, quam dudum luculentiori commentario illustravit, non æque. *Tomi I Capite primo* præliminari disserit de scriptore, vel scriptoribus Epistolarum ad Thessalonicenses. Inscriptio præfert nomina *Pauli*, *Silvani*, & *Timothei*, quæ in omnibus probæ notæ Codicibus, & plerisque versionibus novis & antiquis, habetur, nec de illa in prisca ecclesia est dubitatum, ut patet ex *Eusebii H. E. Lib. VI Cap. 20.* De αὐθεντίᾳ Epistolarum ne quidem *Marcion* incertus hæsit. Citantur ab *Irenæo, Tertulliano, & Origene.* Ipse *Ignatius* in *Epist.* ad *Philippenses* ad illas allusit. *Pauli* esse, docet stili cum reliquis ipsius Epistolis similitudo. *Paulus* scriptor est primarius, *Silvanus* & *Timotheus* sua adjecerunt nomina, ut, quæ a *Paulo* scripta erant, suis comprobarent suffragiis. De *Paulo* ea tantum affert, quæ ad iter ipsius Macedonicum spectant; Thessalonica quippe celebris Macedoniæ urbs fuit. *Silvanus* est *Silas*, in Apostolorum actibus sæpius nominatus, Græcis *Silas*, Latinis *Silvanus*, dictitatus, notus jamdum tempore Concilii Hierosolymitani, cujus decretum ad Antiochenos, Syros, & Cilices, una cum Barsaba detulit *Act. XV, 22-26*, ac Antiochiæ per tempus aliquod substitit *v. 32.* Inde *Paulo* sese comitem itineris adjunxit, cum eodemque verbera & carcerem Philippis est perpessus *Act. XVI, 19 seq.* adiit post Thessalonicam *Cap. XVII, 4*, Berœam *v. 10*, adfuit *Paulo* Athenis & Corinthi *Cap. XVII, 14, 15, XVIII, 5, 2 Cor. I, 19*, illius etiam meminit *Petrus 1 Epist. V, 12.* *Timotheum* non *Derbensem*, quod *Tillius* existimavit, sed *Lystrensem*, fuisse, cum *Witsio* ex *Act. XVI, 1, 2*, arbitratur, ad Christianam religionem ministerio *Pauli* permotum, cum is Lystram

Pag. 17. 17-18. 18-22.

Pag. 22- Lystram & Derben transiret *Act. XIV, 20, 21. Paulum Timo-*
24. *theum* itineris laborisque socium sibi minus junxisse, cumpri-
mum Derbæ vel Lystris diversaretur, contra *Grotium* docet,
locumque *2 Timoth. III, 10, 11*, quem is excitaverat, examinat.
24-28. *Pauli, Silvani, & Timothei*, nomina conjunctim in fronte locan-
tur, quo illorum concordia testatior fieret, sicque Thessaloni-
censes in veritatis agnitione confirmarentur, ad illiusque amo-
31. rem incenderentur. Rationem etiam reddidit, quare *Silvani*
nomen nulli reliquarum Epistolarum, his exceptis, præmitta-
34. tur, *Timothei* nonnullis, non omnibus. *Caput II* est de *illis,
ad quos scriptæ sunt hæ Epistolæ.* Agit primum de urbe, in-
de ecclesia, in illa Christo collecta. Thessalonica celebris fuit
urbs Macedoniæ, sita ad intimam oram sinus Thermaici, ad
mercaturam peropportuna, olim Therma dicta *Straboni Lib. VII
pag. 507*, & *Stephano de Urbibus pag. 394, 395.* A Therma ve-
ro Thessalonicam distinctam facit *Plinius H. N. Lib. IV Cap. 10*,
quod judiciose ita conciliat Venerandus Autor, utramque for-
te primis temporibus fuisse propinquam, sed sequentibus tem-
36. poribus in unam coaluisse. Nomen repetunt alii a victoria,
quam *Philippus, Alexandri* parens, ibidem a Thessalis reporta-
vit, alii ab illius filia, *Thessalonica*, nomen inditum fuisse con-
tendunt; sed enim, utramque appellationis rationem con-
37. currisse, conjectat, tum ut urbem cognominem faceret filiæ,
tum ut memoriam victoriæ illius maxime longam redderet. In-
clutum hoc emporium adiit *Paulus*, in eodemque civitatem
Christianam condere cœpit, quo inde doctrina Christi per mul-
39. tas Europæ partes spargi posset. Hæc ratio fuisse videtur, qua-
re a Thessalonicensibus nil quidquam acceperit, quæ tamen
jure sibi competere non ignorabat, *1 Thess. II, 5, 6, 2 Thess. III,
7-9*, ne opum colligendarum ergo opulentam civitatem adiisse
censeretur, & Thessalonicenses suos hortetur, ut manibus suis
laborent, nec quis alium in negotiis circumveniat, *1 Thess. IV,
11.* Conversi ex Thessalonicensibus fuerant partim gentiles a *Ja-
peto*, vel illius filio, *Javane*, vel nepote *Chittim*, oriundi, pro-
fanorum Deorum cultui addicti, partim Judæi, qui Thessalo-
nicæ synagogam habuerunt, *Act. XVII, 1.* Num vero *Jason* Ju-
dæus

dæus fuerit, quod *Grotius* & *Braunius* contendunt, domique suæ synagogam aluerit, sine ratione affirmatur, nec constat, hunc eundem esse, qui *Rom. XVI, 21,* nominatur, noster certe domicilium fixum Thessalonicæ habuit. Hic *Paulus* una cum Pag. 39-
sociis suis prima religionis Christianæ semina sparsit; *Grotius* igi- 41.
tur audiendus non est, asseverans, ante *Pauli* adventum sub primis *Caji Caligulæ* temporibus, post supplicium a *Stephano* sumtum, Christianos aliquot eo delatos fuisse, quam sententiam erudite refellit. *Cap. III* inquirit in *ordinem, quo Epi-* 41-56.
*stolæ hæ sunt consignatæ.* Epistola prior ad Thessalonicenses universali fere consensu prima Epistolarum Paulinarum habetur, & ratione temporis posteriorem omnino prævertit; a qua sententia tamen *Grotius* primus omnium discessionem fecit, posteriorem priori ordine temporis præferendo. In hanc sententiam non alia de causa est ingressus, quam quo sic tueri posset, Epistolam hanc non longe ab initio imperii *Caligulæ* consignatam fuisse, adeoque per ἀντικείμενον illum *2 Thess. II, 4,* modo dictum Imperatorem intelligendum esse. Hanc ipsam, ubi quædam de serie Epistolarum *Paulinarum* monuisset, prolixe ac erudite refellit B. *Alphenus*, argumentis satis validis ex his ipsis Epistolis depromtis. *Cap. IV* de *circumstantiis temporis & loci, quibus utraque scripta est ad Thessalonicenses Epistola,* exponit. Locum 56-82.
scriptionis alii, nixi subscriptione, quam Syrus sequitur, nominant *Athenas*, alii, *Corinthi* datam fuisse Epistolam, pertendunt. Noster in priorem propendere videtur sententiam, tum quod subscriptio forte ex antiqua profecta traditione, tum quod *Paulus* ipsum illud *1 Thess. III, 1, 2,* indicet; ita tamen, ut ista temporis intercapedine, qua Corinthi moram traxerit, Athenas secesserit, *inque secessu isto literas scripserit.* Inde ad specia- 83-89.
liorem temporis declarationem accedit, ac e certis quibusdam temporum notationibus, ex Apostolorum commentariis erutis, infert, Epistolam hanc A. 50 Ær. vet. ineunte fere æstate, A. 10 *Claudii*, a morte Christi 18, *Pauli* conversi 17, conceptam fuisse. Inter scriptionem autem prioris ac posterioris Epi- 94.
stolæ anni tantum spatium intercessisse putat, ut hinc exarata videatur A. 51. De loco, unde missa, nihil definit; *Corinthi* fuisse

 consigna-

consignatam, eruditi fere contendunt; Athenas appellat subscri-
Pag. 100. ptio, quæ non temere rejicienda. *Cap. V* de *occasione*, *scopo*, & *methodo scribendi*, agit. Priori Epistolæ consignandæ occasionem suppeditarunt calumniæ gentilium, a Judæis ad odium in Christianos incensorum, hos res novas moliri, eoque niti, ut statum imperii subverterent, adversari imperatori, &c. criminantes. Scopus igitur fuit, ipsos in fide confirmare, ad constantem illius professionem inflammare, simulque hortari, ut omnia Christianismi officia, illa cumprimis, quæ præsens temporis ratio flagitabat, integro animo præstarent. Utitur hac in re singulari prudentia. Gratulatur ipsis de fide, cum virtutis studio juncta, quæ ubique locorum dilaudetur, ipsosque exstimulat, ne a fidei Christianæ professione per graviores vexatio-
104. nes se unquam dimoveri patiantur. Sequitur analysis *prioris*
105-121. *Epistolæ* ad *Thessalonicenses*. Posterioris consignandæ occasio erant vexationes adhuc durantes, indeque tentationes enatæ, quibus cum adhuc non succubuissent, sed potius officio suo strenue fecissent satis, *Cap. III v. 4* ipsos laude prosequitur, eisdemque alacriter currentibus calcar addit. Speciatim hoc ipsis injungit, ut manibus suis laborent, sicque victum sibi ac amictum quærant, quod nonnulli negligebant *Cap. III v. 11*. Denique errorem ipsis eximit, quem aliqui ex *1 Thess. IV, 15-17; V, 4*, de brevi instante adventu domini ad judicium conceperant. Inde scopum hunc constituit, Thessalonicenses ad constantiam in fide ac vitæ sanctimoniam hortari, speciatim ut negligentiam in laboribus evitarent. Ad constantiam ut ipsos permoveret, argumentum satis validum ab adventu domini pe-
122-126. tit, quem tamen non ita brevi futurum esse docet. Sequitur analysis, quæ solito est brevior, quoniam commentarium in utramque Epistolam, Belgico sermone adornatum, prelo jam-
127-138. dum submiserat. Ex scopo divinam illarum autoritatem effi-
138-140. cit *Cap. VI*. Utilitatem earundem ostendit *Cap. VII*. His subjicit specialem explicationem illustris loci *1 Thess. IV, 16*. Per ἀρχάγγελον non intelligit cum aliis Theologis & interpretibus *filium Dei*, sed *Spiritum sanctum*, qui ipse & *Michaelis* nomine passim in sacris veniat, in quibus a filio diserte distinguatur.

tur. Objectiones, quæ ex *Dan. X, 13, Jud. v. 9,* petuntur, solide ac erudite diluit. Huic tribuitur φωνὴ, quatenus ille tanquam supremus angelorum dux, qui futuro judicio aderunt, potentissima sua voluntate, eaque sono validissimo declaranda, actuosus sit futurus ad concelebrandum illustrissimum illum adventum. Spiritus actio in credentibus, quamdiu in statu gratiæ versantur, est efficacissima ac varia, cui pariter hoc datur in Scriptura, quod demortua ipsorum corpora sit excitaturus, ac ex naturalibus corporibus corpora spiritualia facturus, *Rom. VIII, 11, 1 Cor. XV, 44.* Σάλπιγγι Θεοῦ est jussus patris omnipotens & verendus, declaratus sono externo, vehementissimo, omnium aures percellente, qui in negotio salvationis peccatoris, si totum spectetur, jus divinæ majestatis tanquam judex tueatur. Habet equidem interpretatio hæc, quo se commendet, cum ita judicio peremtorio ex præsentia senatus sacrosanctæ trinitatis eximia plane dignitas conciliatur, sed, cum non æque dilucide sit probatum, Spiritum sanctum in aliis Scripturæ Pag. 1-
locis ἀρχαγγέλου nomine insigniri, judicium nostrum suspen- 49.
dimus.

Hinc ad *Epistolam ad Galatas* pedem promovet Autor. *Prolegomenorum Cap. I* probat, Epistolam hanc ex judicio primorum Ecclesiæ doctorum pro scripto a *Paulo* profecto reputatam fuisse. *Cap. II* disserit de *regione, Galatia dicta, & Galatis.* 1-8.
Galatia, alias *Gallo-Græcia*, pars Asiæ minoris, hodie *Anatoliæ*, sive *Natoliæ*, nomine insignis, ad austrum attingebat *Paphlagoniam*, ad ortum *Bithyniam* & *Phrygiam*, ad occasum *Pontum* & *Cappadociam*, ad septentrionem *Lycaoniam*. Vid. *Strabo Lib. XII pag. 850 edit. Almeloven.* Olim dicta fuit *Phrygia magna*, ac paruit partim Attalicis Regibus, partim Bithynis, post a Gallis fuit occupata, a quo tempore nomen *Gallo-Græciæ*, vel *Galatiæ*, tulit, quod testimoniis *Strabonis, Plinii, Ammiani Marcellini, Justini,* firmatur. Irruptionem hanc Gallorum *If. Casaubonus* in *Syn. Chronol.* subjecta *Polybio pag. 1590*, refert ad A. 2 Olymp. 125, qui ex parte respondet A. 4435 per. Jul. A. 279 ante N. C. Antiquitus Celtæ dicebantur; Galatarum illud nomen serius ipsis adhæsit, docente Ill. *Spanhemio ad Callimach.*

 *pag. 439.*

Pag. 9- *pag. 439.* Ratione status sui fuerunt gentiles, natio mixta,
16. partim ex *Semi*, partim ex *Japheti*, posteris procreata. Horum
majores erant indolis ferocis, temerariæ, irreligiosæ, deastro-
rum cultui, præcipue Deorum matris, dediti. Ad quorum in-
dolem respexisse videtur *Callimachus Hymn. in Delum v. 184,*
ipsos φῦλον ἄφρονα, *populum dementem*, appellando, quo, ju-
dice *Spanhemio*, alludit *Paulus Cap. III, 1.* Cum tempore ve-
ro ipsorum mores ita sunt emendati, ut *Themistio*, qui, *Va-
lentiniano* imperante, floruit, acuti, solertes, ipsisque Græ-
cis dociliores, nominentur *Orat. 23 pag. 299,* quod a vi lucis
Evangelicæ arcessendum esse, non sine ratione asseverari potest.
His immixti fuerunt Judæi, longe lateque per Asiam sparsi, quod
liquet ex *Cap. III, 23-25*; quare etiam *Petrus 1 Epist. I, 1,* παρε-
16-20. πιδήμοις διασπορᾶς Γαλατίας compellat. Ad solos tamen Judæ-
os, vel origine tales, vel eisdem per circumcisionem associatos,
quæ sententia est Cl. *Braunii*, Apostolum scribere, non patitur
nos credere id, quod habet *Cap. V, 2. Cap. III* de *tempore conver-
sionis Galatarum* inscriptum est. Refutata sententia *Calmeti*, *Pe-
trum* ante *Paulum* jamdum Evangelium inter Galatas prædicasse,
accurato admodum ordine ex certis characteribus, ex Apostolo-
rum actibus collectis, demonstrat, A. C. 49 ministerio *Pauli* ad
21-28. fidem in Christum perductos fuisse. *Caput IV* est de *tempore & lo-
co scriptionis.* Posito hoc, *Paulum* Epistolam hanc scripsisse, ante-
quam secunda vice Evangelium in Galatia docuerit *Act. XVIII,
23,* evincit, tempus scriptionis illius A. 51 medio illigandum es-
se. Illam non Athenis, quod subscriptio habet, neque Ephe-
so, quod quibusdam videtur, sed Antiochia, ubi, *Luca* teste,
per tempus aliquod moratus est *Act. XVIII, 23,* exaratam fuisse
29-34. decernit. *Cap. V* investigat *occasionem scribendi.* Data est illa
Apostolo, postquam, ipso absente, turbatores nonnulli Gala-
ticam ecclesiam concutere annisi erant, justitiam ac salutem abs-
que legum *Mosaicarum* observatione exspectari non posse, do-
centes. *Cap. VI* de *quæstione principali, quam Paulus in hac
Epistola pertractat,* differit. Falsi doctores ecclesiam turbaverant,
jugum legis *Mosaicæ* reducere conantes, illudque conversis ex
gentilibus imponere satagentes, contra quos libertatem Chri-
stianam

stianam tutatur, &, justitiam ex fide, non ex operibus legis, obtingere, pertendit. *Cap. VII* de *scopo & methodo hujus Epistolæ* exponit. Eo nititur Apostolus, ut evincat, libertatem a cerimoniis *Mosaicis* per Christum partam esse, proindeque ad legis observationem conversos ex gentilibus obstringendos haud esse. Judæos, institutis istis nimium adhærentes, hortatur, caverent sibi, ne justitiam, per Christum impetratam, abnegarent. Utrisque id sedulo inculcat, ne libertate ista ad inserviendum carnis voluptatibus abutantur. Dicendi genus, quod *Paulus* sectatur, ex genere *demonstrativo* & *deliberativo* est conflatum, ut hinc Epistola hæc *didascalico-parænetica* dici mereatur. Si quæ dantur in hac Epistola digressiones, non sunt illæ præter viam institutæ, sed ad principalem causam directæ. Sequitur analysis, eaque tum *generalis*, tum *specialis*, quarum hæc 38 Tabulis comprehenditur, subjectis hinc inde observationibus, sensum verborum *Pauli* declarantibus. Pag. 38-55. 56. 57. 58-317.

Sed progredimur ad *Tomum II*, in quo, præmissis prolegomenis, utramque *Pauli ad Corinthios Epistolam* in partes suas tum *generales*, tum *speciales*, dissolvit. *Artic. I* de *titulo & sinceritate hujus Epistolæ* inscribitur. Hanc *Pauli* esse, eandemque ad Corinthios directam fuisse, Patrum primorum testimoniis probat. Aliam, hac priorem, ad Corinthios dedisse, ex *1 Epist. V, 9, 11*, patere videtur, quæ vero, quod breviuscula fuit, interciderit, cujus integrum argumentum præsenti Epistolæ insertum, simulque amplificatum est. *Art. II* de *scriptoribus hujus Epistolæ, Paulo & Sosthene*, agit. De *Paulo* fusius egerat in prolegomenis, præmissis commentario in *2 Epist. ad Corinthios*; quare id tantum hic loci notat, ipsum primum omnium doctrinam Christi Corinthiis prædicasse *Act. XVIII. Sosthenes Musculo* est ἀρχισυνάγωγος ille, cujus mentio *Act. XVIII, 17*, qui ad Christum conversus, pro ejusdemque causa multa adversa sit perpessus. Sed obstat, quoniam hic videtur dux & antesignanus Judæorum, in *Paulum* insurgentium, fuisse, de ejusdemque conversione *Lucas* prorsus silet. Quis vero, qualisve, hic *Sosthenes* fuerit, quoniam de illo nil quidquam sive in Apostolorum scriptis, sive in priscorum ecclesiæ doctorum mo- 1-61.



Digitized by Google

numentis, reperimus, definire non licet. Hujus nomen addit, non ut autoritatem aliquam scripto huic suo conciliaret, quæ a θεοπνευστίας pendebat, sed quoniam, consensum viri ecclesiæ noti & probatæ fidei aliquid ponderis habiturum esse, non igno-
Pag. 7-10. rabat. *Art. III* de *urbe & ecclesia Corinthiorum* docet. Quæ de urbe, illius situ, incolarum moribus, scitu erant necessaria, illa tractaverat in prolegomenis, quibus commentarium in *2 Cor.* ornaverat, ad quæ proinde lectorem suum ablegat. In illa *Paulus* ecclesiam collegerat, ex gentibus pariter atque Judæis constantem, illam tenerrimo prosequebatur amore, illam, sparsis dissensionum seminibus, hac ipsa Epistola confirmare est anni-
11. 12. sus. *Art. IV* de *circumstantiis temporis & loci scriptæ hujus Epistolæ* commentatur. Scriptam illam esse A. 54 secundum calculos *Dionysii*, rationibus non contemnendis demonstrat, & quidem cir-
13-19. ca tempus paschatis. *Philippis* scriptam esse, indicat subscriptio, quæ tamen fidem non meretur; deest quippe in Codicibus *Alexandrino* & *Claramontano*. *Ephesum* nominat Syrus *Widmanstadianus, Tremellianus*, & *Hutterianus*. *Philippos* substituit *Trostius* & *Guthierius*. Ex Macedonia data esse non potuit ob *1 Cor. XVI, 8*. *Ephesi* exaratam fuisse, visum est *Chrysostomo, Theodoreto, Athanasio, Oecumenio, Capello, Grotio*, aliis, quibus accedit *Calmetus*; ex loco *Epheso* vicino *Millio*, cui sententiæ etiam calculum addit Noster, docens, non semper *Paulum Ephesi* hæsisse, sed aliquando ad vicinas ecclesias excurrisse, quarum nomine salutat *Co-*
19-21. *rinthios 1 Cor. XVI, 19*. *Art. V* de *occasione scribendi hanc Epistolam* differitur. Perturbatus ecclesiæ Corinthiacæ status consignandæ huic Epistolæ occasionem suppeditavit, de quo edoctus erat partim rumore generaliori *1 Cor. V, 1*, partim per domesticos Chloes *Cap. I, 11*, partim per Epistolam, a sanioribus ex ecclesia ad ipsum missam *Cap. VII, 1*, partim relatione *Stephanæ, Fortunati*, & *Achaici*, *1 Cor. XVI, 17, 18*. Ecclesia in quatuor scissa erat partes. Prima se a *Paulo* nominabat. Huic addictis simplex illud docendi genus, quo *Paulus* utebatur, arridebat. Videntur autem, libertatem prætexentes, legem caritatis migrasse, offendiculum infirmioribus præbendo, in Deorum fanis, quæ iis consecrata erant, comedentes. Tales in ecclesia exstitisse, li-

quet

quet ex *1 Cor. VIII, 1 seq.* Alia *Petrum* sectabatur, quæ promiscuo usu omnium ciborum εἰδωλοθύτων offendebatur, legitimum etiam usum libertatis culpans, *Petro* principatum vindicans, eidemque *Paulum* longe postponens. Huic aggregati *Paulistis* numero pauciores fuisse videntur. Tertia pars ab *Apolline* nomen ducebat, quæ, quod quibusdam in mentem venit, minus austeram vitam agebat, frequens in precibus atque jejuniis, sed sublimiorem *sapientiam* ac orationis ornatæ vim atque copiam requirebat. Ex *Paulistis* & *Apollistis*, in dies in deterius ruentibus, cum tempore Gnosticos, ex Cephitis Judaizantes, enatos fuisse, judicat Cel. Autor; saltem in plurimis Gnosticos cum iis, quos *Paulus* notat, convenisse, instituta collatione, demonstrat. Qui quarto se *Christi* esse dicebant, si quidem culpandi sunt, videntur fuisse homines superciliosi, qui alios, eosque etiam vere pios, contemnebant, seque, quasi soli Christi essent, efferebant, Donatistarum quasi præcursores. Hæ igitur factiones ut sufflaminarentur, *Paulus* has concepit literas. Accessit Epistola melioris partis ecclesiæ, super nonnullis quæstionibus ad Apostolum directa *Cap. VII* de matrimonio ineundo, an dissolvendo, εἰδωλοθύτοις, ἀταξίᾳ, tum quod ad habitum virorum ac mulierum, tum quod ad sacram cœnam & agapas, præstantia donorum, horumque decenti in ecclesia usu, resurrectione corporis, eleemosynis. Sco- Pag. 22.
pus igitur *Pauli*, quod *Art. VI* docet, fuit, turbulentum ec- 39.
clesiæ statum quieti dare, ac ad singula quæsita per Epistolam respondere. Quod quoniam singulari cum sapientia effectui dedit, omnia reliquis Sacræ Scripturæ partibus conveniunt, simul etiam Apostolatus signa adsunt, divina hinc Epistolæ autoritas elucet. *Demonstrationis* via, ad scopum hunc suum conse- 40.
quendum, usus est sapientissima *Art. VII*, alienus ab orationis fuco ac vanæ sapientiæ ostentatione, nec tamen veri nominis eloquentiam omnino neglexit. Uberius id dispalescit ex ana- 41-42.
lysi, eaque tum generali, tum speciali, quæ *Tabulis LXXXIV* 43-857.
comprehenditur.

Coronidem Operi huic imponit brevis introductio in *posteriorem ad Corinthios Epistolam*, sed paucis hic defungitur Noster, lectorem

lectorem ad ea remittens, quæ copiosius in Commentario ad hanc ipsam Epistolam disputaverat. *Art. I de autoribus Epistolæ, Paulo & Timotheo*, differit, qui posterior num propterea Autor Epistolæ haberi queat, quoniam doctrinam, in illa contentam,
Pag. 4-5. suo consensu approbavit, dubitamus. *Art. II de iis, ad quos Epistola data est*, nos docet. *Corinthiis* in inscriptione junguntur omnes illi, qui sunt in *Achaia*, Achaia stricte accepta, integram Græciam & Peloponnesum comprehendente, quæ Proconsuli, tribunal suum Corinthi habenti, parebat. Cum credentibus igitur, per Achaiam dispersis, hæc Epistola est communicata, vel illius per amanuenses plura exempla sunt confecta, ne ma-
6-7. la, ex dissidiis metuenda, ad plures proserperent. *Art. III* est *de circumstantiis loci & temporis.* Ex Macedonia missam esse, apparere putat ex *1 Cor. XVI, 5, 6,* coll. *2 Cor. I, 16, II, 12, 13, VII, 5, 6, VIII, 1, IX, 2, 4.* Refutat igitur sententiam *Baronii*, statuentis, *Nicopoli*, Acarnaniæ, in Epiro, oppido, datam esse, nec a vero abludere arbitratur, quod subscriptio habet, *Philippis* scriptam esse, & quidem vel in fine A. 54, vel initio 55.
8-15. *Art. IV* ostendit *occasionem, scopum, & argumentum* hujus *Epistolæ.* Occasionem suppeditabant desiderium veniendi Corinthum, colligendi numos in usum pauperum Hierosolymitanorum, dissidia, calumnia, ac si levitate quadam duceretur, cum Corinthum, quod tamen promisisset, non venisset, & quæ id genus sunt alia. Eo igitur tendit Apostolus hac sua scriptione, ut adversariorum molimina irrita reddat, pios instruat, ne a veritatis tramite se abduci patiantur, & ut suam simul
16-20. contra adversarios tueatur autoritatem. *Art. V* exhibetur bre-
21-23. vis Epistolæ analysis. *Art. VI* disputatur *de elegantia, divinitate, & utilitate hujus Epistolæ.* In toto hoc Opere Venerabilis olim Senex laudem, quam dudum meruerat, consummati Theologi tuetur. Quas præmisit Dissertationes *Epistolis Paulinis*, esse utilissimas, nemo facile negabit; illa vero sententiarum in minutissimas partes divisio, etsi non omnibus ad palatum sit futura, illis tamen, qui seriem orationis *Paulinæ*, ac singularum partium consecutionem, uno quasi obtutu videre discupiunt, usui erit maximo.

*SAM.*

*SAM. L. B. A PUFENDORF DE JURE NAturæ & Gentium Libri octo, cum integris Commentariis Virorum Clarissimorum, JO. NICOLAI HERTII atque JOANNIS BARBEYRACI. Accedit Eris Scandica. Recensuit, & animadversionibus illustravit, GOTTFRIDUS MASCOVIUS.*

*Tomi II.*

Francofurti & Lipsiæ, ex officina Knochiana, 1744, 4 maj. Alph. 10.

Effecerat Cel. *Barbeyracus* per cultissimas editiones suas hujus Operis Gallicas, ut jam minus requirerentur editiones ejus Latinæ. Quare post *Hertii* annotationes, quæ jam ante annos 37 publici primum juris factæ sunt, nemo de contextu Latino Autoris bene mereri fategit. Commendabile proinde est institutum Illustris Editoris, quo is hos *de Jure Naturæ & Gentium Libros octo* primum limatius, quam antea, adjectis quoque singulorum Autorum, in iis laudatorum, Capitibus & paginis, in lucem profert; tum quoque, præter *Hertii* Commentarios, suas ipsius animadversiones exhibet. Fundus earum sunt Cel. *Barbeyraci* Notæ, & quicquid in iis, præter ipsas Clarissimi hujus interpretis observationes, e *Thomasio* & *Titio*, quos sæpissime laudat, notatu dignum adducitur. Satis autem, in ea Cl. *Barbeyraci* celebritate, id semel in Præfatione monuisse, habet Cel. Editor, ideoque illustrationibus ejus, libero usus stilo, suas ubivis interpretationes interserit. Præmittitur Præfatio satis ampla, in qua iis, quæ de vita Autoris dicuntur, succenturiatur tractatio de virtutibus & vitiis hujus Operis. Ex iis, quæ de vita *Pufendorfii* dicuntur, suppleri possunt, quæ *Niceronius* attulit *Commentariorum* Gallicorum *de Vitis virorum illustrium Tom. XVIII pag. 224 seq.* In posteriore autem Præfationis parte adstruitur principium socialitatis, adjungitur voluntati divinæ sic dicta perseitas actionum moralium, vindicatur animæ immortalitas, & occurritur *Baclero*, qui doctrinæ laudem *Pufendorfio* dubiam reddere voluerat.

fuerat. Tria autem Ill. Editori in Animadversionibus suis (*Hertii* enim Annotationes dudum Lectoribus placere cœperunt, adeoque recensione non indigent,) ante oculos esse solent: 1) ut Autoris sententiæ falsæ, rationesve infirmæ, emendentur, & fulciantur; 2) ut ejusdem bene recteque dicta afferantur contra dissentientium cavillationes; 3) ut eadem hæc ipsa illustrentur a collatione Juris divini & Romani. Jam, ut facilius in rem præsentem concedere Lector possit, speciminis causa ex singulis *Libris* duo delibabimus animadversionum exempla.

Igitur, cum *Lib. I Cap. 6 §. 18* apud *Pufendorfium* incidisset mentio legis divinæ positivæ universalis, animadvertit Ill. Editor in *Nota 1*, stare pro hac lege *Grotium de Jure Belli & Pacis Lib. I Cap. 1 §. 15*, & *Thomasium* in *Jurisprud. divina*, qui tamen deinde sententiam mutaverit in *Fundamentis Jur. Nat. & Gentium*, quo facto plerique omnes, ejusmodi jus divinum positivum universale dari, negaverint. Quare jam pauci noverint, qua ratione fiat, ut, quoties de pœna occisoris, aut gradibus consanguinitatis, in matrimonio contrahendo prohibitis, quæratur, in judiciis Christianorum satis constanter ad præceptum adhuc *Noachicum* & leges divinas de incestu decurratur. Verum tunc strictius sumi vocem legis divinæ positivæ universalis ait, quatenus scilicet saltem Christianos cum Judæis universim obliget. Cum enim veteris quoque Fœderis placita generalia Christiani sequantur, utique præceptis publicæ utilitatis, honestatis, temperantiæ, ac decoris, quæ Judæis a Deo proposita fuerint, universim eos adhuc teneri, addit, etsi exemti sint iis institutis, quæ ad figuram tantum reipublicæ Judaicæ, & cultum Leviticum, pertineant; postquam respublica Judaica sublata, & umbra cultus Judaici, exoriente vera luce adventus Christi, Domini nostri, evanuerit. Deinde ad ejusdem *Libri Cap. 8 §. 2*, quo de intentione quæritur, quæ in foro divino requiratur, Cel. Editor observat, eximiam esse eam, quam Autor suppeditaverit, periphrasin voluntatis, qua viri boni præceptis divinis obtemperare nitantur, & cui ipsa conscientia humana suffragetur. Etsi enim vel justus quoque cadat septies in die; tamen & in ea indolis nostræ imbecillitate suavissimo nos perfundi

perfundi lætitiæ sensu, quoties pura sit nostra voluntas, actiones nostras ad amussim legislationis divinæ conformandi; cum contra mens nostra contristetur, quoties nostra voluntas, voluntati divinæ rebellis, ad alium finem tendat, quam ut desiderio creatoris optimi maximi plenissime satisfiat. Cum deinde Autor, *Lib. II Cap. 2 §. 2 Hobbesium* secutus, status naturalis miseriam justo tristius descripsisset; status utriusque, naturalis & civilis, commoda & incommoda ita sistuntur, ut referatur, 1) in statu naturali fructus industriæ suæ cuivis satis certos esse, in statu contra civili laborum nostrorum proventus sæpe ab imperantibus pessundari; 2) timorem pœnarum, etsi in statu civili continendæ plebi sufficiat, parum tamen eodem profici contra proceres & amicos Principum, utpote leges omnes eludere solitos; 3) in statu civili damnum sæpe maximum societati humanæ oriri a potentioribus, utpote qui animi motibus etiam injustissimis summa cum vehementia obsecundare sueverint, cujus contra insanæ potentiæ nullum temere exemplum inveniatur in statu naturali, ubi & impotentiæ exempla deficiant, avertendo damno tali imparis; 4) dari quidem in statu naturali decertationes hostiles, sed non ita graves, ut in civitatibus, nec ex tam grandi congredientium numero conflatas, & ex quibus, ut hodie fiat, tantum non integra regna & provinciæ totæ devastentur; 5) barbariem, solitudinem, & tenebras ignorantiæ, ut in statu naturæ obviæ esse possint, sic in compluribus quoque regnis, inprimis Asiæ, Africæ, & Americæ, occurrere; 6) ambitionis, avaritiæ, voluptatis, injustitiæ, & crudelitatis, monstra civitatibus fere propria esse, utpote in aulis inprimis dominantia, unde non lenta contagione ad reliquos cives serpant; 7) pacem & securitatem e statu civili non minus exulare, quam e statu naturali; quod non tantum bella crudelissime gesta doceant, sed etiam persecutiones testentur, quibus propter sacrorum diversitatem res civium afflictæ fuerint; 8) divitiis certe præ statu naturali non affluere civilem. Constare id exemplis tot mendicorum & hominum, nihili æstimandorum in civitatibus. Ibidem 9) decori, studii societatis, elegantiæ, eruditionis,

tionis, benevolentiæ, nominibus sæpe tegi vanitatem, stultitiam, pædantismum, odia, & subtiles fallendi artes. Hanc denique perpolitam vitam & urbanitatis suavitates in solis urbibus majoribus inveniri; ruri contra, ubivis, etiam in regnis cultissimis, omnia squaloris & rusticitatis plena esse. Ejusdem *Lib. II Cap. 5 §. 18* emendaturus Ill. Editor interpretationem Autoris, qua is *Exodi XXII, 2*, vocem Hebraicam *bammahhtehreth*, *si cum telo fuerit inventus*, interpretatur, in *Nota 1* scribit, hanc vocem proprie significare *in effossione*. Cui fossioni furis ideo locus fuerit, quia pleræque domus colonorum gentis Hebraicæ ex argilla ligno inserta constructæ fuerint. Quod probat ex *Hiobi IV, 19*. Unde illud manifestum esse, addit, distinctionem furis, venientis *cum telo* & *sine telo*, cujus mentio fiat in *Nemesi Carolina Art. 159, 160*, inde elici non posse; cum instrumentum hic ad summum *perfossorium* fingi queat, pro telo autem, vel gladio, id accipi, perfossionis indoles non patiatur.

Ad *Libri* posthæc *III §. 7 Nota 3* memoriæ proditur, *Pufendorfium*, negantem hoc loco, *pro transitu per fretum vectigal exigi posse*, studio id Suecorum, indeque manante Danorum odio, scripsisse. Diluuntur deinde argumenta ejusdem. Animadvertitur enim 1), terras populi vicini, supra & infra fretum attingentes, libertatem ei a vectigalibus conciliare non posse. Esse enim huic integrum, exercere commercia *terrestria*, nec proinde minus jure ab eo vectigal exigi, quam a reliquis populis, primo in compensationem sumtuum, qui fiant in securitatem & facilitatem navigationis; tum ad lucri pensationem, quod capiant ex eo populo mercatores, dum iis via pandatur, qua brevius fiat iter eorum, & magis affluentia sint eorundem commercia. Alias omnes populos, qui terras aliorum legionibus cinctas teneant, quales, verbi gratia, sint incolæ Comitatus Avenionensis, & olim fuerint inhabitatores Principatus Arausionensis, liberum & immunem commeatum per regiones vicinas petere posse. Præterea 2) non apparere, quare itinera maritima ulla hic præ terrestribus & fluviatilibus prærogativa gaudere debeant, cum freta maris, per ea, quæ ab ipso Autore allata sint *Lib. V Cap. 5 §. 8*, non minus ad summam

mam poteſtatem pertineant, quam viæ publicæ, quæ terris ipſis contineantur. Ad conditionem autem 3) tributariam populum vicinum non magis ejusmodi vectigalibus redigi, quam quidem peregrinum quemlibet, dum pontem tranſiens, vel in flumine prætervehens, vectigalis nomine aliquid ſolvat. Ubi deinde, ejusdem *Libri Cap. 9* §. *4*, *Pufendorfius*, atheos, etiam propter ſolum errorem, puniendos eſſe, ait, limitatur hæc ejus ſententia *ſequentem in modum*: pulcherrima eſſe, quæ ab *Autore de religione allata* fuerint; aſt hic durius eum plerisque philoſophantem videri. Nihil enim errori commune eſſe cum crimine, neque ignorantiam intellectus manere pœnas & ſupplicia. Demonſtrationibus potius & cohortationibus in eos utendum eſſe, quam ſævo ferro, & diris flammis. Neque enim erroris morbo aut vitio aliam paratam eſſe medicinam, quam convictionem ſolam. Quodſi tamen error hic cum procacia eum propagandi conjunctus ſit, ſeditionis reum videri poſſe atheum, utpote qui, dum religionem ſpernere doceat, *ſanctiſſimum* ſocietatis humanæ vinculum rumpat, neque proinde minus puniri poſſit, quam qui, furta vel adulteria licita eſſe, doceat, aut, a fide data recedi poſſe, contendat, quamvis *ſceleri* errorem obtendere malit. Cumque hac hominum, libenter & cum voluptate errantium, multitudine ſeculum laboret, reipublicæ intereſſe, hic quoque interdum aliquid exemplo dari.

Sequitur *Liber IV*, in cujus *Cap. 1* §. *9* guttulæ quædam ſanctitatis adſperguntur doctrinæ de falſiloquio. Cum enim *Pufendorfius* in duplici tantum caſu veritatem abſciſſe dici jubeat, 1) ſi is, qui de ea quærat, quærendi jus habeat, qua ratione *magiſtratui jus ſit*, *interrogandi* teſtem, patri filium; 2) ſi mendacium afferat alicui detrimentum; ferri id quidem posſe, Cel. Editor monet, ſi mente præſcindatur corruptio generis humani, qua, quoties concurrit conſideratio damni noſtri cum conſideratione detrimenti alieni, mendacium plerique pro falſiloquio habent. Ceterum, quandoquidem per hanc corruptionem plerumque fiat, ut mendacium cum falſiloquio miſceatur, in regula, infantibus inprimis & imperitis merito in-

terdici monet omni dissimulatione veritatis, non admisso discrimine inter mendacium & falsiloquium. Vindicatur ad eundem *Lib. IV Cap. 2* §. *6* in *Nota 2* regula Juris Canonici, quæ omne jusjurandum servari vult, quod sine æternæ beatitudinis detrimento servari possit. Observatur enim, respondere eam dicto *Senecæ*: *Interdum scelus est, servare fidem.* Quamvis enim per asseverationem religiosam novum promissioni validæ accedat auctoramentum, quo eo magis a perfidia absterreri debeamus, quod Deum promissi testem & perfidiæ vindicem adsciverimus; adhuc tamen promissioni invalidæ ex jurejurando nihil accedere roboris: cum Deus probare neutiquam præsumatur conventionem, quæ legi repugnet, aut cum eo inita sit, qui jure acceptandi destituatur, qualis sit, qui dolo conventionem elicuerit, vel alterum vi injusta ad jurandum adegerit.

Ad *Libri V Cap. 1* §. *4* in *Nota 1* aptitudo aliquid conferendi ad vitæ humanæ commoditates inter causas dominii generales rejicitur, & deinde quæritur, unde sit, quod rebus quibusdam maximi usus pretium omne desit. Exempli causa aqua adducitur, quæ utilissima sit, & tamen argento non ematur. Quæ quidem quæstio ita resolvitur, ut aptitudini ad usum adjicienda esse dicatur *raritas*, ex qua comparandi difficultas nascatur. Additur, ipsam aquam multorum nummorum esse incipere, quando rara sit, veluti in obsidionibus, & locis aridis. Similiter raritatem in aptitudine imaginaria pretium augere posse rei alias communis. Nam, si aqua frigore stipata æstatem vincere didicerit, vino eam misceri ab ingeniosa gula, & sic redigi ad pretium. Mandatarius quatenus indemnis præstari debeat, ad ejusdem *Libri V Cap. 4* §. *4* in *Nota 3* ita definitur: Si jussu tuo iter susceperit mandatarius, adhuc sarciendum erit damnum, a latronibus ei illatum, aut naufragio factum, quoniam, si domi mansisset procurator, neque latronum incursui, neque tempestatibus, expositus fuisset. Quid, si, dum in itinere est, in morbum inciderit? Ex vitio antea contracto hanc valetudinem ortam esse, dices, & erit procuratori difficile, refellere hanc sententiam tuam. Humanius tamen videtur, illud saltem ei refundi, quod minus impendisset, si penates suos non reliquisset.

Ex

Ex *Libri VI Cap. 1*, quod agit de matrimonio, animadversiones duas delibabimus. Prima ſit, quæ ad §. 15 proponitur in *Nota 4*. Refellitur in ea *P. Bælius*, probans mores *Catonis*, qui uxorem ſuam *Marciam Q. Hortenſio* commodaverit. Parum enim intereſſe putat *Bælius*, uxorem ſuam alteri quis commodet, an *Calepinum*, Corpus Juris Gloſſatum, aut alium quemvis librum, eo, quod communio mulierum, ex ſententia ipſius, ſenſui communi & ſanæ rationi multo magis conveniat, quam earundem proprietas. Regeritur autem, his ipſis reniti congenitum homini inſtinctum. Pleriſque enim ſtudium, illibatam ſervandi uxoris caſtitatem, non minus naturale eſſe, quam deſiderium ſedandi famem, aut ſitim. Accedere ſummam rationem, qua prolem, ex alio ſuſceptam, alere non minus injuſtum fuerit, quam ſpoliari a fure vel latrone. Beſtiarum quoque exemplum, quo *Bælius* utitur, parum ad rem facere, adjicitur. Eſſe enim hominem recens natum animal, ut multo infirmius, ſic longe nobilius, ceteris animantibus, & quod proinde ut primum compluribus annis ſibi ipſum conſulere nequit, ſic concurrente utriuſque parentis cura ad ſtudium ſocialitatis educandum ſit. Alteram animadverſionem ad hunc *Librum VI* decerpimus ex *Nota 4 ad §. 20 ejusd. Cap.* Recenſentur in ea incommoda divortiorum his verbis: *Nam, qui, iracundiæ motu, aut quavis alia mentis perturbatione, ductus, levi interdum de cauſa uxorem repudiaſſet, reconciliari poſſet alii jam nuptæ, eaque conſuetudo, in qua antea fuiſſet, novo divortio anſam ſuppeditaret, inſtaurata priſtina vitæ conjunctione. Præterea id liberis etiam obeſſet, ſi patrem temporario ingenio uti, & matrem ideo in umbratili rixa domo ejici, cernerent. Et quomodo ſarta tecta conſervari poſſit reverentia, qua parentes liberi, quibus animam debent, proſequi obſtricti ſint, ſi temere adeo uxorum dimiſſio fieri poſſet?*

Ad *Lib. VII Cap. 1 §. 6* veriſimilis videtur Cel. Editoris ſententia, qua originem primarum civitatum ita a metu derivat, ut 1) mali inferendæ, boni vero 2) avertendæ, injuriæ cauſa in civitates coiverint; quod copioſius exequitur, quam ut hoc loco repeti rationes ejus poſſint. Cujus brevitatis ſtudio ad

ejusdem

ejusdem *Libri Cap. 6* §. *14 Notæ 3* tantum summam sistimus, qua Sedes Romana Reges hæreditarios electis præfert, & illos Potentissimos, hos tantum Serenissimos, vocat; quem morem ceteræ aulæ Europææ sequantur.

Ad *Lib. VIII Cap. 1* §. *6* memorabilis visa *Nota 1*, qua ostenditur, neminem nec meram executionem actionis injustæ, jussu superioris, jure suscipere; & ad *Cap. 6* §. *9 Nota 1*, qua, belli indictionem publicam & solennem neque Jure Gentium naturali, neque voluntario, necessariam esse, docetur.

Accesserunt huic Editioni Indices novi tres, iidemque locupletissimi, primus Autorum, secundus rerum, tertius *Eridis Scandicæ*; suntque eidem præterea icon Autoris, affabre sculpta, charta munda, & typorum, utpote *Breitkopfianorum*, elegantia, insigni ornamento.

ESSAI D' UN SISTEME NOUVEAU, CONCERNANT la Nature des Etres spirituels, &c.

hoc est,

*SPECIMEN COMPAGIS DOCTRINARUM NOVÆ de natura entium spiritualium, ex parte superstructæ principiis Cel.* LOCKII, *Philosophi Angli, cujus apologiam Autor adornavit.*

*Tomus III & IV.*

Neocomi, ex Typographeo eorum, qui ephemeridas Helveticas edunt, 1742, 8 maj.

Alph. 3 plag. 7.

Continuavit Autor opus suum, *Lockianæ* sententiæ ex parte accommodatum, quæ ita exigit, ut, fieri posse, existimandum sit, ut Deus corporibus vim cogitandi concedat, vel concesserit. *Tomus III* complectitur præmonenda, tres Epistolas ad Abbatem *F.*, & epitomen rerum, in hoc *Volumine* pertractatarum. Literis *primis* respondetur ad observationes, in *Tomum II* expromtas. Literis *secundis* differitur de extensione Numinis ac animæ nostræ reali, locis quibusdam ex *Bælio* decerptis

decerptis anſam materiemque rei præbentibus. Literis *tertiis* ſuppeditatur commentarius in *Cap. 141*, quod in *Baili* Continuatione diverſorum de Cometis cogitatorum legitur. In præmonendis, an & quatenus ſyſtema ſuum cum ſententiis *Sam. Clarckii* conſentiat, diſquirit, uſus compendioſa *Clarckianorum* dogmatum expoſitione, quam *Maizeauxius* ſuppeditavit. Repetit illud *Lockianum* dogma, ſubſtantias non niſi extenſas dari, materiam eſſe connexum quid ſeparabile ac mobile, mentes eſſe quidem extenſas, nec tamen diſſolubiles, & eatenus non materiales. Diſſolubile hoc ſenſu dicitur illud, quod vi rerum creatarum ſeparari, diſcerpi, & diſſolvi, poteſt. Unde intelligitur, id dici hac ratione indiſſolubile & ſimplex, quod conſtat partibus, quarum una ab altera per vim, a rebus creatis adhiberi ſolitam, diſſolvi non poteſt. Hoc modo *Lockium* oppugnare potuit dicis cauſa, ſiquidem immaterialitatem *Clarckius* animæ tribuit verbis, re vera autem eam ſuſtulit, ac andabatam egit, vel ludicrum depugnavit certamen, dummodo *Maizeauxius* ſyſtema *Clarckii* ex vero penitus delineavit. Spatium infinitum *Clarckius* pro eo, quod ſubſtantiæ immenſæ proprium eſt, habendum duxit, quemadmodum huic æternitas, ſeu duratio infinita, tribui ſolet. Monet Noſter, ens, ſubſtantialiter ex toto & immenſe præſens, eſſe Deum *Spinozæ*, additque, *Clarckium* reputaſſe illud ſpatium infinitum pro Dei attributo. Ipſe autem ſpatium immenſum a Deo diſtinguit, licet id æque pro ente, re vera citra relationem ad aliud inſtitutam exiſtente, habeat. Extenſionem, quam tribuit ſpiritibus, a ſpatio illo differre, arbitratur. Tribuit denuo Numini ſupremo ſoliditatem ac veram extenſionem, licet, ſpiritus eſſe individuos, *mutationi ſubductos*, corruptionisque expertes, & immortales, ex conſtitutione Dei, fateatur. Ipſe in præſens etiam ſuſcepit mentes non extenſas, extenſionis expertes, profligandas, ut eis ſubſtituat extenſas, nec tamen e materia, ſub ſenſus cadente, conflatas. Immenſitatem Dei ſenſu phyſico exponit, dum ex ea argumentum nectit, ſibique perſuadet, immenſitatem illam cum ente, quod omni extenſione vacet, pugnare. Negat deinde, notioni extenſionis cujuscunque cohærere notionem

Pag. 12. 16.

K dividuæ

dividuæ & interituræ substantiæ. Distinctionem, quæ est rationis, dari largitur respectu partium extensi. Negat vero, ex hac distinctione & divisione colligendam esse divisionem physicam, & fluentem ex hac corruptionem. Addit tandem: Quis est, qui extensionem hanc Numinis supremi dividet? De hac extensione divina docere pergit hunc in modum: *Ipsa limitat, quicquid existit, nec tamen ipsa alicunde limitatur.* Nihilo
Pag. 19. minus Deo tribuit simplicitatem, & suffragatorem laudat *Beausobrium*, patrem, ratus, simplicitatem eam consistere in homogenearum partium complexu, qualem simplicitatem *Plato* mentibus humanis tribuit *Lib. X de Rep. pag. 516.* Si quid vero assequimur ratiocinando, partes æquales & prorsus homogeneæ dignosci haud possunt, ac principio indiscernibilium repugnant.
28. Id tamen inficiari nolumus, *Sam. Clarckium* tribuisse Deo extensionem infinitam, ac mentem cogitationemque perfectissimam. Ex quo intelligitur, suffragatores ejus largiantur necessum esse, ens extensum cogitare posse. Vide *Clarckium de Existentia & attributis Dei pag. 217.* Quonam vero tibicine sese
33. munivit nititurque Noster? Ipse sic disserit: In eo, quod existit, animadvertimus materiam & motum, seu extensionem & vim. Vis vero cogitari nequit sine substantia inhæsionis. Quare hoc subjectum, hæc causa, gaudet extensione & vi. Ergo nulla datur substantia nisi extensa. Hoc est ejus palmarium argumentum. An vero modus ille animadversionis physicus ipsam spirituum naturam attingat, aliis relinquimus dijudicandum. Autor profecto negat, materiem esse in infinitum dividuam. Concedat itaque, necessum est, dari subjecta prorsus non extensa & individua per sese. Quærimus ex ipso, an experientia, an ratiocinando, didicerit, hæc individua dari elementa; quærimus, an hisce omnem deneget vim & actionis capacitatem. Nisi fallimur, ipse novit omnino, dari substantias, extensionis cujuscunque expertes. At nolumus conscientiam ejus introspicere; exspectaturi vero sumus ea, qua decet, humanitate sententiam & responsum ipsius, si forte, haud dari entia minus
35. extensa, porro velit docere. Scripta promittit idem, quibus sit demonstraturus, Deum esse ens re vera extensum. Avemus

mus ſcire modum, quo id ipſum docturus ſit. Dum enim omne extenſum partibus ſui extra partes conſtat; definiendum ei eſt, an illæ ſint homogeneæ, an heterogeneæ; an prorſus eædem, an inter ſeſe diverſæ; an continuæ, an minus cohærentes. Amplectetur indubie homogeneas & prorſus easdem. Si urſeris, ut definiat, an partes illæ continuo inter ſeſe cohæreant, avertet mentem, & Spinoziſmum formidabit. Sin quæſiveris, an partes illæ ſint *diſſeminatæ per mundi vacuum*, differet reſponſionem, vel imbecillitatem mentis noſtræ accuſabit. Eventus vero, an conjecturas haſce recte duxerimus, declarabit. Exſpectat pede firmo antagoniſtas, ipſisque *Ingeniis fortibus, Materialiſtis*, & *Pyrrhonis aſſectatoribus*, promittit medicinam. Suſpicatur, dari plures Philoſophos, qui, ſpiritus eſſe extenſos, in animum induxerint, ut arbitrentur. Gratulatur ſibi de conſenſu *Manichæi*, Magorum, Gymnoſophiſtarum, Cabbaliſtarum, Pag. 38.
Græcorum, *Porphyrii*, *Democriti*, *Heracliti*, *Empedoclis*, ac Eccleſiæ Patrum, ipſiusque *Iſaaci Beauſobrii*. Ex hiſtoria viatorum 2 Emmaunticorum colligit, ſpiritus per ſeſe nec ab oculis hominum, nec a manibus horum & contrectationibus, eſſe ſemotos. Repetit illud *Tertulliani*: *Quis negabit, Deum eſſe corpus, etſi ſpiritus eſt*? Deus an ſit lumen, nec ne, in incerto 42.
relinquit. Contendit denuo, non-extenſionem & non-localitatem abſolutam pugnare cum Dei omnipræſentia, ac ejusdem 51.
immenſitate. Nec tamen Deo tribuit immenſitatem ſubſtantialem, ne incidat in *Spinozæ* Syrtes. At immenſitas extenſa & materialis non poteſt non eſſe ſubſtantialis, ſiquidem potentia & extenſio, Autore judice, extra ſubjectum inhæſionis, ſeu ſubſtantiam, nequit exiſtere. Addit, Deum ex centro eſſentiæ ſuæ *illuſtrare*, *penetrare*, *dirigere*, & *gubernare*, univerſum, per emanationes lucis ac potentiæ, ſimiles radiis & calori, quos nobis Sol impertit. At radii non ſunt particulæ, e ſole effluentes. Nec ſol ipſe nobis ἀδιαςάτως præſens eſt. Homiletis condonamus ſimilitudines ejusmodi, a Philoſophis autem diſtinctiora poſtulamus. Id, quod extenſum eſt, cogitandi haud eſſe capax, quia extenſum, ac cogitationem eſſe actum ſubſtantiæ, e partibus nullis conflatæ, adeo eſt certum ac de-

 monſtratum,

monstratum, ut non videamus, qui fieri possit, ut quis demonstrationem dilucidiorem requirat ea, quam dederunt Cel. *C. S. Hollmannus* in *Institut. Pnevmatol. Cap. 1 §. 17 seq.* & ejus amicus, *J. C. Harenbergius*, in *Miscellaneis* nostris *Novis Vol. I P. III pag. 426 seq.* Quam vellemus, Autor eam examinaret, & judicium de
Pag. 56. ea faceret! Causatur quidem, experientia externa illam spiritualitatem non extensam haud niti; at experientiam ad ratiocinandum adhibere, & per ratiocinationem id exquirere, licet, quod sensibus per sese haud patet, qua ratione, materiæ dari elemen-
63. ta individua, colligimus. Inculcat idem denuo, ens absolute immateriale, seu non extensum, nil esse nisi nihilum, purum-
67. que ens rationis, respectu cognitionis nostræ. Evidens ipsi est, cogitationem & linguam, tum interiorem, tum exteriorem, esse
?. modificationes potentiæ motricis. Spiritus quoscunque in loco esse suo, addit. Globos cœlestes vocat indivisibiles, seu po-
81. tius individuos. Rationem elasticitatis, quæ aeri inest, *Muschenbrœkianam* repudiat, perhibetque eam contradictione ple-
85. nam. Immaterialitatem pro mero reputat sono ac pro chimæra, quia ideam ea haud exhibeat positivam, quia singulæ ideæ nostræ sint corporeæ, & quia idea de immaterialitate sit facticia & abstracta. Liceat vero monere, eadem tria argumenta immortalitatem animæ esse eodem jure sublatura. Dici quidem potest, immortalitatem indicari posse per ideas positivas; at quidni immaterialitas? Id enim, quod prorsus est simplex,
87. vocamus immateriale. Locum non extensum vocat ignem, caloris expertem, seu σιδηρόξυλον, quasi locus esset aliquid reale, nec potius *idea relativa* esset. At, quia, spatium esse aliquid extra cogitationes nostras constitutum, cujus pars sit locus, existimavit, in eam incidit opinionem. Ubi igitur res diversæ haud una existunt, locus existet, immo loca & locorum my-
89. riades. Ipse *Platonem* credit primum exstitisse, qui, animam esse simplicem, extensionis expertem, docuerit. *Aristoteles* & *Porphyrius* pariter, animam humanam esse simplicem, parti-
97. busque carentem, tradiderunt. Addit Autor, ipsis haud fuisse de ea simplicitate ideas distinctas, ideam vero illam *Platonicam* sensim in religionis Christianæ ambitum receptam fuisse, inprimis

mis ab *Augustino.* Vocem *spiritus* in sacris literis signum esse Pag. 101.
substantiæ simplicis, inficiatur. Creatorem nobis prorsus esse incognitum, tradit *pag. 105.* Nisi magnopere erramus, Lectores ex hoc specimine potiora systematis novi capita perspexerunt. *Tomi quarti* injicienda tandem est mentio. Complectitur is *Partes duas*, quibus præmittuntur præmonenda. *Priori* continetur continuatio Epistolæ ad Abbatem, cujus maxima pars jam *Tomo tertio* fuerat exposita. Excipit eam Epistola ad *B.* super animæ nostræ natura, ac super spiraculo divino, quo ipsa sit animata. Huic vero succedit Dissertatio in quoddam *Nicolii* argumentum, quo extensionem animæ arcere voluit Jansenista. *Parte posteriori* exhibetur Epistola Philosophi ad Autorem, spectans ad systematis novi formam. Subjunxit Autor geminam responsoriam, nihil operæ omittens intentatum, ut dignitatem systematis sui tueatur. Constituerat quidem, hisce adjungere judicium P. *Danielis* de systemate causarum occasionalium, suasque subjicere eis meditationes, haud secus ac judicium de harmonia præstabilita; verum successus temporis consilium id mutavit. Inter os enim & offam sæpius multa solent intervenire. In præmonendis repetit suum systema, novisque id rationibus it succinctum. En illas. Ideæ fiunt & existunt per impressiones corporeas, sunt & conservantur in anima, veluti receptaculo. Ergo anima est extensa. Actiones animæ in corpus & corporis in animam mutuæ non possunt sine extensione existere. Anima prædita est facultate activa & passiva, cujus exercitium & agitatio nequit cogitari citra contactum, extensionis indicem. Modificationes potentiæ activæ nequeunt sine motu comprehendi, motus vero arguit extensionem. Cogitatio est sermo interior, qui expeditur & peragitur motu. Quocirca extensio genuina animæ est causa instrumentalis passiva & sine qua non. Inflatus divinus, junctus 14.
huic extensioni, ipsi exhibet vitam & facultatem sentiendi per modum actionis & passionis, cogitandi & agendi. Extensionis defectus in animis locum habere nequit, & contradictione laborat. Fortassis sunt, qui, petitiones principii subesse, perhibebunt. Erunt, qui monebunt, vim cogitandi in Deo fieri

 citra

citra motum, & actiones simplicium elementorum, quæ Autor dari largitur, sine motu intestino peragi, siquidem in eo, quod partibus caret, & prorsus est individuum, mutatio loci interni fieri haud possit, nec cogitari. Loci enim idea ponit, simul existere plura, e quorum relatione mutua oritur idea loci. Sed suffecerit in præsens, exhibuisse systematis novi speciem & adumbrationem quandam. Si qua monuimus, ab eis modestia haud abest. Quare existimamus, ea Autorem æqui bonique consulturum, nobisque eam, quam aliis indulsit, libertatem concessurum esse animo, quem ubique præ se tulit, candido & perquam humano.

DEI DIFETTI DELLA GIURISPRUDENZA TRATTATO di LODOVICO ANTONIO MURATORI, &c.

id est,

*DE DEFECTIBUS JURISPRUDENTIÆ TRACTATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII, Bibliothecæ Sereniss. Ducis Mutinensis præfecti, inscripta Sanctitati BENEDICTI XIV, Pontificis Maximi.*

Venetiis, apud Joannem Baptistam Pasquali, 1742, fol. Alph. 2 plag. 2.

Eximium & frequens est Ven. *Muratorii* in his *Actis* nomen, Viri in re historica, Theologia, & ipsa Jurisprudentia, versatissimi. In formula Dedicationis celebrat dotes & merita tanti Pontificis, qui utilitatis propriæ studium commodis publicis postponat, & Jurisprudentiæ nævis omnium optime mederi possit, in tribunalibus deplorandæ protractioni ac periculo haud uni expositæ. Opus ipsum dispescitur in *Capita viginti. Primum Caput* exhibet introductionem, Operisque summam. *Secundum* exponit de Theologis, moralis scientiæ studiosis, de Medicis, ac legum interpretibus. *Tertium* edisserit defectus Jurisprudentiæ, inprimis practicæ, internos. *Quartum* agit de defectibus legum & justitiæ administratæ externis.

*Quinto*

*Quinto* differitur de legibus Romanis, earumque interpretibus. *Sexto* exponitur de difficultate discernendi justum ab injusto in casibus bene multis. *Septimum* de judiciis, eorumque nævis, est inscriptum. *Octavo* tractatur de pretio & nævis advocatorum, aliorumque justitiæ administrorum. *Nono* inquiritur, an fieri possit, ut Jurisprudentiæ ætatis nostræ adhiberi possit
melior ordinatio. *Decimo* quæritur, an expediat reducere Pag. 75.
omnem Jurisprudentiam ad solum studium, quod in capitibus legum ponitur. *Undecimo* agitur de reformatione Jurisprudentiæ in capitibus controversis. *Duodecimo* differitur de ea,
quæ requiritur in judicibus, partium vacuitate. *Decimo tertio* 100.
exhibentur regulæ aliquot, quas ii respicere debent, qui justitiam trutina æquitatis expendunt. *Decimo quarto* exponitur de litium protractione, Jurisprudentiæ nævo. *Decimo quinto*
de præscriptione & usucapione agitur. *Decimo sexto* com- 128.
mentatur Cel. Autor de concursu creditorum. Sequenti *Capite* differit de fideicommissis, pubertatis statu, primogenituræ ju-
ribus, & substitutionibus. *Decimo octavo* quæritur, an metho- 155.
dus Græcorum & Latinorum inprimis sit adhibenda in agitandis
causis civilibus & criminalibus. *Undevicesimo* proponitur speci- 161.
men aliquot conclusionum, ad controversa Jurisprudentiæ capita certa referendarum, examini oblatum eorum, qui potestate pollent, leges & statuta condendi. *Vicesimo* additur Operi clausula & coronis. Sub initio explodit *Ulpiani* definitionem, qui Jurisprudentiam vocavit divinarum & humanarum rerum notitiam, justi atque injusti scientiam. Monet, hanc
definitionem encyclopædiæ convenire. Ridet *Accursium*, qui 1.
tradidit, omnia in Corpore Juris inveniri. Addit, leges *Justi-* 2.
*niani*, ad causarum varietatem accommodatas, confusionibus & contradictionibus refertas esse, ac ipsam Jurisprudentiam in
chaos opinionum esse immersam, litibusque magistrorum labo- 4.
rare infinitis. Ostendit, Theologos, qui animam hominis ad beatitudinem dirigere contendunt, Medicinæ & legum arbi-
tros, opinionibus diffidere mutuo pugnantibus. Ex subtili- 6.
tate & intemperantia Legistarum, inde ab A. 1100 enatorum, 8.
succrevisse spinetum impeditissimum, conqueritur. Opiniones

nes variantes Medicorum tolli poſſe, negat, ratus, mala cor-
poris humani ſæpius eſſe admodum occulta & abſtruſa. Theo-
logiæ caſuiſticæ defectus nonnullos per Pontificem exſtirpari
Pag. 10. poſſe, credit. Omnes vero, ſiquidem rationes probabiles
ſæpius fundant veritatem non negligendam, eliminandos eſ-
ſe, negat. Principum opem, qui legislatoria poteſtate valent,
circumſpicit, dolens Juris civilis ac criminalis defectus nume-
roſiſſimos. Legum Latinarum non paucarum obſcuritatem ac-
cuſat. Monet, multas earum eſſe reſtringendas, ac limitibus
12. coercendas. Stupet, reſpiciens ad interpretationes legum. No-
tat Notariorum ignorantiam, qui ſæpius mentem contrahen-
tium, vel teſtantium, aut non recte capiunt, aut obſcure literis
produnt. Reprehendit judicum pervicaciam ac ſententiam,
ſæpius ſibi diſconvenientem. Addimus, patronos cauſarum
ſæpius eſſe in cauſa, cur tribunal non potius alia ac hac ratione
18. judicium ferat. Cum ad nævos Jurisprudentiæ externos pro-
greditur, veteres canit querelas de commentariis, quibus le-
ges ſæpius obſcuratæ, & per contrarias interpretantium ſenten-
tias totum pæne Jus conturbatum fuit. *Juſtinianus* id jam no-
tavit in eis, qui Edictum perpetuum interpretationibus ſuis one-
raverant, in *Præf. ad Pandect.* Idem vetuit, ne quis Commen-
tarium in Codicem conderet, *l. Deo autore C. de Vet. jure enuc.*
20. *§. Noſtram,* & *l. Tanta eod. Tit.*, & in *Præf. ad Digeſta.* At
*Fontanæ Bibliotheca legalis* eſt indicio, Commentarios in leges
*Juſtinianeas* prodiiſſe tot & tantos, ut admodum multa & in-
gentia plauſtra haud ſufficiant eis in ignem transportandis, æter-
naque ſepeliendis nocte. Præſtat, leges habere paucas, easque
luculentas, quas, ſi inciderit de ſenſu dubitatio, Princeps ipſe
interpretetur. Variant enim & ipſæ communes JCtorum opi-
niones temporis ſucceſſu, & in controverſiam vocantur, ob alias
e diametro repugnantes, communes opiniones. Illuſtrat hanc
24. animadverſionem Cel. Autor exemplo *Raphaelis Fulgoſii*, cele-
berrimi conſultoris, qui in controverſia de deſcendentibus ma-
ſculis hæredibus erroneam invexit opinionem, quæ reliquis
JCtis impoſuit, & communis paulo poſt exiſtimata fuit. Scho-
lam *Bartoli Joannes Vinc. Gravina* jam accuſavit inanium ſubti-
litatum,

litatum & forensium cavillationum. Commentatur posthæc Ven. Pag. 27.
Autor de Juris Justinianei in Italiam propagatione, judicans, opinionem eam, quæ, Pandectas A. 1135 Amalfi per Pisanos esse avectas in patriam, dictitat, soliditatis esse expertem. Leges 29.
*Justiniani* esse opus a novem Musis cælatum, & magistro congruens præstantissimo, rotunde negat. Quanta insideat caligo legibus nonnullis, clare & evidenter ostendit. Promit interpretationes aliquot vocis *seminarium*, quod, sensu satis obscuro, legitur *l. vel si vites ff. de Impensis.* *Accursii* delirationes 33.
notat, excusatas a *Gravina.* Reprehendit responsores & consultores JCtos, quippe qui pleraque Juris civilis capita reddiderunt dubia & incerta. Commemorabile est *Bernhardi Claræ-* 44.
*vallensis* judicium de Legibus Justinianeis *de Consider. l, 4: Hæc non tam Leges, quam lites, sunt, & cavillationes, subvertentes judicium.* Virtutes judicis, Deum venerantis, commo- 48.
do proprio haud mancipati, æquitatis studiosi, prædicat, nævosque judicis, judicio capti, & lucro inhiantis, recenset. *Patronorum, seu Advocatorum,* artes malignas & cavillatorias egregie depingit, ut ipsis speculum, in quod intueantur, ob- 55.
vertat. At num Æthiops facile dealbescit? Jam *Vernulejus, Mulzius,* aliique, optarunt, ut Jus Romanum vel expelleretur, vel in ordinem novum, eumque compendiosum, redigeretur. Præivit hoc exemplum *Julius Cæsar,* teste *Suetonio Cap. 44.* 67.
*Marcus Aurelius Antoninus,* teste *Capitolino,* jus magis vetus restituit, quam novum fecit. Idem tentarunt *Septimius Severus* & *Constantinus Maximus,* nec non *Theodosius II.* Quidni 74.
idcirco revocatur Jurisprudentia ad nudas *Justiniani* leges? Quin Commentatores æternis tenebris addicuntur? *Victorius* 76.
*Amadeus,* Rex Sardiniæ & Dux Sabaudiæ, A. 1729 statuit, ut lites decidantur secundum suas constitutiones, statuta localia, decisiones magistratuum ipsius, & tandem ad normam legum communium, rejectis & repudiatis omnium Doctorum allegationibus. Eadem consuetudo viget in Galliis, Anglia, Venetiis, ac in aliis regionibus. Si advocatis sit abstinendum ab autoritatibus prædecessorum, ipsi ratiocinando magis vacabunt. *Budæi* ad *l. 2 de Orig. Juris* hoc est votum: *Utinam* 79.

*prodeat nobis Tribonianus alter, qui cornicum oculos JCtis no-
stri temporis figat, id est, qui tot voluminum acervos, quos ne
Ptolemæi quidem Bibliotheca caperet, certo quodam numero cir-
cumscribat.* Eadem precatus fuit *Cevallos.* Addit Autor vo-
Pag. 82. tum, ut lites forenses celeriter ad finem deducantur. Jesuita
*Adamus Contzenius* & *Decianus* idem votum fecerunt suum, ne
quid de *Hermanno Conringio* moneamus. Indicat idem, quan-
91. tum valeant in judicem amor, odium, spes, & metus, com-
mendatitiarum honor, & quidni invidia, misericordia, & ob-
stinatio? Præcipit itaque, ut in controversiis dubiis judex opi-
100. nionem maxime probabilem sequatur; ne sub æquitatis specie
evertat justitiam; ne arbitrio suo faciat satis in causa litium
ea, quæ vocatur *substantiale*; ne momentum injustitiæ trahat
105. *casus pro amico.* Moras & perennitates litium cupit contrahi
& præcidi. Litium certe multitudo & diuturnitas æque per-
dit regiones ac vis militaris, spoliis exsaturata. De litibus de-
121. curtandis, seu abbreviandis, scripserunt egregie *Hermannus Hoff-
mannus* & *Georgius Valentinus Wintherus.* Attigit causas ali-
quot Cel. Autor, quæ inprimis solent diuturnis involvi alter-
cationibus. Adminicula designat tandem, quibus ærumnæ re-
rum publicarum, e litibus & controversiis forensibus diutinis
subnatæ, possint tolli, certe mitigari. Optamus ex animo, ne
Cel. Autor surdis fabulam narraverit. Meminimus præterea
*Catonis*, ita apud *Gellium* sermocinantis: *Fures privatorum fur-
torum in nervo atque compedibus ætatem agunt; fures publici in
auro atque in purpura.*

## *JOANNIS DE GORTER, A. L. M. MEDICINÆ Doct. & Prof. Ord. ut & Reipublicæ Harderovicenæ Archiatri, Chirurgia repurgata.*

Lugduni Batavorum, apud Balduinum van der Aa, 1742, 4.

Alph. 3 plag. 3.

Tam arctus olim Medicinæ cum Chirurgia nexus fuit, ut *Hippocratis* ætate omnes externarum partium morbi, præter paucissimos quosdam, qui non nisi difficillimis curationibus

bus vinci queunt, qualis vesicæ calculus est, a solis Medicis tractarentur. Qui, cum paulo post omnem efficacem medicinam, quæ ferro & igni utitur, ministris suis exercendam relinquerent, tandem omnium externorum malorum curationem eripi sibi ab his passi sunt. Ut vero his facile fuit, negligentius a Medicis tractatam artem tum occupare, sic Medicis contra, modo vellent, jam non difficile foret, sibi olim ereptam artem iterum vindicare. Et ab aliquo jam tempore inter Medicos exstiterunt, qui ad minimum eam Chirurgicæ artis partem cum Medicina iterum conjungere cœperunt, quæ cum externis, tum internis, corporis affectibus non tam ferro, quam herbis, mederi solet. Idque in hoc libro etiam ab Experientissimo *Gortero* factum est. Quod se vero id ait eo fecisse, ut, qui medendi arti student, externis morbis prius perspectis, quorum multo evidentiores mutationes & facilior cognitio sunt, similes latentes morbos eo certius accuratiusque cognoscere valerent, eo nobis videtur novam plane idoneamque sententiam *de necessario Medicinæ* cum Chirurgia nexu protulisse. Praefat.
Neque vero omnia hoc suo libro complexus est, quæ ad manu medendi artem pertinent. Perpauca enim de vulgo sic dictis *operationibus* chirurgicis, iisque non omnibus, adjecit. Tanto tamen longior fuit in docenda cognitione externorum morborum, eorumque per medicinas curatione. Ordo, quem in toto libro servavit, is est, ob quem fere Chirurgia Anatomæ superstructa liber ipse inscribi possit. Singulis enim libris, in quos hæc Chirurgia divisa est, anatomicam expositionem ejus partis præmisit, cui in iis libris tractati morbi insidere solent. Omnes autem morbos *duodecim Libris* complexus est, qui singuli *plura Capita* comprehendunt. Primo igitur loco necessaria quædam de idiosyncrasia, & temperamentis, de corporis humani divisione, de partibus firmis, deque humoribus, eorundemque morbis in universum, posuit. Inter hos morbos etiam varias acrimonias retulit, quæ a mutata globosa particularum sanguinis figura proveniant. Quo loco ut negare neque hoc volumus, si sphærica illa figura mutaretur, debere acrimoniam nasci, neque etiam hoc, illam vere aliquando mu- Lib. I. Cap. 1, 2, 3, 4.

 tari

tari posse, tamen, an cum omnis acrimonia, tum potissimum hæc, quæ mutatam figuram sequitur, tam frequens malum sit, quam vulgo existimant, dubitamus vel eo, quod neminem exstitisse novimus, & qui se dixerit mutatam illam figuram in sanguine vidisse, quodque, cur acrimoniæ non sæpius teneram internorum viscerum fabricam lædant, quam densam cutem,
Lib. I. nullam idoneam rationem invenimus. Post hæc Cl. *Gorterus*
Cap. 1, 2, primo de structura, deinde de morbis, ossium agit, ac sigilla-
3, 4. tim de fractura, & luxatione, de quibus omnibus multa utilia,
§. 301 aliqua & nova, proponit. Ubi vero cranii fracturam exposuit,
seq. ipsum, mirati sumus, nihil de cerebri læsionibus addidisse. At-
324. que perutilem quoque rem præstitisset, si sanguinis in cerebro effusi notas, perforandique cranii indicia, aliquanto diligentius exposuisset; de qua re permulta egregia fuerunt a recentiori-
341 seq. bus Francicis Chirurgis proposita. Egit tamen satis accurate de modo, cranium modiolo exscindendi. In tractatione de sin-
374. gulorum ossium fracturis monet, collum scapulæ frangi posse,
375. quod ad minimum videtur rarissime fieri debere, si os pectoris fractum introcedat, arteriam venamque mammariam sæpe rum-
376. pi, ac, si in costarum fractura arteria intercostalis læsa sit, digitum admovendum tam diu esse cum linteo, e liquore stiptico
397. expresso, donec fluxus sanguinis sistatur. Porro superfluus Cl. Autori esse videtur fasciarum usus ad ossa vi externa emota suo loco continenda; in qua sententia, metuimus, ut ipsi multi sint
424. accessuri. Recte autem, periculosum esse, ponit, maxillam in-
Lib. III. feriorem emotam alapa inflicta reponere velle. Hinc ad molliores partes transitus fit, &, postquam distributio, structura, & usus, arteriarum diligenter exposita sunt, inter plures arteriarum morbos de hæmorrhagia, inflammatione, abscessu, gan-
§. 510. græna, sphacelo, & anevrismate, agitur. De inflammatione docetur, eam æque ac pulsationem, quæ in inflammata parte per-
542. cipitur, ab obstructione arteriarum non proficisci, neque erysipelas debere cum inflammatione confundi. Inter abscessus
558. sunt, quos ante, quam maturi sint, aperiri oportet. Sunt autem omnes per metastasin ex febre orti, & qui circa cava corporis loca generantur, in quæ, metus est, ne, rupto abscessu,

pus

pus effundatur. Ubi vero operiri abſceſſus debet, fieri poteſt, ut vel æger a ſectione abhorreat, vel pars ipſa eam vetet, aut latior aliqua plaga facienda ſit; quæ omnia efficiunt, ut cauſticum ferro præferatur. Præferri tamen & tunc debet, quod addere potuiſſet Cl. *Gorterus*, cum abſceſſus, ſive venereus, ſive ſcorbuticus, aut a quavis interna cauſa humores corrupti ſunt, quod utiliſſimum antiquorum præceptum eſt. Idem valet de *abſceſſu pectoris* interno, qui in cute ſui indicium facit, *tanquam empyematis ſpecie*, de quo docte Cl. Autor expoſuit. Ad membra emortua reſecanda faſciam injicere ſuadet, ut & caro adſtringatur, & ad ductum faſciæ culter certius circumagi queat, in qua re, ut nihil ſuadet, quod non utile eſt, ſic in eo, quod arteriæ deligationem cum acu, filum ceratum trahente, neceſſariam eſſe negat, neſcimus, an ſine ægri periculo Chirurgus ſequi Cl. *Gorterum* poſſit. In anevriſmate vero dilatatio, in ſpurio vulnus arteriæ, eſt, &, quia arteriotomia occaſionem dare naſcendo anevriſmati poteſt, neque majorem ipſa, quam venæſectio, utilitatem præſtare, ſatius eſt, illa plane non uti. Solent vero & in venis varii morbi naſci, inter quos præcipue varices ſunt, hæmorrhoides, & œdemata, qui *ſive* a ſtructura, ſive a lento ſanguinis per venas, præſertim inferiores, motu, proveniunt. Hoc loco etiam de venæſectione dictum fuit, & datæ quædam regulæ ſunt, ex quibus, qualis ſit venarum delectus faciendus, conſtare poſſet. Longa inde tractatio de cerebro, nervis, & ſpiritibus, ſequitur, a quibus liquor, in capſulis nervorum hærens, quem doctiſſimus Autor ſuccum nervorum nominat, diſtinguitur. Spiritus vero exiſtimat diverſis modis in circulum agi, & in ſenſuum organis, e. g. primo pellucidum liquorem præbere, & cum lympha iterum abſorberi. Præſertim ganglia pro totidem novis fontibus ſpirituum habet, qui in meditullio gangliorum a ſanguine arterioſo ſeparentur. His permultas utiles phyſiologicas & pathologicas quæſtiones de ſpiritibus ſubjunxit, &, in quo dolor conſiſtat, accurate explicavit. Cum cerebro vero quia ſenſuum organa arcte conjuncta ſunt, horum & ſtructuram, &, qui ex hac læſa oriri queant, morbos, diligenter expoſuit. Ad cataractam

§. 560. 579 ſeq. 650. 653. 656 ſeq. 664. Lib. IV. Cap. 2. Lib. V. §. 770. 771. 772 ſeq. Cap. 2 Cap. 3-10. §. 1090.

cataractam deprimendam acus commendatur, quæ ad pollicis distantiam a cuspide globulum habeat, ne opposita bulli pars lædi queat. Ectropium utplurimum a vulnere vel tumore pal-
§. 1107. pebræ oritur, raro a relaxatione. Hæc tamen sola ut causa allegari videtur ex eo, quod adstringentia tantum ad ejus cu-
1108. rationem necessaria esse ponuntur. Recte autem rejicitur sectio, qua ex Chirurgis aliqui lagophthalmum curare volunt, quod malum fortassis solius mollientis fotus longiori usui ce-
1121. det. Ad os unguis cariosum perforandum, vel ferrum candens, utile esse perhibetur, vel medicina corrodens. Quis vero nescit, tutiorem curandi viam esse, quam nostræ ætatis Chirurgi cum acu triquetra, aut alio stilo ferreo non candente, inve-
1122. runt? Ophthalmoxysis inter *periculosas*, *molestas*, & *dolorosas*, curationes refertur, & quæ non debeat, *nisi in gravissimo malo*, institui. Hæc in *quinque* prioribus *Libris* leguntur. In *sexto* Cl. Autor incipit de iis morbis agere, qui sedem suam in cor-
Lib. VI. poris integumentis habent, & quorum expositio, vel propter
Cap. 2. diversissima nomina, quæ sæpe eidem morbo data esse videntur, perdifficilis est. Elegit autem Doctissimus *Gorterus* hunc ordinem. In *Libri septimi Cap. 1 de vulneribus* agit, in quo plura utilia de suturis, deque labio leporino, proponuntur, etsi
§. 1222. assentiri ipsi non possimus in hoc, quod, curari labium leporinum non posse, existimat, si aliqua labri pars desit. Sic etiam
1231. tendinum sutura commendatur, a qua recentiores Chirurgi cauti abstinent, aliaque quædam de vulneribus pectoris & abdominis proponuntur, quæ, etsi nova, tamen vix tuto videntur adhiberi posse. Sequitur *Cap. 2* tractatio *de Excoriatione*, *Cap. 3 de Contusione*, quæ quid in diversis partibus efficiat, accurate indicatur, *Cap. 4 de Combustione*, *Cap. 5 de Congela-*
1286. *tione*, ubi perniones docet a minori frigoris gradu provenire, quam qui glaciem format, *Cap. 6 de fissuris*, *Cap. 7 de ulceribus*, ubi plura videntur desiderari posse, & *Cap. 8 de fistula, alia benigna*, *alia maligna*, *sive callosa*. Aliam classem morborum cutaneorum *Liber octavus* continet, *Cap. 1 pruritum*, *Cap. 2 aspredinem*, *Cap. 3 callum*, *Cap. 4 escharam*, *Cap. 5 colorem mutatum*, & sigillatim *Cap. 6 maculas* omnis generis.

Porro

Porro in *Libri noni Cap. 1 de sordibus curandis* agitur, ad quas refertur *Cap. 2 herpes*, *Cap. 3 impetigo*, *Cap. 4 scabies*, *Cap. 5 pustulæ*, nimirum *gutta rosacea*, *phlyctenæ*, *vari*, *sudamina*, *sirones*, & *hydatides*. Similiter de *clavo*, de *verrucis*, de *tuberculis inflammatoriis*, de *erysipelate* & *de empnevmatosi*, *quinque Capitibus* in *Libro decimo* exponitur. Erysipelatis variæ spe- §. 1419.
cies sunt. Aliud enim *bullulosum* est, aliud *pustulosum*, vel *ignis sacer*, aliud *ulcerosum*, aliud *phlegmonodes*, *scirrhodes*, *aliove modo compositum*. Quia vero in cute parvæ quoque glandulæ inveniuntur, easque & morbi varii occupant, de his in *Libro undecimo* dixit. In *Cap. 1* de *structura & usu glandularum*, quæ mire inter se differunt, aliqua adducta sunt, in reliquis vero Capitibus *lupia*, *struma*, *scirrhus*, *cancer*, & *folliculosus tumor*, exposita. Cancri materiam pinguedinosam, lentam, 1489.
tenacem, & longiori mora corruptam, esse, ipsumque commodissime sectione tolli, affirmatur. Tandem *duodecimus Liber* aliquot *herniarum species* comprehendit. Enterocele duplici 1516.
modo fit. Nam vel intestinum totum, vel lateralis tantum portio, quasi ipsa peculiarem sacculum formans, in dilatati peritonæi saccum devolvitur. Si hernia inflammatione tene- 1521.
tur, &, quæ devoluta sunt, post viginti quatuor horas refundi non potest, sectio institui debet, in qua, si ex sacco aperto aliquis humor profluit, non statim de salute ægri spes abjicienda est. Inter hydroceles species una refertur, quæ sedem 1540.
in substantia testis habeat. Hæc qualis sit, & quomodo oriri queat, nos, libere fatemur, ignorare. Neque accedere Cl. *Gortero* in eo possumus, quod, umbilicum ipsum in omphalocele 1548.
dilatari, existimat. Solet enim semper fere linea alba circa umbilicum laxata omento & intestinis cedere. De hernia crurali, ventrali, aliisque, rarius accidentibus, hic nihil propositum est. In *sexto* & *septimo Capite Libri duodecimi* breviter admodum de *procidentiis*, & de *calculo urethræ*, agitur. Ex his igitur constare poterit, in quibus hæc Chirurgia aliis quibusdam fortassis præstet. Scripta in eum finem est, ut Cl. *Gorterus* li- Præfat.
brum haberet, secundum quem Chirurgiam singulis annis discipulos docere posset. Quare mirandum non est, plurium doctri-

doctrinarum summa tantum capita quasi indicata esse. Fortassis tamen aliqua paulo fusius pertractare potuisset, si permultas, non tam chirurgicas, quam physiologicas, quæstiones omisisset. Atque metuimus, ut ordo tractationis omnibus probari queat. Probabitur vero, quæ in fine libri reperitur, materies medica, huic Chirurgiæ accommodata, sive formularum index, quæ in hoc libro indicantur. Huic alius rerum Index perquam accuratus subjectus est. Tandem scire quoque non inutile erit, esse hunc librum parum ab eo diversum, quem Cl. *Gorterus* ante hos duodecim annos, in gratiam Chirurgorum, Batava lingua conscriptum edidit.

LE SOLDAT, OU LE METIER DE LA GUERRE, CONsideré comme le metier d' honneur, avec un essai de Bibliotheque militaire, &c.

hoc est,

*MILES, SEU PROFESSIO MILITIÆ, CONSIDErata tanquam honoris gradus, una cum specimine Bibliothecæ militaris, per Dominum de **.*

Francofurti ad Mœnum, apud Joannem Fridericum Fleischerum, 1743, 4.

Alph. 1 plag. 8½.

Autori, quisquis ille fuit, constitutum ac persuasum fuit, ita de rebus bellicis disserere ac commentari, ut eis, qui vitam sequuntur militarem, ferociam & violentiæ studium eximeret, ac genuinam de bello statuque militari notionem instillaret. Quo fine jam in Præfatione ipsa de hominibus, qui honorem, bellis quærendum, in vitia & crimina convertunt, cœpit exponere. Exhibebimus libri summam, ut lectori confestim suboleat, quid potissime in omni tractatione Autor respexerit. Miles hic *Capitibus duodecim* absolvitur. *Primo Capite* investigatur honos ille, qui statui militari est propositus. *Secundo* disquiritur, an religio permittat Christianis facultatem & jus ferendi arma. *Tertio* exponitur de virtutibus & cognitionis momentis, quæ homini bellico inesse debent. *Quarto* descri-

describuntur occupationes virorum, militiæ operam navantium. *Quinto* agitur de ducis bellici virtutibus. *Sexto* proceditur ad heroicam agendi rationem. *Septimo* certamina singularia veniunt sub censum. *Octavo* de præparationibus belli exponitur. De conscribendo milite tractatur *Capite nono*. *Decimo* disseritur de disciplina militari. *Undecimo* proponuntur cogitata de officiis humanitatis, ad quæ in ipso bello obligati sumus servanda. *Duodecimo* expromitur consilium, quod eo redit, ut persuadeatur lectori, militem perpetuum ac gentilem præstare copiis mercenariis ac peregrinis. Perspexerunt omnino ii, qui nobilitatis fulgent honore, quantum conditio ipsorum reddita fuerit vilior, ex quo miles mercenarius in usum traductus fuit. Quid ipsis in posterum instet, iidem facile divinando assequuntur. Ne itaque potentia omnis dematur nobilitati, consilium id Autor videtur invenisse. Jucundum lectu solideque elaboratum est, quod veram & genuinam honoris notionem offert & illustrat, *Caput primum*. Interest enim omnino inter honorem verum & adulterinum, ac inter gradus honoris haud ficti. *Cæsari* præfert *Catonem*, rei- Pag. 11. publicæ quippe amiciorem. Vita militaris omnino per sese est officina honoris. Nam genus hoc vitæ est arduum, difficile, & eventu ponderoso excellens. In milite egregio inesse de- 13. bent facultates permultæ, multum ingenii, promtæ actionis ac expeditæ, judicii, virium, rationis vivendi exquisitæ, & fortitudinis. Virtutes hæ haud facile in aliis hominibus, alioque vivendi genere, sunt inter sese conjunctæ. Status militaris statibus reliquis est præsidio. Et, quod majus est, Princeps ipse est militum primus, militiæque suæ præfectus summus. Sic judicat Autor. Addimus & illud, nisi sapientia & jus præluceant statui militari, eum esse belluinum, nec felicem, nec humanum. Juris autem notitia, & momentorum politicorum scientia, atque ejus, quod expedit, consideratio, sunt lumina & vehicula status bellici ac vitæ militaris. Pertinent itaque milites ad numerum instrumentorum, ideoque vocantur *manus*, non caput. Non 26. potest lector sibi temperare, quin fateatur, egregiam illam esse tractationem, qua, religionem Christianam militari statui esse

convenientiſſimam, oſtendit Autor. Addit tamen idem, deſignari a ſeſe religionem hanc, non in ſectas ſciſſam, ſed univerſalem, id eſt, cardinibus fidei præcipuis innixam. Celebrat piam probitatem
Pag. 34. ac heroicam indolem *Guſtavi Adolphi*, Principis *Mauritii Naſſovici*, *Montecuculi*, *Joannis Sobiesky*, & defenſoris Philippiburgenſis, *de Wutgenau* dicti. Militem probum ac nominis menſuræ parem Autor credit naſci haud ſecus ac poetas, oratores, muſicos, pictores, & architectos. Temperantiam laudibus proſequitur juſtiſſimis. Magiſtro rei militaris præcipit pietatem, temperantiam, reliquasque virtutes, notitiam linguæ
43. Gallicæ, immo Italicæ & Anglicæ, diſciplinam Ethices & Juris gentium, ſtudiumque Hiſtoriæ, Politices, Genealogiæ, Mathe-
49. ſeos, & præcipue Architecturæ militaris, atque Oeconomiæ. Suadet, ut Academiæ militares fundentur, ac tirones in ſeminariis prima militiæ diſcant elementa. Ludos Græcorum ac Roma-
52. norum militares laudat. Diſſerit de haſtiludiis, quibus eſt torneamentorum nomen, eorumque originem refert ad *Godofredum de Previlly*, Gallum. *Alexander II* & *Clemens V* uſum illorum merito ſuſtulerunt. Succeſſit in locum torneamentorum certamen equeſtre, quod noſtrates *Ringelrennen*, Galli *Carouſſel*, vocant. De hiſce Autor copioſius diſſerit, haud oblitus *Friderici Wilhelmi*, Regis Boruſſorum, qui milites ſuos
66. pyrio pulvere uti aſſuefecit, eoque quam celerrimo. Militum, literas edoctorum, in numero collocat *Lucullum*, *Epaminondam*, *Archilochum*, *Julium Cæſarem*, *Carteſium*, *Kippingium*, *Buſſium*, *S. Evremondum*, *Rapinum Thoyras*, & *Steelium*. Ultimi celebrat librum, qui inſcribitur *le Heros Chrétien*, jure uti-
88. que ſuo. Ut Princeps ipſe in præliis præſto ſit, ac militibus ſemper interſit, expedire haud arbitratur. Nec exigit a Principe debitum, in gentibus injuſte ſubigendis poni ſolitum. Rationes, ſi quid judicando valemus, affert eo fine tam ſolidas, quam commendabiles, exemplisque munitas. De heroica hominum excellentium indole ita fuit commentatus, ut non poſſit non arridere Lectori tractatio. Heroem delineat virtutibus eminentibus præſtantem, & a vitiis abſtinentem, diſtinguit
97. ipſum ab homicida, tyranno, ſanguinario, ab audace & temerario,

rario, ab heroe commentitio, a *Flaminio* Consule, a *Carolo XII*, Suecorum Rege, qui utinam minus fortitudinis, plusque rationis & humanitatis, habuisset! Similem *Eugenio* adultiori ac *Scipioni* repraesentat heroismum, quorum uterque prudentiam in numerato habuit. Heroismum minus genuinum vivis colori- Pag. 118.
bus depingit. Quantum certamina singularia, quae vocantur *duella*, a ratione sana & Christianae religionis norma abhorreant, 121.
copiose exponit, & adminicula, quibus pestis haec possit exstirpari, subministrat, ratus, honorem eis esse demendum, ipsosque infamia notandos, qui certamine singulari injurias vindicare haud erubescant. Si singula delibare lubitum esset nobis, sententias fere singulas repeteremus, foret necessum. Quare Lectorem ad lectitandum librum remittimus, paucis significaturi, Bibliothecam militarem esse tam amplam, ut, ipsam usibus adhibuisse, sit occupatio non militis, sed hominis, inter literas perpetuo viventis. Exhibentur enim hic librorum indices per historiam universam gentibusque singulis propriam, copiose citra judiciorum adjectum indicium suppeditati. *Pars prior* Bibliothecae exhibet libros Historiae omnis, Antiquitatum, Chronologiae, Geographiae, reique nummariae, praestantissimos, nec non descriptiones bellorum, obsidionum, hominumque illustrium. 132.
*Pars posterior* offert volumina, quibus scientiae militares fuerunt expositae, distributa in classes diversas. *Sectione prima* recenset Autores de re militari veteres; *secunda* recenset Autores, qui de militia antiqua scripserunt, recentiores; *tertia* exhibet seriem scriptorum, qui de arte militari generatim exposuerunt variis linguis; *quarta* offert scriptores, de Architectura militari 135.
commentatos, pro differentia linguarum distributos; *quinta* recenset libros, ad pyrotechniam spectantes; *sexta* exhibet eos, qui de *navigatione* & bello navali exstant, libros; *septima* 149.
libros, de militia pedestri inscriptos, percenset; *octava* ad militiam equestrem spectat; *nona* scriptoribus propria est, qui exercitia militaria descripserunt; *decima* de disciplina est inscri- 151.
pta; *undecima* de bellici itineris ac apparatus praefecto scriptores exhibet; *duodecima* scriptores, de imperatoris officiis commentatos, recenset; *decima tertia* exhibet tacticos scriptores;

Pag. 155. *decima quarta* propria est eis libris, qui de jure belli generatim exponunt; *decima quinta* spectat ad quæstiones singulares, ex jure gentium bellique decerptas; *decima sexta* referenda est ad scriptores de monomachia; *decima septima* complectitur scri-
160. pta de constitutionibus legibusque militaribus; *decima octava* continet libros de meditationibus politicis moralibusque super bello. In calce adjicitur nonnihil de figuris æri incisis, quibus munimenta & castra, obsidiones & prælia, nec non heroes & illu-
165. stres bellatores, exprimuntur. Catalogi indolem data opera adumbravimus, eo quod divisionem hanc approbatione inprimis dignam judicemus. Possunt sibi exinde milites pro arbitratu designare, quos emant versentque, scriptores. Consilio, quod Autor de instruendo milite gentili, eoque perpetuo, proposuit, is adhæret nævus, quod miles haud mercenarius, isque gentilis, facile in Principem ipsum possit excitari, ac per eum proceres nobiles ad incitas & infirmitatem vix credibilem sint redituri. Adjiciemus ea, quæ ad objectionem hanc amoliendam protulit scriptor politissimus. En ejus verba: *Fateor, copiæ gentiles esse possunt propugnaculum contra insolentiam potentiæ injustæ, modumque excedentis. Salus patriæ ac furor dominationis barbaræ provocarent hoc pacto indubie fortitudinem hominum horum, honori suo litantium; ac ridiculum esset, de emolumentis status publici Principem loqui, qui ejus destructorem agere contendit.* De reliquo nihil est, quod in libro, ingenue, probe, pieque, scripto, queamus desiderare. Stilus nonnunquam Germanici quid spirat, simul tamen est tersus, profluens, suoque argumento dignus. Ordo tractationis ad amussim est conformatus. Testimonia scriptorum optima ac luculentissima, passim & in loco adducta, produnt scriptorem multijugæ lectioni innutritum. Addimus hoc unum, nobis videri hunc librum in suo genere excellere, reliquisque palmam, ni præripere, certe dubiam reddere ancipitemque.

## *JOANNIS ROGERII, IN REGIO NEAPOLITANO Lyceo publici Ecclesiasticæ Historiæ Professoris, de Arte dicendi liber, Illustriss. & Excellentiss. Domino JOSEPHO JOACHIMO DE MONTEALEGRE S. Jacobi,*

*Jacobi, & clavis aureæ Equiti, Catholico Monarchæ a Consiliis, &c. utriusque Siciliæ Regi a Secretis status, itemque a Consiliis, ab honore regii cubiculi, &c. dicatus.*

Lucæ, pridie Idus Augusti An. Æ. V. 1736, 8 min. Plag. 8.

Si quo seculo Poesis didactica elegantioribus illustrata exemplis est, hoc certe nostro est. Habet disciplina sanctior *Racinios*; habet Physiologia & Pathologia *Hebenstreitios* ac *Flemyngios*; habet doctrina morum *Popios*; ut reliquas artes atque scientias taceamus, simili ratione carminibus comprehensas. Eloquentia restabat, quæ, quo arctius cum Poesi esse conjuncta solet, eo magis merebatur, ut a sorore quasi natu majore singulatim commendaretur. Non quidem ignoramus, quid hic jam olim præstiterint *Antonius Mancinellus* & *Thomas Farnabius*, sed, ut taceamus, alterum subinde barbarum & absurdum, utrumque autem nimis durum & coactum, fuisse, ambo saltem translationes ac figuras explicuerunt. Universa vero rhetorica disciplina, carmine elegantiore proponenda, *Rogerio* nostro reservata esse videbatur. Gratum igitur ille fecit elegantiorum Musarum fautoribus, dum ita eam decantavit, ut omne videretur punctum ferre. Totum argumentum, *Capitibus XXVIII* comprehensum, carmini elegiaco inclusit, notisque passim ex antiquis Rhetoribus, Oratoribus, ac Poetis, illustravit. Operæ pretium erit, uniuscujusque carminis inscriptionem excerpere, atque adeo totum isthunc laborem uni velut Lectorum nostrorum obtutui subjicere. Ita vero singula *Capita* inscribuntur: 1) *Tribus præsidiis oratoria facultas comparatur, natura, arte, exercitatione; quarum postrema præstat ceteris.* 2) *Oratoriæ artis dignitas, & utilitas multiplex.* 3) *Exercituum imperatoribus necessaria est Rhetorica.* 4) *Imperia initio eloquentia parta; eadem civitatum principibus, resque publicas gerentibus, maximo usui futura est.* 5) *Præceptis apte tradendis intentus versus suavitatem & elegantiam negligit.* 6) *Oratoris finis & officium.* 7) *Materia eloquentiæ, quæ est res quælibet.* 8) *Multarum magnarumque rerum scientia*

*tia futuro oratori necessaria est.* 9) *Inventio qualis esse debeat. Seligenda ad persuadendum idonea.* 10) *Loca, hoc est, argumentorum sedes, ac domicilia, quæ sint.* 11) *Loci Rhetorum proprii, λόγοι, ἤθη, καὶ πάθη, descripti.* 12) *Docetur de triplici genere causarum, earumque partibus, fine, affectibus singulorum propriis.* 13) *De inventione demonstrativi generis, ac primo de laudatione personæ, ac duplici ejus instituendæ ratione, aut per temporum gradus, aut per generum distributiones; varia insuper monita ac præcepta.* 14) *De laude factorum ab honesto, utili, difficili, quorum locorum singulæ indicantur partes. Loci item, unde amplificari istiusmodi laus possit.* 15) *De laude locorum.* 16) *De genere deliberativo, ejusque locis legitimo, æquo, & pio, cujus insigne proponitur παράδειγμα.* 17) *Uberrimus frequentissimusque δημηγοροῖς locus est utile; ejus partes atque usus multiplex. Digressio de difficultate versificationis, & in obtrectatores. Necessarium facile. Jucundi, cum utili conjuncti, magna vis; ejus Maronianum exemplum.* 18) *De possibili, facili, difficili, glorioso, de loco ab eventu. Exempli magna vis in suadendo.* 19) *De collatione honesti cum honesto, utilis cum utili, item utilis cum honesto, & contra.* 20) *De oratione in genere judiciali, ejusque partibus.* 21) *De statibus, hoc est, variis forensium controversiarum generibus.* 22) *De controversiis scripti.* 23) *De constitutione definitiva.* 24) *Quomodo conjectura tractanda.* 25) *Quæ sint in judicio accusatoris partes.* 26) *Quid contra agendum sit reo.* 27) *De elocutione, & triplici dictionis genere, gravi, tenui, mediocri, totidemque vitiis oppositis.* 28) *De affectibus.* Non pigebit, ejusmodi indicem legisse, dum id ipsum intermissum ab Autore fuit. Potius ille sub finem Carmen adjecit, quo natalitium Serenissimi *Caroli Emanuelis*, Sardiniæ Regis, diem celebraturus, Apollinem Musarumque chorum eam in rem invitat. Deinde in regias laudes excurrit, eas præsertim, quas paternus subjectos in populos amor Principis ac providentia omnino singularis meretur. Nos autem, ad poesin Nostri quod attinet, speciminis loco, eloquentiæ laudes subjungemus, quæ sic habent:

*Ut*

*Ut tamen incipias magnis conatibus ire,*
*Et tibi discendi talia crescat amor;*
*Accipe, quanta meæ majestas emicat artis:*
*Quam variæ fontes utilitatis habet.*
*Illa rudes homines primum formavit, & urbes*
*Condidit, & leges, juraque certa, dedit.*
*Illa feros, campisque vagos, sociavit in unum;*
*Jussit & imperii fræna jugumque pati.*
*Fœdera constituit: bellum, pacemque, gubernat:*
*Militiæ regnat, regnat & illa domi.*
*Illa rebellantes urbes, & perfida castra*
*Ad ducis imperium versa redire jubet.*
*Regibus orator, populisque furentibus, iras*
*Temperat, & dominis imperat usque suis.*
*Arbiter est famæ, fortunarumque reorum.*
*Hujus in ore virum vitaque, morsque, sita est.*
*Si magis utilitas, privataque commoda, tangunt;*
*Si ditescendi te magis urget amor;*
*Si te laudis honos, si clari nominis ardor,*
*Gloria si facie te radiante capit;*
*Huc age: quam magnos ad honores nostra facultas,*
*Quam magnas ad opes sternet amica viam!*
*Hic mihi quam multos producis, Græcia, testes:*
*Quotque potes causam, Roma, juvare meam!*
*Ne tamen exemplis veterum videamur egere,*
*Prætereo, Tulli, teque, tuique pares.*
*Aspice causidicos nostræ Sirenis alumnos,*
*Quos toga sublimes conspicuosque facit:*
*Hippolitos, Roccos, Magioccas, atque Grimaldos,*
*Crivellos, Brunos, his aliosque pares.*
*Ergo iter ad summos facundia sternit honores,*
*Et breve; sunt aliæ secula longa viæ.*
*Hæc reliquas inter tanquam regina facultas*
*Imperat, & positas sub ditione tenet.*
*Quid juvat, occultas rerum cognoscere causas,*
*Scrutarive ortus, terra polusque, tuos?*
*Quid juvat, arcanos naturæ quærere fontes?*
*Quid vaga pernici sidera mente sequi?*
*Ah quid inaccessæ rimantem lucis hiatus*
*Lumina trans solis lumen ad ire Dei?*
*Cum remeas cœlo, te circumstabimus omnes:*
*Fare, age, dicemus, singula visa refer:*

*Incipies*

*Incipies hac arte rudis titubare loquendo:*
*Hic mihi, non possum tædia ferre, vale.*
*Ille magis Paulo legum jurisque peritus,*
*Hujus ut est artis, sic eris æris inops.*
*Sedulus ora cliens sequitur meliora, relicto,*
*Qui plus doctrinæ, sed minus artis, habet.*
*Sæpe Senatoris melior sententia regi*
*Non placuit; bona, sed non bene dicta, fuit.*
*Vidi ego, qui legum pueros elementa doceret,*
*Dictantem libros, culte Capasse, tuos.*
*Hunc si convenies, & Commentaria redde,*
*Nam mea sunt, dices, injiciesque manum;*
*Protinus ereptis fugiet sapientia chartis;*
*Discipulus fiet, qui modo doctor erat.*
*Hunc ego, si saperet, non despicienda juberem*
*Inter gymnasii scamna sedere mei;*
*Donec iners abeat timidis infantia labris,*
*Deque suo dives non aliena clepat.*

Neque vero facere possumus, quin, licet longius fuerit istud Carmen, decimi nonnullos versus addamus, quibus locum *Ciceronis Libri II de Oratore*, sedes argumentorum proponentis, ita Noster eleganter expressit:

*Sunt, quæ natura rerum ducuntur ab ipsa;*
*Sunt, quæ sumta foris non leve pondus habent.*
*Te modo tota simul res definita juvabit,*
*Te modo per partes ipsa tributa suas.*
*Argumentorum sunt ipsa vocabula sedes,*
*Remque quod attingit, quantaque quotque dabit!*
*Nam conjuncta genus generi pars subdita magnam*
*Cum simili segetem dissimilique ferent.*
*Quantam promittunt sobolem contraria, quantam,*
*Quod sequitur, bene si noris utrumque locum!*
*Nec minus interea vim consentanea magnam,*
*Et, quod præcurrit, quodque repugnat, habent.*
*Et rerum causas & causis orta videbis;*
*Inque suis majus parque minusque locis.*
*Quicquid habent humana fides, divinaque, certi,*
*Argumenta scias hæc fore promta foris.*
*Talia sunt testes, tabulæ, tormentaque; vatum*
*Talia concepto carmina fusa Deo.*

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*
*Calendis Martii Anno MDCCXLIV.*
**Pars I.**


OEUVRES DE MESSIRE JACQUES BENIGNE BOSSUET, Evêque de Meaux, contenant tout ce qu' il a ecrit sur differentes matieres, &c.

hoc est,

*JACOBI BENIGNI BOSSUETI, EPISCOpi Meldensis, Opera omnia.*

*Volumina V.*

Argentinæ, (Venetiis,) impensis Joannis Baptistæ Abrizzi, 1736-1742, 4 maj.

Tom. I Alph. 3, Tom. II Alph. 3 plag. 10, Tom. III Alph. 3 plag. 14, Tom. IV Alph. 3 plag. 14, Tom. V Alph. 2 plag. 18.

Nostra non egent commendatione immortalia merita *Jacobi Benigni Bossueti*, Episcopi Meldensis, quibus & rem publicam literariam, & suam ecclesiam, sibi olim devinxit. Nec ejus laudes in his *Actis* tacuimus; quin sæpius præclara ingenii *Bossuetiani* monumenta, separatim edita, Lectoribus nostris etiam atque etiam commendavimus. Jam, cum uno corpore conjunctæ in publicum prodeant Viri magni Commentationes, brevibus de toto instituto, & contentis horum *quinque Voluminum*, dicere, nobis est propositum.

*Tomo I* præmissum legitur elogium *Jacobi Benigni Bossueti*, quod non solum ejus vitam & fata recenset, sed etiam laudes & merita in ecclesiam commemorat. Sequitur in hoc *Tomo* Pag. 55.

Expoſitio doctrinæ Eccleſiæ catholicæ ſuper controverſas materias. Oppoſita eſt hæc tractatio eccleſiis, ut vocat, reformatis, eum in finem, ut intelligant veram doctrinam Eccleſiæ catholicæ, & abſtineant a doctrinis ei attribuendis, de quibus ipſa non cogitavit, nec ejus fidem falſo interpretentur; deinde, ut a controverſiis deſiſtant, quæ fundamentum fidei non tangunt. Tum potiores doctrinas ſuæ eccleſiæ proponit, & brevibus explicat, ſimulque dubiis adverſariorum reſpondere annititur.
Pag. 117. Hanc ſuſcipit Collatio *Boſſueti* cum *Claudio Charentonio* ſuper articulo de Eccleſia. Inſtituta fuit hæc collatio Lutetiæ A. 1678, ubi *Boſſuetus* contendit, ab eccleſiæ nutu & Scripturæ autoritatem,& omnes fidei articulos, dependere, quod *Claudius* ab altera parte ſtrenue negavit. Plura de iis, quæ in hac collatione acta fuerunt, jam dicta ſunt in his *Actis A. 1683 pag. 231 ſeq.* quo noſtros Lectores remittimus. Non tacuit *Claudius*, cum *Boſſuetus* hanc Collationem publici juris feciſſet, ſed peculiari libro reſpondit, quo argumenta *Claudii* refellere aggreſſus eſt. Diximus de eo *A. 1684 pag. 374.* Ex ſcriptis *Boſſueti* porro hic leguntur Cogitationes in ſcriptum *Claudii*.
193. Poſtquam enim *Claudius Boſſuetianæ* Collationi ſcriptum oppoſuerat, ut diximus, non e re ſua exiſtimavit eſſe *Boſſuetus*, plane tacere, ſed has Cogitationes ſuas evulgavit. Conſiderat paulo plenius ea, quæ ipſi *Claudius* oppoſuerat, ſuasque ſubinde
279. epicriſes addit. Porro legimus refutationem errorum, qui continentur Catechiſmo *Pauli Ferrii*, Miniſtri eccleſiæ reformatæ, quæ Metis congregata eſt. Examinare inſtituit hujus reformatæ Catecheſeos dogmata, totamque ſuam tractationem in *duas Sectiones* diviſit. *Prima* potiſſimum demonſtrare contendit, quod homo poſſit ſalvari in eccleſia Romana. *Altera* probare vult, fidem Concilii Tridentini circa doctrinam de juſtificatione, & de bonis operibus, eandem eſſe, quæ fuit veteris eccleſiæ; ſimulque contendit, impoſſibile eſſe, quod homo in reformata eccleſia poſſit ſalvari, Reformatos eſſe ſchiſmaticos, rebellare illos
449. contra veram eccleſiam, &c. Amplius invenimus in hoc *Tomo Boſſueti* Literas paſtorales ad novos Catholicos ſuæ diœceſeos, quibus illos excitat ad agendum dies feſtos Paſchatos, & ſimul inſtruit de falſis literis paſtoralibus paſtorum. Initio aſſe-

rit,

rit, pastores ecclesiæ catholicæ esse solos veros pastores; deinde suæ fidei asseclas admonet, ut a falsis doctoribus hac in re caveant, sacra cœna in his diebus festis utantur, simulque, communionem sub una specie esse sufficientem, memorat. Agmen in hoc *Tomo* claudit Epistola de adoratione crucis, qua monstrare satagit *Bossuetus*, justam & æquam esse adorationem crucis Christi, & hunc honorem ipsi Christo exhiberi. Inscriptus est hic *Tomus primus Elisabethæ Christinæ*, Imperatrici Romanorum.

*Tomus II*, qui Imperatrici *Amaliæ* consecratus est, continet Commentationis, historia variationis ecclesiæ Protestantium inscriptæ, *Libros X* priores.

*Tomus III*, *Mariæ Josephæ*, Reginæ Poloniarum, dicatus, ejusdem Tractatus *Libros XI-XV* comprehendit. Hoc Opus *Bossueti* omnibus, qui primis tantum, quod ajunt, labris degustarunt recentiores controversias, satis superque notum est, ut nostra haud egeat commendatione; nec quemquam præterit, quantas lites idem Opus Autori excitaverit. Nos hoc in loco de ejus argumento ut plura dicamus, non est opus, quia de eodem in his *Actis A. 1689 pag. 65* & *pag. 157* abunde dictum, & sententia Autoris dilucide proposita est.

*Tomus IV*, *Mariæ Theresiæ*, Archiduci Austriæ, inscriptus, sex continet Admonitiones ad Protestantes super Epistolis Ministri *Jurii* contra historias de variationibus. *Bossueti* nempe historiam variis modis aggressus fuerat *Jurius*, contra quem caussam suam agit Meldensis Episcopus his sex Admonitionibus, ad Protestantes directis. *Prima*, Christianismum a *Jurio* esse cor- Pag. 1.
ruptum, stabilitumque Socinianismum, ostendere satagit; de qua satis fuse nostris in *Actis* dictum fuit *A. 1690 Mens. Decembr. pag. 619 seq.* *Secunda* docet, reformatam sic dictam re- 69.
ligionem a *Jurio* erroris & impietatis accusatam esse. *Tertia* 113.
contendit, *Jurium* concedere salutem in ecclesia Romana, porro hunc & *Claudium* fanaticismum in reformatam religionem introduxisse, & omnibus ecclesiis reformatis per *Jurium* titulum ecclesiarum fuisse denegatum. *Quarta* exponit, sanctitatem 117.
& concordiam matrimonii Christiani violatam esse, data libertate *Philippo*, Hassiæ Landgravio, duas uno tempore uxores

 ducendi.

Pag. 195. ducendi. *Quinta Jurium* accusat, quod fundamentum imperii Christiani destruat. *Sexta* tandem errores *Jurii* proponit circa immutabilitatem essentiæ divinæ, & æqualitatem personarum divinarum, simulque contra eundem de præsenti statu controversiarum & religionis Protestantium disserit.

*Tomus V*, *Mariæ Annæ*, Archiduci Austriæ, dicatus, quinque
1. continet *Bossuetiani* ingenii fœtus. Occurrit hic 1) Instructio pastoralis, in qua demonstrare Autor contendit, per expressa verba Scripturæ, eadem principia, quæ nos reddant Christianos, et-
73. iam nos debere reddere catholicos. Habes 2) alteram Instructionem pastoralem super promissis Christi, quæ dedit ecclesiæ. Respondetur in hac objectionibus Anonymi, quas contra priorem
197. Instructionem moverat *Bossueti*. Legitur hic 3) Tractatus de communione sub duabus speciebus, in quo de communione sub una specie probare annititur, eandem in veteri ecclesia quibusdam in casibus receptam, aut indifferenter adhibitam, fuisse. Plu-
339. ra diximus in *Actis A. 1683 pag. 230.* Sequitur 4) Explicatio difficultatum quarundam in precationibus Missæ, ad novitium quendam catholicum directa. Etiam de hac fusius dicta legi possunt in
441. *Actis A. 1690 pag. 1 seq.* His subjecta est 5) Explicatio Prophetiæ *Esaiæ* de conceptione sanctæ Virginis ex *Esaiæ VII, 14*, ubi respondetur nonnullis dubiis, & docetur, characterem esse Messiæ, nasci virgine, & inde debuisse cognosci, quod servator ho-
467. minum verus sit Immanuel. Tandem legitur Explicatio literalis *Psalmi XXI*, qui in nostris codicibus est *XXII*, ubi de passione & resurrectione Jesu Christi agitur. Ex singulis his scriptis satis superque Autoris zelum pro sententia ecclesiæ suæ, ejusque fervorem in repellendis aliorum dogmatibus, intelligimus. Gratiam habet orbis literatus Editoribus, quod scripta Episcopi Meldensis plane egregia colligendi, & uno corpore conjuncta edendi, laudatissimum consilium ceperint.

*NIC. HEINSII, DAN. F. ADVERSARIORUM Libri IV, nunquam antea editi, in quibus plurima veterum Autorum, Poetarum præsertim, loca emendantur & illustrantur. Subjiciuntur ejusdem Notæ ad Catullum*

*lum & Propertium, nunc primum productæ. Curante PETRO BURMANNO, juniore, Histor. Eloq. & Poetic. in illustri Frisiorum Academia Franequerana Professore Ordinario, qui Præfationem & Commentarium de Vita Nic. Heinsii adjecit.*

Harlingæ, excudit Folkert van der Plaats, 1742, 4.
Alph. 4 plag. 21.

Nemo inde a renatis literis fuit, qui felicius in Poetis Latinis restituendis illustrandisque versatus sit *Nicolao Heinsio.* Itaque, quicquid ab eo est in isto genere scriptum, id omnibus intelligentibus est, uti debet, carissimum. Quare magno doctorum hominum commodo accidit, ut post mortem ejus, quicquid ille in commentariis ac schedis reliquerat, quod ad literas pertineret, id omne ad *Petrum Burmannum,* Virum summum, & Latinarum literarum nuper principem, perveniret. In his fuit etiam *Adversariorum* Commentarius; cujus edendi spes cum dudum ab eo facta esset, tamen per alios labores, inprimisque *Virgilii* edendi, & notis *Heinsianis* exornandi, curam, in lucem non potuit proferri. Itaque eo descendit tandem, ut e fratre nepoti, & disciplinæ suæ dignissimo alumno, *Petro Burmanno*, Clarissimo nunc in Amstelodamensi Gymnasio Professori, edendi Operis negotium permitteret; qui omnia fecit, ne quisquam diligentiam suam desiderare posset, eoque nomine magnas ab eruditis hominibus gratias meruit, meriturus haud paulo majores, si *Catalecta vetera* digesta & notis illustrata prodiderit.

Adversariorum opus ipsum *quatuor Libros* habet; neque plures sunt reperti. Suspicio tamen est, *quinque* saltem ab eo scriptos fuisse. Nam & *Libro III* ab ipso *Heinsio* mentio est injecta *Libri quinti,* & in Epistola quadam ad *Gronovium*, quæ in *Sylloge Burmanniana Tom. III pag.* 40[illegible] exstat, multa se dicit in adversariis de *succentoribus* congessisse, quorum nulla in his *quatuor Libris* facta est mentio. In avtographo *Heinsiano* librorum ordo definitus non erat. Sed *Burmannus,* Vir Cl. eum ex certis indiciis, in ipso hoc opere, & alibi, exstantibus, constituit. Ceterum nihil aliud sibi præstandum existimavit, quam ut

ut emendate opus & nitide exscriberetur typis. Addidit tamen a se Commentarium *de Vita Heinsii*, eleganter oppido & diligenter scriptum, quem legisse, neminem, si de nostro sensu judicare licet, pœniteat. Accessit etiam aliquod Auctarium ab *Dorvillii*, V. C. liberalitate, *Heinsianæ* in *Catullum* & *Propertium* notulæ, breves illæ quidem & subitaneæ, neque tales, ut *Heinsius*, eas sic edi, voluisse videatur, sed in quibus tamen multa insunt, quæ aut prodesse his Poetis, aut viris doctis cogitandi occasionem præbere, possint. Quod ad materiem attinet, quæ in *Adversariorum Libris* tractatur, ea omnis critica & grammatica est. Quanquam autem per omne Autorum Latinorum genus vagatur opus; tamen Poetas maxime attingit, & horum quoque alium magis alio. Integra Capita bene longa consumuntur in *Propertio* emendando, ut *Lib. I Cap. 2, 3, 9, Lib. II Cap. 1, 5, 6, 15, 17, 18,* item in *Tibullo Lib. IV Cap. 1, 2.* Tum omnes propemodum *Senecæ Tragœdiæ* excutiuntur, *Thyestes Lib. I Cap. 3, Phœnissæ ibid. Cap. 5, Hippolytus Cap. 6, Agamemnon Cap. 11, Medea Cap. 12, Troades Cap. 15, Oedipus Cap. 17, Hercules furens Lib. II Cap. 2, Hercules Oetæus Cap. 10, 12, 14, Lib. III Cap. 2, 5, 6, 7, 17, Autor* denique *Octaviæ Lib. III Cap. 10, 14.* Multa porro loca *Libri I Valerii Flacci* tentantur & illustrantur *Lib. II Cap. 3, Silii Italici Lib. II Cap. 9, 11, 13, 16, 19, Lib. III Cap. 3, 4. Lucani* etiam, cujus editionem ipsum, voluntate Electoris Palatini commotum, parasse constat, *Liber IV* emendatur & illustratur *Lib. I Cap. 13, Liber VI ibid. Cap. 14, Liber VII ibid. Cap. 16, nonus ibid. Cap. 18, decimus ibid. Cap. 19,* & varia denique loca *Lib. II Cap. 7. Martialis* præterea Epigrammata quædam attinguntur, ut *Lib. III Cap. 11, 12, 15, 16, Lib. IV Cap. 8,* & *Statii* loca nonnulla *Lib. II Cap. 4, Lib. IV Cap. 3, 4, 6, 9, 11.* Ne illud quidem omittendum est, quædam *Ovidii*, antea ab ipso emendati, loca retractari. Ceterum nemo debet hæc *Adversaria* illis in *Catullum* & *Propertium* notulis similia putare, hoc est, æque imperfecta. Est utique fatendum, hic quoque multa breviter & paulo jejunius, sive siccius, tractari, manifestumque est, nondum ultimam Autoris manum operi accessisse: quippe etiam quædam aliis locis aliter emendantur, &, quod ante positum erat, mutatur; ex quo genere

nere v. c. illud eſt, quod ad *Lib. I Cap. 18 pag. 191* in *Martialis* verſu (*Lib. VI Ep. 34*):

*Baſia da nobis, Diadumene,* preſſa. *Quot? inquis,*

reponendum cenſuiſſet *ſpiſſa baſia* e *Petronii Cap. 31*; idem *Lib. IV Cap. 8 pag. 613* defendit *preſſa baſia.* Sed idem etiam in aliis libris fecit, (vide v. c. ad *Velleji I, 15, II, 101,* ubi eandem lectionem *Livii* modo rejicit, modo defendit,) & in univerſum tamen multo ſunt hi libri illis notulis elaboratiores, multaque *Capita* ſunt, quæ, credibile eſt, Autorem, ſi vita manſiſſet, eodem modo editurum fuiſſe. Id ut intelligatur planius, ſpecimen proponemus e *Libri III Cap. 1,* in quo verbi *Cratis* variæ ſignificationes illuſtrantur, idque ipſum pluribus veterum Autorum locis, de ſententia ipſius, reſtituitur. Proponitur ab initio locus e *Silii Italici Lib. I v. 205 ſeq.* in quo eſt deſcriptio montis Atlantis. In ea deſcriptione eſt hic verſus:

*Tum geminæ* laterum fauces *maria alta fatigant.*

*Laterum fauces* non intelligebat *Heinſius.* Melius videbatur, quod eſt in Cod. Colonienſi: *laterum cautes*; idque illi olim (ad *Ovidii Faſt. V, 83,*) probabatur, recteque receptum eſt a Cel. *Drakenborchio.* Sed & in notulis ad *Silium*, quæ in *Drakenborchiana* editione ſunt, & hic, ipſi unice placet *laterum crates,* pro coſtis, quæ *crates* Poetis paſſim dicuntur, ut pluribus exemplis oſtenditur, qualia etiam *Drakenborchius l. c.* attulit, in quibus occurrit *laterum crates, ſpinæ crates, pectoris crates.* Hinc emendatur conjectura locus *Plinii XXVIII, 9,* de phthiſi: *Quinto die picem liquidam in ovo ſumi jubent; circumligatis lateribus, & pectoribus & ſcapulis eorum, qui phthiſin ſentiunt.* Ibi vetuſtiſſimus *Chifletianus* Codex habet *lateribus pectoris,* ex quo *Heinſius* facit: *cratibus pectoris.* Idem verbum putat reſtituendum *Senecæ* in *Phœniſſ. v. 161,* ut pro: *effringe* corpus, *corque tot ſcelerum capax evelle,* legatur: *effringe crates,* ſive *coſtas.* Hæc de prima ſignificatione. Dicitur autem *crates* etiam de uncinis ligneis, quibus in carnario carnes aliaque appendebantur; quo refert illud *Juvenalis Sat. XI pag. 82*:

*Sicci terga ſuis rara pendentia* crate.

Hinc *craticula* inſtrumentum culinarium apud *Martialem* ſub

finem

finem *Apophoret.* & *craticula argenteæ mensæ imposita* apud *Petronium. Craticula assari* sæpe apud *Apicium.* Sed & *crate* ac palea tegebantur tecta casarum, unde *Seneca Ep. 90*: *Virgeam cratem texuerunt manu, & vili obleverunt luto.* Conf. *Petronium Cap. 135. Crati* etiam suus usus in castris & ad tecta, & ad supplicium sumendum, cujus rei sæpe apud *Livium* mentio, item apud *Plautum.* Supplicii quidem sub *crate* genus etiam Germanis usitatum fuit, autore *Tacito de mor. Germ.*: *Distinctio pœnarum ex delicto. Proditores ac profugos arboribus suspendunt; ignavos & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, injecta insuper crate, mergunt.* Ponitur porro pro clypeo; unde *umbonum crates* apud *Maronem*, & *æratæ crates* apud *Statium*, &c. cujus rei causa hæc est, quod clypei olim e virgis viminibusque contexti, ut e *Cæsare* apparet; item pro lorica seu thorace, unde apud *Valerium Fl. III 200*: *Per clypei cedentis opus, partemque trilicem*, legendum censet: *cratemque trilicem. Lucanus III, 483*, testudinem vocat *perpetuam cratem*, & *Virgilius favorum cratem* habet. *Cratis* etiam usus in aucupio. Nam area, cui cibus offunditur, aut illices aves adhibentur, circumdabatur crate, unde *decipere volucres crate* apud Autorem *Octaviæ v. 44.* Hinc apud *Ovidium Met. XV, 473*:

*Retia cum pedicis, laqueosque* artesque *dolosas*
*Tollite: nec volucrem viscata fallite virga,*

legendum censet *cratesque dolosas. Crates* præterea pro ovili, aut septo, quo pastores includunt oves, apud *Calpurnium Ecl. I*, *Horatium Epod. 2.* Videntur etiam *crates* instar rastri fuisse in agricultura. *Columella II, 18.* Tales *dentatæ crates* in *Plinii XVIII, 18, 20.* Sunt porro *crates stercorariæ* apud *Catonem Cap. 12, 13*, e virgis, diversæ a sirpeis stercorariis, quæ ex vimine factæ. Conf. *Varronem R. R. I, 20*, *Columellam I, 6. Crates ficariæ* sunt in *Catonis Cap. 55*, in quibus fici ad solem siccabantur. *Crates uvariæ* ejusdem usus *ibid. Cap. 120. Crates oleariæ* ad olivas purgandas. *Casearia* apud *Columellam VII, 8.* Porro apud *Columellam IV, 24*, pro *in ima parte vitis* legit: *in ima crate vitis*, & imam cratem vitis putat esse, ubi vitis incipit divaricare, & in ramos diffundi. Sic *summa cratis laterum* pro superficie ac parte superiori est apud *Palladium* ex emendatione *J. F. Gronovii*, e MSto eruta *Obs. III, 18*, & *Arno-*

& *Arnobius Lib. VI*, Deos gentilium, dicit, esse *laminarum flatilium crates*. In re militari *cratem facere* putat dictum, ut *vallum facere*, atque eo forsan allusisse *Plautum Milit. gloriof. init.*: *Quæ misera gestit ut cratem facere ex hostibus*. Sic enim legendum illum vexatissimum locum censet. Ita miles Therapontigonus in *Curcul. Act. V Sc. 8*: *Ego hodie ex te faciam pilum catapultarium*. Sed crates æque ac pila catapultaria ad expugnandas urbes adhibitæ; & sunt fere eædem, quæ plutei. Apud *Columellam IV, 2*, vitis dicitur *cratem facere*, pro flagellis suis implicari & divaricare, ut alibi loquitur. *Crates* sunt etiam tegumenta navium apud *Sidonium Lib. VIII Ep. 12, Lib. VII Ep. 1.* Fiebant & *cistæ e cratibus*, ut patet e *Plinio XVI, 40*. *Virgilius Æn. XI* pro lecto mortuali *cratem* posuit, eo loco, ubi de Pallante mortuo sermo est. Itaque forte non spernendum, quod in Cod. *Vossii* erat apud *Lucretium Lib. VI*;

*- - - - unde repente*
*Mortiferam possit* cratem *conflare coorta*
*Morbida vis hominum generi* &c.

ubi vulgo est *cladem*. *Cratium* quoque usus in ratium, sive navium, textura apud *Valerium Fl. II, 109*, &c. Etsi non omnes omnia ista, quæ ad emendationes veterum Scriptorum pertinent, probabunt; tamen apparet, quanta rerum copia hic reperiatur, inprimis si cum iis comparentur, quæ in Lexicis sub hac voce congesta habemus. Et ea nos tamen contraximus, quantum potuimus, & ab digressionum ambagibus liberavimus, quæ & in hoc *Capite*, & in aliis, frequentes sunt, lectionemque libri submolestam efficiunt. Sed habet hoc ille cum multis aliis hujus generis, superiori seculo scriptis, commune, & est ceteris ejus bonis condonandum.

*TABULARIUM ECCLESIÆ ROMANÆ SECULI decimi sexti, in quo monumenta, restituti Calicis eucharistici, totiusque Concilii Tidentini, historiam mirifice illustrantia, continentur. Omnia ad fidem autographorum Bibliothecæ Gothanæ diligenter exacta.*

 *Nunc*

*Nunc primum cum annotationibus suis publicavit* ERN. SAL. CYPRIANUS, *S. Theol. D. & Protosynedrii Gothani Præses vicarius.*

Francofurti & Lipsiæ, impensis Wolfg. Ludov. Springii, 1743, 4.

Alph. 3 plag. 7.

Summe Ven. *Cypriani* nomen multis de causis jam olim visum fuit & magnum & illustre. Quis enim ignorat ejus in Historiam ecclesiasticam Germaniæ, ac omnem Philosophiam & Theologiam, merita? Cumulus hisce meritis per Monumenta hæc adjicitur non contemnendus. Dicemus de iis non sine cura, licet minus copiose. Opus ipsum Serenissimo Duci Saxo-Gothano, *Friderico III*, a Cel. Autore fuit inscriptum. Dedicationis formula statuit elegantioribus literis pretium, eis debitum, easque in civitatibus esse necessarias & salubres, licet singuli cives eruditione careant facile, declarat, evehitque Ducis ejusdem majores elogiis justissimis, ex studio literarum comparatis. *Fridericus II*, Gothanus, *Hosianum* literarum commercium Bibliothecæ Ducali intulit. *Fridericus III*, maximum Musarum columen, monumenta *Julii Pflugii*, Numburgensis Episcopi, avthentica eidem inseruit pretio haud vulgari. Ex hisce deliciis Tabularium hocce apparatum fuit. Edidit Ven. Autor hæc cimelia in lucem, ut a compluribus legerentur, & ab omni jactura, qua sæpius literæ dissipari possunt, vindicarentur. Editurus est, quod consilium Deus fortunet, æque Orientalium Christianorum tabularium, siquidem multa *Jeremiæ*, Patriarchæ quondam Constantinopolitani, *Gabrielis*, Philadelphiæ Archiepiscopi, *Theodosii Zygomalæ*, aliorumque Græcorum, avthentica monumenta in Celsissimi Principis Gothani Bibliotheca asservantur, quæ in *Crusii Turco Græcia* haud exstant, edi autem sunt digna inprimis. Habet hoc Tabularium tres quasi pluteos. In *primo* continentur calicis eucharistici, a *Pio IV* laicis restituti, monumenta originalia. *Secundus* exhibet magnorum virorum Epistolas, ad *Hosium* datas. In *tertium* pluteum Cel. Editor comportavit variorum Ecclesiæ Romanæ defensorum, qui Seculo

culo post C. N. decimo sexto pro ea militarunt, documenta ex pluribus selecta, quæ ab avtographis studiosissime transscribenda curavit. Adspersit hinc inde his antiquitatum reliquiis annotationes quasdam, præcipue biographicas, idque in gratiam lectorum, qui rarioribus libris, & historiarum cognitione, carent. *Pars prima* complectitur monumenta literaria decem. *Pars secunda* continet Epistolas 250. *Tertia* exhibet Epistolas 36. Scenam aperit Breve *Pii IV*, quo is Numburgensi Episcopo largitus fuit facultatem porrigendi populo calicem eucharisticum A. 1564, 16 April. Subjecit Ven. Editor annotationes, quibus Pag. 4.
edisseruit Ecclesiæ Romanæ confessionem de instituta divinitus utraque specie, ejusdem confessionem de usu & instituto veteris Ecclesiæ, originem communionis sub una absque dolo invalescentem, veterum Pontificum sententiam de necessitate calicis, Tridentini Concilii legem de communione sub una, *Ferdinandi* Cæsaris intercessionem, *Pii IV* concessionem calicis, & novam, ex eucharistia, calicis ablationem. Intexuit literas *Maximiliani II*, ad 9.
*Julium Pflugium* A. 1564, 26 Julii, datas, quibus, *Ferdinandum I* pridie obiisse, inter cetera significatur. Brevi illi Pontificio succedit *Ferdinandi I* Epistola ad Numburgensem Episcopum, cui 12.
Breve illud fuit inclusum, data A. 1564, 20 Jun. Recensuit in ea Imperator labores & suos, & Principum imperii, de obtinenda calicis eucharistici pro singulis facultate. Excipit eam 15.
*Antonii*, Archiepiscopi Pragensis, Epistola, *Pflugio* eidem missa, cui adjuncti fuerunt articuli de prudente calicis usu, Cæsaris jussu conscripti, & simul hic evulgati. Sequitur hosce decerptum ex Epistola *Bernardi Thanner* ad *Joannem de Monte*, Ca- 26.
nonicum Citicensem & Erfurtensem, A. 1564, 25 Jun. scripta. Intelligitur ex ea, *Urbanum*, Episcopum Gurcensem, satis de Lutheranismo fuisse suspectum. Tum vero offert sese *Cithardi* Epistola ad Numburgensem Episcopum de piis desideriis Cæsaris, & de Concilio Tridentino, A. 1563 scripta. *Cithardi* ex ea undique elucet candor, viri, qui Cæsaris erat a confessionibus & concionibus sacris, eandem dignationem in aula *Maximiliani II* consecutus. Exhibetur posthæc *Canisii* ad *Hosium* Epistola, qua 31.
concessioni calicis eucharistici mira quadam præjudicatæ opi-

 nionis

nionis significatione intercessit, ac, Centuriatores Magdebur-
Pag. 33. gicos distractos esse, nuntiavit A. 1563, 17 Maji. Eximiæ
sunt Ven. Editoris annotationes, quibus ipse vitam *Petri Ca-
nisii* & *Frid. Staphyli* illustravit. *Canisii* ejusdem Epistola, A.
1564, 8 Aug. ad D. *Stanislaum Hosium* data, exponit de ca-
lice concesso, aliisque magni momenti rebus. Quæ de *Joan-
nis Calvini* morte, ex phthiriasi & desperationis vi contracta,
36. narravit *Canisius*, ea aliis accuratius disquirenda relinquimus.
Subjungitur *Bulla cœnæ*, qua A. 1468, 18 Maji, *Paulus II*, Pon-
tifex, *Georgium*, Bohemiæ Regem, a communione suæ ecclesiæ
38. arcere studuit. Eodem fulmine afflati fuerunt *Victorinus*, *Geor-
gii Podiebradii* filius, *Joannes Rocbezana*, Archiepiscopus Pra-
gensis, *Gregorius de Heymburg*, omnesque Wiclefitæ, seu Hus-
sitæ, & ii, qui urbes terrasque, Pontifici tribuendas, sint oc-
43. cupaturi. Restituerat scilicet *Georgius Podiebradsky* Hussitis
47. calicis eucharistici usum. Docuit lectorem Editor ex *Edmun-
do Richerio*, Bullam cœnæ in Galliis haud esse receptam. Hæc
ad *Partem primam*. Delibabimus jam nonnihil ex *Parte se-
cunda*. *Olaus Magnus*, olim Archiepiscopus Upsaliensis, A.
1552, 5 Jul. in Epistola, ad *Hosium* data, dolet Concilii Triden-
tini dilationem. Ven. Editor *Olai* ac *Joannis Magnorum*, fra-
52. trum, vitam illustrat. De *Stanislao Hosio*, Ermlandiæ in Po-
lonia Prussica Episcopo, exponit, additque, ejus icona in pi-
59. nacothecam Gothanam pervenisse. *Jacobi Putei*, Auditoris Ro-
tæ, vitam illuminat, viri, qui tandem Archiepiscopus Baven-
sis & Purpuratus ecclesiæ Romanæ evasit. *Aloysii Lipomanni*,
Episcopi Veronensis, vitam attingit. *Puteus Hosio* commemo-
74. rat, quæ *Pius IV* ab *Hosio*, nuntio suo in aula Cæsaris, fieri
velit, gaudetque, *Maximilianum*, Bohemiæ Regem, eucharistia
sub una specie usum esse. Ven. Editor seriem temporum &
80. periodorum Concilii Tridentini exhibet, vitamque *Caroli*, Car-
dinalis *Borromæi*, dat delineatam, viri, cujus opera præcipua
Concilium Tridentinum maxime celebratum ac finitum fuit.
85. Differit de Concilio nationali, quod *Franciscus II* in Galliis mo-
liebatur A. 1560. *Otto*, Cardinalis Augustanus, *Hosio* autor
88. est, ut, si remedia adversus hæreticos leviora haud prosint,
corpus

corpus urendo ſecandoque a contagionis periculo liberetur. Ven. Editor vitam hujus *Ottonis Truchſess de Waldpurg*, Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopi ac Cardinalis, illuſtrat, ac *Pii IV* Pag. 91.
Bullam indulgentiarum, quam ipſe orantibus Deum, ad hæreſes exſtirpandas, ac ſacri generalis Concilii continuationem, promulgavit, adjungit. Memoratu digna eſt *Borromæi* ad *Hoſium* Epi- 95.
ſtola, qua hunc docet, quomodo cum Cæſare de Concilio agendum ſit, timetque, ne *Maximilianus*, Bohemiæ Rex, ſe penitus Lutheranum profiteatur. Exarata fuit Epiſtola A. 1560, 20 Jun. Addit Ven. Editor minas, quibus ipſum Regem *Pius V* conterrere ſuarum duxerit partium. *Hoſius* in *Maximilianum* fuit durior. Miſſus itaque fuit Roma Viennam *Delfinus*, 111.
Hiſpanus, qui lenius ageret, ac Bohemum reduceret. *Hoſius Pflugium* monet A. 1560, 21 Oct. de ſeminibus Crypto-calviniſticis, quæ Vitebergam eo teneant tempore; ac *Lutherum* appellat *Chriſtum, qui Islebii ſit natus.* Quis vero oſtendit, 114.
*Lutherum* ſe unquam pro Chriſto geſſiſſe? Ven. Editor notitiam de utroque Crypto Calviniſmo Saxoniæ ſubjungit. *Hoſius* in literis, Vindobona datis, laboribus ſuis Romæ meritum haud ſtatui pretium, conqueritur iterum iterumque. *Puteus* ac *Otto*, Cardinales, ejus mœſtitiam conſolantur. *Chriſtophori Madrucii*, Epiſcopi Tridentini, Cardinalis, vitam Editor illuſtrat. Pro- 123.
teſtantium Principibus per *Pflugium* aliosque *Hoſius* perſuaſum cupit, ut ipſi legatos cum plena poteſtate, maturandi Concilii cauſa, mitterent Viennam. Idem A. 1561, 13 Jan. *Pflugium* obteſtatur, ut nuntios Pontificis, Numburgum miſſos, quoquo modo juvet. Memoratu digna ſunt, quæ Cel. Editor 136.
de conventu Numburgenſi adjicit. Idem intexit *Joannis Bellaji*, Cardinalis, ad *Petrum Caſtellanum*, Epiſcopum Matiſconum, 141.
carmen, circa Synodi Tridentinæ auſpicium in literas relatum, unde intelligitur, Clerum Gallicanum ne ab initio quidem bene de Concilio, ejusque fructu, ſperare potuiſſe. De Cardinale *Joanne Morono* ſuccincte exponit juxta ac de *Ludovico Simoneta*, 145.
addítque nonnihil ex *Petramellario* & *Oldoino* de quodam Pſeudo-*Simoneta*. Memorabilis eſt *Borromæi* ad *Hoſium* Epiſtola, A. 1561, 15 Mart. data, qua huic mandatur a *Pio IV*,

ut se Tridentum Concilii dirigendi causa conferat, exspectetque & pileum Cardinalitium, & pensionis menstruæ augmentum.
Pag. 148. Cur *Pius IV* revocaverit facultatem, pro condenda Academia Duisburgensi a Duce Clivensi expetitam, idem *Borromæus* docet A. 1561, 23 Mart. qui eodem anno ad 16 April. de nuntio Pontificis, Concilii significandi causa in Moscoviam mittendo, *Hosium* reddit certiorem. Idem *Hosio* Epistolam, 22 Maji
163. scriptam, mittit Pontificis, quo Borussiæ Dux ad Concilium invitatur. Ven. Editor de *Joanne Bernardino Scotto*, Archiepiscopo Tranensi, & curiæ Romanæ Purpurato, nonnihil tradit, adductus occasione literarum, quibus Cardinalis *Hosio* dignita-
178. tem Cardinalitiam gratulatus fuit. Memorabiles sunt *Canisii* literæ, quibus *Hosium* docet A. 1561, 7 Oct. graves in provinciis Protestantium motus esse exorituros, & *Lutherum* a *Cal-*
190. *vino* etiam in Germania devoratum iri. Ad 4 Dec. queritur idem de Episcoporum Germaniæ, ad Synodum vocatorum, procrastinatione. *Martinus Cromerus*, cujus de vita Ven. Editor exponit, Epistola, 22 Dec. ad *Hosium* scripta, de progressu
203. Concilii dubitat, & de Italis queritur. In Centurias Magdeburgenses iratus est *Canisius* A. 1562, easque refelli cupit. Confutationem vero adhuc edidit nemo. Quæ enim *Conradus Brunus* in *Admonitione catholica* protulit, confutationis nomen
221. haud merentur. *Canisius* nonnihil de Catechismo suo meminit. Alibi de eodem sic sentit: *De Catechismo nihil plane sum sollicitus, neque dignum eum duco, qui ceteris præferatur. Tan-*
224. *tum optabam, veluti Catholicum approbari.* Idem ad *Hosium* queritur, procrastinatum Episcoporum Germanorum ad Synodum adventum. Idem de *Caroli Magni* libello primum edito ita judicat: *Editus & libellus contra imagines autore Carolo*
228. *Magno. Sed falsus hic plane est titulus, ut colligere licet ex Jona, Episcopo Aurelianensi.* Idem prid. Cal. Augusti scribit, ex
238. aula Cæsaris & per ejus Secretarium Oenipontem ea perscribi, & Senatoribus proponi, quæ Synodi autoritatem videantur labefactare. Cardinalis Augustanus *Hosio* negat, se Romæ in consilium adhiberi rerum Tridentinarum, &, omnia sibi occultari, queritur. Idem *Hosio* dissuadet concessionem calicis.

Cardina-

Cardinalis Tridentinus dolet, a XXX Patribus in Concilio disceptatum esse, an Christus se ipse obtulerit in cœlo. Augustanus dolet, *Sotum* ab *Hosio* dissentire, Cordubæ natum A. 1519, defunctum Tridenti A. 1563, 20 Apr. *Borromæus Hosio* scribit, de reducendo ad ecclesiam Romanam Borusso non esse deinceps laborandum. Dolet Augustanus, quod *Hosius*, sui dissimilis, videatur calicem laicis indulgere velle, quam concessionem Romæ urgeri, *Canisius Hosio* nuntiat, ratus, ea unitatem ecclesiæ Romanæ nonnihil dissolutum iri. Cardinalis Tridentinus de dissidiis Patrum in Synodo conqueritur. *Canisius Hosio* nuntiat, Bavarum acriter pugnare pro impetrando calicis usu, ac *Maximilianum II* videri Romanæ ecclesiæ addictum. Idem A. 1563, 2 Maji, miseram Concilii faciem deplorat, dissensionesque in eo & Principum conatus improbat. Idem ad 21 April. summo studio dissuadet calicis concessionem, de Austriacis scribens: *Hi jam oves esse maxima ex parte desierunt. Sanabiliores hactenus Bavari fuere, sed quorum contentiones in proximis comitiis Ingolstadii celebratis satis ostendunt, quantum & hi veneni hauserint ex vicina misereque corrupta Austria.* - - *Dux Brunsuicensis senior tantundem suis permittere subditis dicit.* Internas ipse ecclesiæ Romanæ calamitates dolet, notatque quorundam Theologorum Protestantium volumina in Concilium Tridentinum invectiva. *Hosio* mittit gravamina Protestantium, satis eleganter edita adversus Synodi Tridentinæ restitutionem. De *Francisco Torrensi*, seu *Turriano*, Hispano, Theologiæ doctore, Ven. Editor nonnihil tradit æque ac de *Jacobo Laynez*, atque *Francisco Balduino*, *Nicolao Sandero*, *Bernardino Ochino*, *Joanne Antonio Sorbonello*, *Gabriele Palæoto*, *Fr. Alciato*, *Joanne Polanco*, & *Joanne Maldonato*. *Andradius Hosio* Ulysippone A. 1567 significat, se refutare *Chemnitium*. *Gu. Postelli* Epistola, A. 1567 *Hosio* scripta, hic etiam comparet, unde viri, stupenda imaginatione præditi, indoles patescit & ingenii ubertas, judicii expers. *Joannes Maldonatus Hosio* significat, quæstionem agitari inter ecclesiæ Romanæ doctores, an ministri Calviniani vere baptizare possint. Subdit Ven. Editor: *Magno ecclesia Romanæ dedecori est, quod Monachi hodie, contra*

(Margin: Pag. 241. 253. 257. 299. 306. 308. 326. 362. 435. 442.)

*contra unanimia Stephani Papæ & antiquorum Pontificum decreta, infantes, ab Evangelicis baptizatos, rebaptizant.* Alibi *Maldonatus* ad *Hosium* contendit, baptizatos a Calvinianis ne
Pag. 469. quidem sub conditione esse rebaptizandos. Solida est Ven. Editoris tractatio, qua ostendit, variatam Augustanæ Confessionis editionem nec a Romana, nec ab Evangelica, ecclesia unquam pro ea habitam esse, cui pax religionis publica sit superstructa.
514. Concilium Tridentinum in Galliis unquam publica Regis pro-
518. cerumque autoritate fuisse receptum, inficiatur. Hæc ad *Partem secundam.* In *Parte tertia* leguntur Epistolæ, quarum quamplurimæ ad *Pflugium*, Episcopum Numburgensem, missæ sunt, ac historiam libelli Interim, ejusque conditorum, illustrant. Gra-
549. tissima sunt, quæ Ven. Vir de *Stephano Agricola*, patre & filio, intexuit, nec non ea, quæ de *Joanne Sturmio* exposuit. Mirum sane, *Emanuelem*, Lusitaniæ Regem, A. 1521 ad *Fridericum Sapientem*, Saxoniæ Electorem, dedisse literas, quibus constituit Electoris animum in *Lutheri* perniciem inflammare. At suffecerint hæc in præsens. Lectores enim indubie hujus Tabularii pluteos ipsi perlustrabunt, ac nobiscum Ven. Editoris diligentiam & merita æternum concelebrabunt.

## *JANI PLANCI, ARIMINENSIS, DE CONCHIS minus notis liber; cui accessit Specimen æstus reciproci maris superi ad littus portumque Arimini.*

Venetiis, typis Joannis Baptistæ Pasqualis, ære Autoris, 1739, 4.
Alph. 1, Tab. æn. 5.

Historiam maris Adriatici & Littoris Ariminensis sicut paucos ante annos eruditissimus Vir, *Zanichelli*, quod ad partem vegetabilem, eleganter exposuit; sic eandem politissimus Autor ea parte tetigit, qua ad Testaceorum ordines spectat. Novæ Conchyliorum species quædam ita describuntur, ut luculenter admodum appareat, Autori omnem Conchyliorum, qua patet, ambitum perspectum esse. Nolumus autem ejusdem præcones esse, postquam a conjunctissimo quodam Autoris amico, qui nobis libelli epitomen transmisit, id factum fuit cum successu. Ita vero ille:

Autor

Autor horum Opusculorum est *Joannes* Italice *Bianchi* dictus, qui Latine *Janus Plancus* appellari amat, ut a turba aliorum, qui iisdem nominibus in Italia vocantur, secernatur, idque cernere licet, ut in aliis scriptis ejus multis, ita præsertim in Epistola anatomica, A. 1726 Bononiæ edita, quam adversus *Biancum* Taurinensem, & *Tucconum* Bononiensem, scripsit, quæque iterum paulo post Lugduni Batavorum excusa fuit una cum duabus aliis Epistolis celebris *Morgagni* super eodem argumento. Hanc *Planci* Epistolam hic potissimum memoramus, quia pervulgata est. Totum enim anatomicum & medicum regnum tunc permiscuit, hujusque in suo libro de Anatome bis honorifice meminit *Heisterus*, Germanorum Medicorum princeps. Verum *Plancus*, tantum abest, ut cum quopiam contendat, ut librum, parvum quidem mole, sed pumice lævi expolitum, ediderit, qui cum propter rerum novitatem, tum propter vim Latini sermonis atque elegantiam, ipsi patriæ, Italiæque universæ, erit ornamento. Huc accedit, quod tamen libro extrinsecum est, hanc editionem chartarum nitore & modulorum apta conformatione nulli libro, in Italia, vel apud Transalpinos, ut Itali loquuntur, excuso, palmam concedere. Autor igitur, ut in docta Præfatione primi Opusculi ait, superioribus annis æstum reciprocum maris superi, seu Hadriatici, ad littus portumque Arimini, attente observare aggressus est, atque, dum in eo erat, littus universum quoque horis subsecivis laxandi animi causa lustrabat, ut conchas varias umbilicosque marinos, ut ipse loquitur, contemplaretur, colligeret, suumque in Museolum asportaret. Præsertim vero contemplatus est sedimentum minutum maris, seu arenam quandam, omni concharum genere refertissimam, ex *testis* nempe concharum majorum fractis, & ex minimis conchis & cochleis variis, constantem, quod arenæ genus plerumque ad undas maris prostat, iisque alluitur, præsertim in ejus fluxu. Verum ex contemplatione harum rerum, quas tantum secundo loco, atque oblectandi animi causa, conquisierat, accidit ipsi, ut in iis majores progressus faceret, quam ea in re, quam primo longa meditatione, studio, & labore, atque interdum perpetuis vigiliis, animo concoquerat. Nec mirum

rum sane; æstus enim maritimus propter varias causas torsit semper ac torquebit Philosophorum ingenia. Quare Autor in hoc libro primo loco de Conchis minus notis agit, deinde quasi in Appendicis modum æstum marinum exponit.

Sed, ut ad expositionem primi Opusculi veniamus, quod de Conchis minus notis inscripsit, id divisum est in *Partes tres*, & singulæ in capita varia. *Prima Pars*, quæ potissima est, & universo libro nomen dedit, agit de Testaceis, seu de Conchis, quas Græci Ostracodermata appellant. *Secunda Pars* de Crustaceis, seu de Crustatis, differit. *Tertia* denique breviter de quibusdam corporibus marinis mollioribus, quæ cartilaginea & carnosa dici possunt, exponit. Verum præ ceteris excellit *prima Pars*, præsertim quia in hac septem vel octo genera Cornuum Hammonis nativa referuntur, quæ Autor reperit in sedimento Ariminensi. Nam, ut Historiæ naturalis periti norunt, & ut *Ludovicus Bourguettus*, Neocomensis, ait, ex LX & ultra generibus Cornuum Hammonis, quæ fossilia in montibus reperiuntur, ne vestigium quidem horum in mari adhuc fuerat observatum, ut aliqui de Historia naturali minus docti arbitrarentur, montana Hammonis Cornua inter lusus naturæ esse referenda; verum hi abunde ab Autore nostro cum his nativis, in littore Ariminensi repertis, refelluntur. De his omnibus agit sigillatim, & singulis figuram æri incisam addit, differentiasque apte describit; atque plerumque corpora, his affinia, quæ in montibus reperiuntur, apponit. Inter hæc admiranda sunt Cornua Hammonis fossilia, quæ reperit Autor in terra quadam montis Covignani, qui mons vix secundo lapide ab urbe Arimino versus meridiem distat; nam in singulis unciis hujus terræ duo millia fere testaceorum fossilium reperiuntur, quorum mille & quingenta ad primam speciem Cornuum Hammonis referri debent, & reliqua ad alias species, quas in sequentibus *Capitibus* describit. Admirabile quoque admodum est sedimentum marinum littoris Ariminensis propter immensam vim horum conchyliorum minime vulgarium. In sex enim unciis hujus sedimenti 6700 Cornuum Hammonis primi generis numeavit, & 130 secundi, & 500 & amplius tertii, & fere 120 quarti.

Ex

Ex iis vero Cornibus Hammonis, quæ erecta ipse appellat, minor utplurimum in sedimento est numerus, si ea excipiamus, quæ inter hæc secundi generis sunt, quorum in illis sex unciis sedimenti nongenta fere numeravit. Cornu Hammonis primi generis erectum est minus vulgare, lævissimumque, & siliquam radiculæ perfectissime refert. Secundi generis vero, ut vidimus, est vulgatissimum & striatum, siliquamque ejus herbæ refert, quam *Morisonus* quidem & Botanicorum princeps *Tournefortius* Raphanistrum, ceteri vero Botanici Rapistrum flore albo striatoque, appellant. Omnia vero testacea, hic descripta, vera Cornua Hammonis esse, & non cochleas turbinesve, luculenter probat Autor, quod ea intrinsecus in totidem cellulas, invicem communicantes, sunt divisa, & extrinsecus hujus divisionis totidem apparentibus intersectionibus signum ostendunt, quibus & a Cochleis Turbinibusque differunt, quæ interius unica spirali camera constant. Differunt itidem ab Indico Nautilo, qui re vera & ipse in tot cameras intrinsece est distinctus, verum extrinsecus lævis est omnino atque æquabilis, quo a Cornibus Hammonis secernitur, etsi aliqua eorum, quæ in littore Ariminensi reperiuntur, uti est illud, quod quarto & quinto loco describit, primo adspectu speciem quandam Nautili Indici præ se ferant, quod & visum est *Nicolao Gualterio*, M. D. Etruriæ quondam Medico, & *Petro Christiano Wagnero*, Principis Brandenburgici Baruthini Medico, Viris harum rerum doctissimis, & Autori amicis, quibuscum hæc & alia præclara inventa plerumque communicat. Verum contra hos manifesto ostendit, ad classem Cornuum Hammonis esse referenda. Postquam vero egit de his testaceis minus sane notis, ad alia transit, quæ in hac *prima Parte XXV* circiter *Capitibus* expediuntur, quorum quodlibet articulos varios variarum rerum plerumque continet. Inter hæc testacea curiosa sunt corpora quædam rotunda, quæ Autor genus quoddam Echinorum esse opinatur, quorum 8700 in illis sex unciis sedimenti vulgaris numeravit, sed aliud sedimentum, ex carbone fossili constans, longe plurima continere dicit. Hæc corpuscula ita minuta, & ita levia, sunt, ut 700 vix unicum granum pendant, tamen

 singula

singula cuilibet nudis oculis cernuntur, quin, si confringantur, cernuntur & eorum partes, quæ concavæ apparent. Tanta est divisibilitas materiæ, tantaque vis oculorum vulgo. At hæc vulgus ignavum miratur, minime vero Physici, qui norunt, testante *Musschenbrækio*, granum unicum fili bombycini in partes 2592000 actu oculo visibiles dividi posse. Inter res majores, quas Autor in hac *prima Parte* describit, singularis est *Turbo* quidam, *virgatus* dictus, qui succum continet, qui purpureo colore digitos chartamque inficit, quique *Turbo* fortasse genus quoddam eorum Conchyliorum est, quibus veteres ad pretiosum hunc colorem parandum utebantur, qua arte carent recentiores, qui loco marinorum Conchyliorum Kermesio, Coccinella, & Brasiliensi ligno, utuntur. Etiam in Hadriatico mari priscis temporibus, Anconæ videlicet, nihilo minus ac in Phœnicia & in Africa, purpureus color parabatur, ut innuit *Silius Italicus Lib. VIII v. 438:*

*Stat fucare colus, nec Sidone vilior Ancon,*
*Murice nec Libyco.*

In *secunda Parte* Autor *quatuor* distinctis *Capitibus* agit de quibusdam Crustaceis, non descriptis, & inprimis de quodam Cancro latipede & variegato, & secundo loco de Cancro alio personato, qui humanam faciem præ se fert, sed depravatam, quique vulgo *Facchino* Ariminensibus appellatur.

In *tertia Parte* agit *tribus Capitibus* distinctis de rebus, quæ vel molles sunt, vel cartilagineæ; quare species duas Urticarum marinarum, quæ ignotæ sunt, describit, & tertio loco memorat corpus aliud marinum, Tethyum dictum. In fine libri additum est corollarium rerum prætermissarum, quas tempore editionis libri vel addidit, vel correxit, Autor. Inter res additas in corollario inprimis venit considerandum testaceum quoddam, ab Autore Tubularia dictum, & vulgo *Filograna*, quod opinatur esse nidum minutissimorum vermium marinorum, sed aliqui opinati sunt, id inter plantas esse referendum; & secundo loco Penna marina quædam intus ossea, & extrinsece coloris Amaranthi, propterea *Ceratophyton maris superi, Amaranthoides*

*thoides pennam referens*, Autori dicta, quamque ipse plantam esse arbitratur, sed aliquibus animal videtur.

Exacto *primo Libro* de Conchis, pergit Autor ad tractatum de Æstu maris, quem ipse specimen appellat. Huic etiam elegantem atque eruditam Præfationem præmittit, qua diserte ostendit, in observationibus faciendis hypothesin nullam a se adoptatam. *Per me enim*, inquit, *hic tacebit* Cartesius, *qui maxime pressioni Lunæ, tacebit* Newtonus, *qui Soli & Lunæ attractioni, tacebit denique Galilæus noster, ex quo uterque multa detorsit, & in sua optime convertit, qui duplici telluris vertigini, maris reciprocationes attribuit. Hypothesin nullam præterea ex me confingam, sed propositionibus quibusdam, quicquid per quinquennium in mari nostro observavi, explicabo.* Hypotheses enim, quæ generatim totidem poematia sunt, rerum veritati plerumque officiunt; nam sæpenumero accidit, ut iis addicti ad eas observationes tantum attendant, quæ hypotheses illas confirmare videntur, ceteræ vero observationes, quæ aliquo pacto contrariæ sunt, negligantur. Deinde ostendit, observationes, quas circa fluxum & refluxum maris habemus, paucas admodum esse & mutilas, atque ex eo evenire, ut nullum optimum systema generale, aut particulare, hujus præclari phænomeni habeamus. *Academici Galli quidem eam rem*, inquit, *ære publico in aliquibus portubus Oceani tentarunt; verum hi conquisierunt potissimum, qua hora intumesceret mare in singulis portubus, atque Ephemerides quasdam confecerunt, quibus nautæ statis temporibus scire possent cum navibus suis portus illos commode capere. Quare, bonos illos Gallos, apparet, utilitatem quandam mercatoriam ante oculos habuisse, & lucellum tantum sibi proposuisse. Sed majus aliquod in hac re est, quod sibi contemplandum proponant Physici, quam ingressus navium in portus, vileque rauduſculum. Quibus enim modis & qua ratione terram quatiat Neptunus, eamque contineat, inquirendum, idque modis miris varisque fieri videbimus.* Quare rogat Europæ populos universos maritimos, qui harum rerum aliquem sensum habent, ut in suis littoribus marinas observationes instituant. *Quare rogamus*, inquit,

 *Gallos,*

*Gallos, ut iterum ſuas obſervationes accuratius repetant, rogamus Britannos, Batavosque, qui hodie propter varias colonias in India, Africa, & America, & propter rei navalis excellentiam, imperium maris quodammodo tenere videntur, rogamus denique Sarmatas illos florentiſſimos, qui modo opibus, armis, literis, nulli ſunt ſecundi, quique non tantum per glacialem Oceanum, ut olim, ſed per Hircanum, per Balticum, per Album, per Nigrum, ſeu per Euxinum, Mæotidemque Paludem, longe lateque imperant, ut ſymbolam ſuam hac in re conferant, atque per univerſa maria ſinusque ſuos eruditos homines mittant, qui varios æſtus cognoſcant, nobisque referant*, ut ex iis ſyſtema aliquod generale, aut particulare, de æſtu maris habeamus, ſin minus, habebimus ſaltem ex iis hiſtoriam pleniorem hujus præclari phænomeni, quæ, ut fuſe in ipſo Tractatu oſtendit, huc usque manca admodum fuit & mutila. Ipſe certe pro viribus, quantum in ſe fuit, per quinquennium una cum eruditis adoleſcentibus, qui ipſi adjumento erant, diligenter varia maris eventa perſcrutatus eſt, atque ex ſuis obſervationibus decem & tres propoſitiones deducit, quibus totidem Scholiis & Appendicibus adjectæ ſunt admodum doctæ & eruditæ annotationes. Nos hic tantum ſeligemus aliquot ex iis propoſitionibus, quæ novæ ſunt, ut *tertiam*, in qua oſtendit, diem ipſum ſolſtitiorum, vel æquinoctiorum, nil conferre ad majorem intumeſcentiam, vel detumeſcentiam, maris, ſed ea luna, quæ ſolſtitia, vel æquinoctia, proxime ſequitur, plus mare elevari, & plus deprimi, quam in reliquis lunationibus. In *quarta*, fluxum non eſſe, uti vulgo ajunt, ex ſex horis, neque totidem refluxum, ſed ſpatio XXIV horarum fluxum unum, ejusque refluxum, majorem eſſe, docet, ita ut periodus horum ſimul futura ſit 15 vel 16 horarum. Altera vero periodus erit brevior, qua dies naturalis, ſeu artificialis, quæ Nychthemeron Græce dicitur, explicit. In *quinta*, plus conferre videri, ait, ad diurnum maris æſtum ſolem, quando ſit in meridiano Arimini, quam Lunam. In *octava*, motum maris non eſſe æquabilem in ſuis fluxibus & refluxibus, ſed admodum majorem eſſe in medio cujuslibet, contendit. In *nona*, inter fluxum & refluxum accidere, docet,

motus

motus cessationem, seu quietem aquarum, quam ipse novo vocabulo *aquistitium* appellat, quod communiter unica hora continetur, sed interdum pluribus, præsertim in noviluniis & pleniluniis post solstitia. In *undecima*, ventos violentos efficere, existimat, ut mare multum fluctuet, verum tamen non multum efficere, ut rationem mutet quoad elevationem & depressionem, prout fert status Lunæ præsentis, cui obsequitur. Austrum vero & subsolanum Hadriaticum aliquantum inflare, aquilonem contra & Circium, si vehementes sint & diuturni, ipsum deprimere. In *duodecima*, quolibet vento, modo is sit violentus, & qualibet hora, fluctuans fieri posse mare, judicat, fluctuationibus tamen magis obnoxium tempore fluxus videri, quam tempore refluxus. Quare majorem malaciam, seu tranquillitatem, semper æstate accidere Arimini summo mane, hyeme vero occidente sole, quoniam talibus temporibus refluxus succedit. In ultima propositione, quemadmodum & in *sexta*, ipse ostendit, mare superum, seu Hadriaticum, præter motum communem fluxus & refluxus, alium habere, qui Italice *corrente*, seu *correntia*, appelletur, qua ipse mare tanquam magnum fluentum considerat, quod ab Epiro fluit, & cursu recto littora Dalmatiæ & Histriæ radit, deinde, ut fert locorum natura, flexo cursu ad littora Veneta Galliæ togatæ & Apuliæ pervenit. Ex hoc fluxu, seu *corrente*, ipse opinatur, tractu temporis accidere alluviones, corrosiones, & mutationes particulares alvei marini, quas tamen res maximas non esse arbitratur. In annotationibus hujus propositionis multa erudite affert Autor circa veritatem diluvii, circa doctrinam aquarum fluentium, & circa utilitatem ephemeridum marinarum, ostendens, has non tantum utiles esse navigantibus, & classium maritimarum præfectis, sed vectoribus etiam, & terra iter facientibus. Inter res eruditas, quæ ad doctrinam aquarum fluentium pertinent, observatione dignum est, quod de Romanis dicit, in condendis urbibus, atque in coloniis deducendis, eos sapientiores fuisse, quam posteros in iis amplificandis, idque probat exemplo urbis Ariminensis, Romanorum coloniæ, quæ in pluribus viis, quæ tribus vel quatuor abhinc Seculis minus sapienter adjectæ fuerunt,

runt, alluvionibus est obnoxia. Pars vero urbis veteris, quæ a Romanis condita fuit spatio duorum millium annorum, nunquam aquis & cœno fuit inquinata. Tantum Romani diligentia præstabant in seligendo situ altiori, & loco ab alluvionibus fluminum & maris remoto. Alio in loco magnopere commendat sapientiam providentiamque Patrum Reipublicæ Venetæ in conservandis ditionis suæ lacunis, ut Venetiarum urbs amplissima, quæ in illis sita tantum, ut inquit, ceteris præstat, servetur, nec ei exsiccatione lacunarum multum de præsenti splendore & aeris salubritate decedat. At ipse valde dubitat, an deviatione quorundam fluminum a lacunis, quam fecerunt Hydrometræ & Mathematici varii, quos Patres illi providi consuluerunt, lacunarum incolumitati prospiciatur. Cl. *Planci* dubia fundantur in eo, quod ipse videat, nec Mæotidem Paludem, nec Pontum Euxinum, ingressu tot magnorum fluminum adhuc esse exsiccata, contra ac senserat *Polybius*, qui, nimis subtiliter philosophando, argumentatus est, Mæotidem Paludem, Pontumque Euxinum, ex ingressu Tanais, Istri, Boristhenis, aliorumque magnorum fluviorum, tandem exsiccatum iri. Verum a temporibus *Polybii* undeviginti jam Secula præterierunt, & tamen Palus Mæotis nondum est exsiccata, quin immo urbs Tanaïs (*Azoff*), ad ostia fluminis sita, & Tanaitæ (*Cosacchi del Don*), ipsam urbem & paludem incolentes, eodem splendore vivunt, Pontusque Euxinus mare amplissimum adhuc est, ut vulgo hodie mare majus & nigrum propter amplitudinem appelletur.

Plurimæ sunt doctissimæque res variæ, quas in his Scholiis adducit Autor; & universus liber exscribendus esset, si hic omnia singularia referre vellemus. Succi enim plenus est, ni propter vim sermonis, & propter res egregias, dicamus, plus in hoc libro nervorum & ossium esse, quam sanguinis, quod & de majore Oratore, de quo Græcia gloriatur, dictum volunt, cui & *Plancus* noster stilo venusto, salibusque vere Atticis, perquam similis videtur. Liber igitur ipse inspiciendus est harum rerum studiosis. Nos interim Autorem oramus, ut res alias optimas diviti e pectore, ut Poeta loquitur, fundat, quasque occultas in suis scriniis,

ut accepimus, tenet, eorum, qui ſunt harum rerum ſtudioſi, bono in publicam lucem velit efferre.

## *TRANSITUS MERCURII SUB SOLE, OBSERvatus Vitembergæ d. 5 Novembris Anni 1743 a GE. MATTHIA BOSIO, P. P. Vitemb.*

Hunc tranſitum Mercurii ſub Sole ſumma, qua modo liceret, cura obſervare conſtitueram. Ideo ſic dicta helioſcopia, vel integra quædam camera obſcurata, rejiciebantur, ubi mille ob cauſas nunquam ἀκρίβειαν deſideratam obtinebunt. Directe ergo ſolem intuebar teleſcopio, tantæ bonitatis, ut oculare duorum pollicum ferret, ſolemque nitidiſſimum exhiberet. Amicus, ad pendulum conſtitutus, ſingula ſecunda clare alteque pronuntiabat, de cujus correctione quam ſollicitus fuerim, vides. Fateor enim, eas obſervationes, ubi methodi corrigendi temporis nulla fit mentio, rigidis aliquando Aſtronomis ſuſpectas haberi. Hoc ne de meis dici queat, ipſam adjeci correctionem. *In hac de* 4, vel 5, in appulſu vero cum Mercurii, tum limborum Solis, ad fila, & verticalia, & horizontalia, vix de duobus, nunquam de tribus, ſecundis ambiguitas, utplurimum in ipſo ſecundo certus ſecurusque obſervavi. Nonnullæ obſervationes ſolitariæ quaſi apparent; cœlum enim paulo poſt iſtas factas, atris tectum nubibus impediebat, quo minus appulſus, qui ſequi debebant, ad fila annotarentur. Horum momenta, tanquam inutilia, tuto omittere potuiſſem. Malui attamen, omnia & ſingula imprimi, ne tantillum quidem alterando, vel omittendo, quo principes artis tanto certius de his meis obſervationibus judicium ferre valerent. Ob eandem cauſam jam nihil inde deduco, nudas obſervationes, ſed ſola ſua certitudine ſuperbientes, hic publicando, ubi lineis incluſa, & una litera notata, obſervationes, inſtrumento in eodem ſitu factas, indigitant.

A. 1743 ☾ d. 4 Novembris, pro correctione horologii, quadrante teleſcopico, cujus radius $1\frac{1}{2}$ pedum, ſingula minuta prima exhibente, cœlo ſatis ſereno,

| h | ′ | ″ | Altitudo Solis ° | ′ | h | ′ | ″ | h | ′ | ″ | Meridies h | ′ | ″ |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 9 | 54 | 18 | 18 | 15 | 1. | 48. | 33 | 23. | 42. | 51 | 11 | 51 | 25½ |
| 10 | 0 | 7 | 18 | 48 | 1. | 42. | 30 | 23. | 42. | 37 | 11 | 51 | 18½ |
| 10 | 4 | 12 | 19 | 3 | 1. | 38. | 8 | 23. | 42. | 20 | 11 | 51 | 10 |
| 10 | 7 | 17 | 19 | 15 | 1. | 35. | 40 | 23. | 42. | 57 | 11 | 51 | 28½ |
| 10 | 12 | 10 | 19 | 30 | 1. | 30. | 28 | 23. | 42. | 38 | 11 | 51 | 19 |
| 10 | 15 | 45 | 19 | 52 | 1. | 26. | 27 | 23. | 42. | 12 | 11 | 51 | 6 |

| | h | ′ | ″ |
|---|---|---|---|
| Ergo meridies . . . . . | 11. | 51. | 17¼ |
| & correctio horologii prima (addit.) | | 8. | 43 |
| ob variatam declinationem Solis, correctio horologii secunda, | | | 16 |
| hinc correctio horologii totalis, additiva. | | 8. | 59 |

♂. d. 5 Nov. cœlo mox post initium nebulosis, sæpe densioribus, nubibus obducto. Telescopio prorsus excellente 8½ pedum.

| | Tempus Penduli h | ′ | ″ | Tempus correct. h | ′ | ″ | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | 9 | 12 | 10 | 9 | 21 | 9 | jam tantillum ☿ ii intravit. |
| | 9 | 13 | 0 | 9 | 21 | 59 | immersio totalis, certa. |
| | | 14 | 0 | | 22 | 59 | diametro una integra Mercurius a proximo margine Solis immersus. |
| A. | | 15 | 48 | | 24 | 47 | ☿ ad horizontale filum. |
| | | 15 | 54 | | 24 | 53 | Solis margo proximus ad idem. |
| B | | 16 | 23 | | 25 | 22 | Mercurius ad horizontale filum. |
| | | 16 | 31 | | 25 | 30 | Solis margo proximus ad idem. |
| | | 16 | 58 | | 25 | 57 | Mercurius ad horizontale aliud. |
| C | | 17 | 34 | | 26 | 33 | Mercurius ad horizontale filum. |
| | | 17 | 42 | | 26 | 41 | Solis margo proximus ad idem. |
| D | | 18 | 44 | | 27 | 43 | Mercurius ad horizontale filum. |
| | | 18 | 48 | | 27 | 47 | Mercurius ad verticale. |
| E | | 19 | 23 | | 28 | 22 | Mercurius ad horizontale filum. |
| | | 19 | 34 | | 28 | 33 | Solis margo proximus ad idem. |

Tempus

| | Tempus Penduli | | | Tempus correct. | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | h | ′ | ″ | h | ′ | ″ | |
| F | | 21 | 35 | | 30 | 34 | Mercurius ad horizontale. |
| G | | 22 | 33 | | 31 | 32 | Mercurius ad horizontale. |
| | | 22 | 46 | | 31 | 45 | Solis margo proximus ad idem. |
| H | | 23 | 44 | | 32 | 43 | M. ad horizontale. |
| | | 23 | 57 | | 32 | 56 | S. margo proximus ad idem. |
| | | 24 | 20 | | 33 | 19 | M. ad horizontale. |
| | | 24 | 36 | | 33 | 35 | S. margo proximus ad idem. |
| I | | 24 | 57 | | 33 | 56 | M. ad horizontale aliud. |
| | | 25 | 10 | | 34 | 9 | S. margo proximus ad idem. |
| | | 25 | 34 | | 34 | 33 | M. ad horizontale tertium. |
| | | 25 | 49 | | 34 | 48 | S. margo proximus ad idem. |
| | | 26 | 24 | | 35 | 23 | Solis margo, in tubo, & mihi ſiniſter, Soli dexter, ad verticale. |
| | | 26 | 56 | | 35 | 55 | M. ad horizontale. |
| K | | 26 | 59 | | 35 | 58 | M. ad horizontale aliud. |
| | | 27 | 14 | | 36 | 13 | S. margo proximus ad idem. |
| | | 27 | 37 | | 36 | 36 | M. ad horizontale aliud. |
| | | 27 | 53 | | 36 | 52 | S. margo proximus ad idem. |
| | | 28 | 39 | | 37 | 38 | Solis margo in tubo, & mihi ſiniſter, Soli dexter, ad verticale. |
| L | | 29 | 5 | | 38 | 4 | M. ad horizontale. |
| | | 29 | 44 | | 38 | 43 | M. ad horizontale aliud. |
| | | 29 | 55 | | 38 | 54 | M. ad verticale. |
| | | 31 | 5 | | 40 | 4 | S. margo idem ad verticale. |
| | | 31 | 25 | | 40 | 24 | M. ad horizontale. |
| | | 31 | 46 | | 40 | 45 | S. margo proximus ad idem. |
| M | | 32 | 6 | | 41 | 5 | M. ad horizontale. |
| | | 32 | 20 | | 41 | 19 | M. ad verticale. |
| | | 32 | 44 | | 41 | 43 | M. ad horizontale aliud. |
| | | 33 | 6 | | 42 | 5 | S. margo ad idem. |
| | | 33 | 30 | | 42 | 29 | S. margo, ſemper idem, ad verticale. |
| | | 33 | 47 | | 42 | 46 | M. ad horizontale. |
| N | | 34 | 10 | | 43 | 9 | S. margo ſemper & hic, idem (is nempe, qui in tubo ſuperior apparebat,) ad horizontale. |
| | | 34 | 28 | | 43 | 27 | M. ad horizontale aliud. |
| | | | | | tunc | | denſi vapores 12′. |
| | | 46 | 56 | | 55 | 55 | Sol ad verticale. |

| | Tempus Penduli. | | | Tempus correct. | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | h | ′ | ″ | h | ′ | ″ | |
| | 9 | 47 | 20 | | 56 | 19 | Mercurius ad horizontale. |
| | | 47 | 24 | | 56 | 23 | idem ad aliud. |
| O | | 47 | 57 | | 56 | 56 | Sol ad horizontale. |
| | | 48 | 0 | | 56 | 59 | idem ad aliud. |
| | | 48 | 49 | | 57 | 48 | Mercurius ad horizontale tertium. |
| | | 49 | 28 | | 58 | 27 | Sol ad idem. |
| | | 49 | 55 | 9 | 58 | 54 | S. ad verticale. |
| | | 50 | 39 | | 59 | 38 | M. ad horizontale. |
| P | | 51 | 6 | 10 | 0 | 5 | M. ad verticale. |
| | | 51 | 24 | 10 | 0 | 23 | M. ad horizontale. |
| | | 52 | 4 | 10 | 1 | 3 | S. ad idem. |
| | | 52 | 32 | 10 | 1 | 31 | S. ad verticale. |
| | | 53 | 11 | | 2 | 10 | M. ad horizontale. |
| Q | | 53 | 43 | | 2 | 42 | M. ad verticale. |
| | | 53 | 56 | | 2 | 55 | S. ad horizontale. |
| | | 54 | 40 | | 3 | 39 | M. ad horizontale. Quo momento simul margo Solis Mercurio proximus filum superius (in tubo) radebat. |
| | | 55 | 25 | | 4 | 24 | S. ad verticale. |
| R | | 56 | 35 | | 5 | 34 | M. ad idem. |
| | | 56 | 47 | | 5 | 46 | M. ad horizontale. |
| | h | | | | | | |
| | 10 | 5 | 33 | | 14 | 32 | S. ad verticale. |
| | | 6 | 9 | | 15 | 8 | M. ad horizontale. |
| S | | 6 | 41 | | 15 | 40 | M. ad verticale. |
| | | 6 | 58 | | 15 | 57 | M. ad horizontale. b. |
| | | 7 | 9 | | 16 | 8 | S. ad horizontale. |
| | | 8 | 0 | | 16 | 59 | S. ad horizontale. b. |
| | | 8 | 36 | | 17 | 35 | S. ad verticale. |
| | | 8 | 48 | | 17 | 47 | M. ad horizontale. |
| T | | 9 | 39 | | 1 | 38 | M. ad horizontale. b. |
| | | 9 | 43 | | 18 | 42 | M. ad verticale. |
| | | 9 | 53 | | 18 | 52 | S. ad horizontale. |
| | | 10 | 44 | | 19 | 43 | S. ad horizontale. b. |
| | | 11 | 32 | | 20 | 31 | S. ad verticale. |
| | | 12 | 30 | | 21 | 29 | M. ad horizontale. a. |
| V | | 12 | 39 | | 21 | 38 | M. ad verticale. |
| | | 13 | 24 | | 22 | 23 | M. ad horizontale. b. |
| | | 13 | 43 | | 22 | 42 | S. ad horizontale. a. |

Tempus

| | Tempus Penduli. | | | Tempus correct. | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | h | ' | '' | h | ' | '' | |
| | 10 | 14 | 10 | | 23 | 9 | Sol ad verticale. |
| | | 15 | 14 | | 24 | 13 | Mercurius ad horizontale. a. |
| W | | 15 | 16 | | 24 | 15 | Mercurius ad verticale. |
| | | 16 | 8 | | 25 | 7 | Mercurius ad horizontale. b. |
| | | 16 | 29 | | 25 | 28 | Sol ad horizontale. a. |
| Wb | | 18 | 34 | | 27 | 33 | altitudo Solis. 19°. 45'. |
| X | | 27 | 57 | | 36 | 56 | S. ad verticale. |
| | | | | nubes | | | ſpiſſæ. |
| | h | | | | | | |
| | 11 | 2 | 13 | 11 | 11 | 12 | S. ad verticale. |
| | | 2 | 23 | | 11 | 22 | M. ad horizontale. |
| Y | | 3 | 21 | | 12 | 20 | M. ad horizontale. b. |
| | | 4 | 0 | | 12 | 59 | S. ad horizontale. |
| | | 4 | 44 | | 13 | 43 | S. ad horizontale. b. |
| | | 6 | 18 | | 15 | 17 | S. ad verticale. |
| Z | | 6 | 37 | | 15 | 36 | M. ad horizontale. |
| | | 7 | 10 | | 16 | 9 | M. ad verticale. |
| | | 7 | 46 | | 16 | 45 | M. ad horizontale aliud. |
| | | 8 | 56 | | 17 | 55 | S. ad verticale. |
| | | 9 | 46 | | 18 | 45 | M. ad verticale. |
| a | | 9 | 59 | | 18 | 58 | M. ad horizontale. |
| | | 11 | 6 | | 20 | 5 | M. ad horizontale aliud. |
| | | 11 | 57 | | 20 | 56 | S. ad verticale. |
| | | 12 | 16 | | 21 | 15 | M. ad horizontale. |
| b | | 12 | 47 | | 21 | 46 | M. ad verticale. |
| | | 13 | 27 | | 22 | 26 | M. ad horizontale aliud. |
| | | 14 | 4 | | 23 | 3 | S. ad verticale. |
| c | | 14 | 53 | | 23 | 52 | M. ad verticale. |
| | | 15 | 19 | | 24 | 18 | M. ad horizontale. |
| | | 15 | 44 | 11 | 24 | 43 | S. ad verticale. |
| | | 15 | 55 | | 24 | 54 | M. ad horizontale. |
| d | | 16 | 33 | | 25 | 32 | M. ad verticale. |
| | | 17 | 8 | | 26 | 7 | M. ad horizontale. |
| | | 17 | 44 | | 26 | 43 | S. ad horizontale. |
| | | 18 | 9 | | 27 | 8 | S. ad verticale. |
| e | | 18 | 56 | | 27 | 55 | M. ad verticale. |
| | | 19 | 20 | | 28 | 19 | M. ad horizontale. |

| | Tempus Penduli. | | | Tempus correct. | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | h | ' | " | h | ' | " | |
| | 11 | 20 | 22 | | 29 | 21 | Sol ad verticale. |
| f | | 21 | 9 | | 30 | 8 | Mercurius ad verticale. |
| | | 21 | 22 | | 30 | 21 | Mercurius ad horizontale. |
| | | 23 | 2 | | 32 | 1 | S. ad verticale. |
| g | | 23 | 46 | | 32 | 45 | M. ad verticale: |
| | | 23 | 56 | | 32 | 55 | M. ad horizontale. |
| h | | 26 | 28 | | 35 | 27 | altitudo Solis. 22°. 25'. |
| | | 27 | 24 | | 36 | 23 | S. ad verticale. |
| i | | 28 | 9 | | 37 | 8 | M. ad verticale. |
| | | 28 | 43 | | 37 | 42 | M. ad horizontale. |
| | | 29 | 12 | | 38 | 11 | S. ad verticale. |
| k | | 29 | 48 | | 38 | 47 | M. ad horizontale. |
| | | 29 | 57 | | 38 | 56 | M. ad verticale. |
| | | 30 | 7 | | 39 | 6 | M. ad obliquum. |
| | | | | mox nubes. | | | |
| l | | 51 | 43 | 12h | 0 | 42 | S. ad verticale. |
| | | 52 | 21 | 12 | 1 | 20 | M. ad verticale. |
| | | 54 | 30 | | 3 | 29 | S. ad obliquum. |
| m | | 54 | 32 | | 3 | 31 | S. ad verticale. |
| | | 55 | 10 | | 4 | 9 | M. ad verticale. |
| | | 55 | 33 | | 4 | 32 | S. ad verticale. |
| n | | 56 | 7 | | 5 | 6 | M. ad verticale. |
| | | 56 | 43 | | 5 | 42 | S. ad verticale. |
| o | | 57 | 20 | | 6 | 19 | M. ad verticale. |
| | | 57 | 56 | | 6 | 55 | S. ad verticale. |
| p | | 58 | 32 | | 7 | 31 | M. ad verticale. |
| q | | 59 | 58 | | 8 | 57 | S. ad verticale. |
| | 12 | 0 | 35 | 12 | 9 | 34 | M. ad verticale. |
| r | | atræ | | | nubes. | | densi vapores. |
| | 1 | 4 | 0 | 1 | 12 | 59 | S. ad verticale. |
| | 1 | 5 | 9 | 1 | 14 | 8 | S. ad verticale. |
| s | | 5 | 25 | | 14 | 24 | M ad verticale. |
| t | | 6 | 18 | | 15 | 17 | S. ad verticale. |
| | | 6 | 34 | | 15 | 33 | M. ad verticale. |
| u | | 7 | 13 | | 16 | 12 | S. ad verticale. |
| | | 7 | 28 | | 16 | 27 | M. ad verticale. |

Tempus

| | Tempus Penduli. | | Tempus correct. | | |
|---|---|---|---|---|---|
| h | ′ | ″ | h ′ | ″ | |
| x | 8 | 6 | 17 | 5 | Sol ad verticale. |
| w | 8 | 21 | 17 | 20 | Mercurius ad verticale. |
| x | 8 | 53 | 17 | 52 | S. ad verticale. |
| | 9 | 8 | 18 | 7 | M. ad verticale. |
| y | 9 | 36 | 18 | 35 | S. ad verticale. |
| | 9 | 50 | 18 | 49 | M. ad verticale. |
| z | 10 | 29 | 19 | 28 | S. ad verticale. |
| | 10 | 43 | 19 | 42 | M. ad verticale. |
| a | 11 | 1 | 20 | 0 | S. ad verticale. |
| | 11 | 16 | 20 | 15 | M. ad verticale. |
| | | | nubes. | | |
| b | 20 | 31 | 29 | 30 | S. ad verticale. |
| | 20 | 44 | 29 | 43 | M. ad verticale. |
| c | 21 | 23 | 30 | 22 | S. ad verticale. |
| | 21 | 35 | 30 | 34 | M. ad verticale. |
| d | 21 | 54 | 30 | 53 | S. ad verticale. |
| | 22 | 6 | 31 | 5 | M. ad verticale. |
| e | 22 | 35 | 31 | 34 | S. ad verticale. |
| | 22 | 43 | 31 | 42 | M. ad verticale. |
| f | 23 | 23 | 32 | 22 | S. ad verticale. |
| | 23 | 33 | 32 | 32 | M. ad verticale. |
| g | 23 | 57 | 32 | 56 | S. ad verticale. |
| h | 25 | 36 | 34 | 35 | S. ad verticale. |
| | 25 | 47 | 34 | 46 | M. ad verticale. |
| i | 26 | 15 | 35 | 14 | S. ad verticale. |
| | 26 | 24 | 35 | 23 | M. ad verticale. |
| k | 26 | 45 | 35 | 44 | S. ad verticale. |
| | 26 | 54 | 35 | 53 | M. ad verticale. |
| l | 27 | 22 | 36 | 21 | S. ad verticale. |
| | 27 | 32 | 36 | 31 | M. ad verticale. |
| m | 27 | 51 | 36 | 50 | S. ad verticale. |
| | 28 | 0 | 36 | 59 | M. ad verticale. |
| n | 28 | 15 | 37 | 14 | S. ad verticale. |
| | 28 | 24 | 37 | 23 | M. ad verticale. |

Tempus

| Tempus Penduli. | | | Tempus correct. | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| h | ′ | ″ | h | ′ | ″ | |
| I | 31 | 13 | | 40 | 12 | Sol ad verticale. |
| 0 | 31 | 19 | | 40 | 18 | Mercurius ad verticale. |
| I | 41 | 26 | I | 50 | 25 | tangit Mercurius Solem. |
| I | 42 | 0 | I | 50 | 59 | exitus totalis, satis certe, multas equidem per nubes, sed summo conatu secure omnino. |

## HISTOIRE DE PHILIPPE, ROI DE MACEDOINE, ET Pere d' Alexandre le Grand, &c.

id est,

## *HISTORIA PHILIPPI, MACEDONIÆ REGIS, AC patris Alexandri Magni; Autore OLIVIERIO, Academiæ humaniorum literarum Massiliensi adscripto.*

## *Tomi II.*

Parisiis, apud de Buré, seniorem, 1740, 8.

Alph. 1 plag. 14.

Rebus humanis jam exemtus fuit *Claudius Matthæus Olivierius* A. 1736, 24 Oct. ejusque elogium scripsit Dominus *de Chalamont de la Visclede*, perpetuo ab actis Academiæ illius Massiliensis. Legitur illud *Tomo priori* præfixum. Didicimus inde, *Olivierium* A. 1701, 22 Sept. lucem adspexisse vitalem, usum patre *Joanne Baptista*, mercatore Aquis Sextiis in Provincia, matre *Magdalena Granot*, literas arripuisse in Collegio Oratorii indidem, tribus inde annis Theologiam a Patribus Dominicanis fuisse edoctum, ac ibidem in Academia Jurisprudentiæ hauriendæ perstudiosum fuisse. A. 1720 pestem patri sensit exitiosam, qui Massiliæ tum obiit suum diem. Hoc in loco ipse deinceps patronum causæ egit. Ad tribunalia admissus, adversarium suum perpetuis ironiis & demonstrationibus apogogicis ita oneravit, ut judex & assessores sibi a risu haud possent temperare. Limam adhibere scriptis forensibus plerumque omisit. Conviviis & sociali voluptate delectatus parum

rum temporis habebat reliquum, quod litibus cum cura tractandis sufficere potuisset. Si quando ad literarum studia animum appelleret, in eis erat perdius ac pernox per 14 dies circiter. Paulo post otio ac frivolis addictus erat rebus per tres quatuorve hebdomadas. Diebus 14 id perficere ac elaborare poterat, quod aliis impendio semestris laboris constitisset. Ingenio enim & memoria abundabat, nec imparatus erat a judicio. Assiduitati si valuisset sese consecrare, magnus & primarius provinciæ evasisset advocatus. Literis humanioribus, tanquam canis e Nilo, studuit imbibendis, nec tamen hospitem in iis egit. Calluit enim Historiam antiquam & novam, sacram & profanam, Chronologiam, artem criticam, eloquentiam, poesin, Latinam linguam, & mediocriter Græcam. Paulo ante obitum Ebraico addiscendo sermoni vacare cœperat. In Physica experimentali erat versatissimus, & systemati accesserat *Malebranchiano* metaphysico. Theologiam excoluerat. Mathematicas disciplinas attigerat. Laudatur ejus in Critiam *Platonis* Dissertatio, qua contendit, per Atlantidem designari Palæstinam Judaicam, per *Neptunum* designari Deum Israelis, & per sex *Neptuni* filios duodecim Tribus Israelis. Tabulam ejus chronologicam celebrant. Mirum sane, ei nil pædantismi literarii adhæsisse, potiusque celebrari ejus artem quibuscunque placendi, ne fœminis quidem exceptis. Inchoavit ipse Academiam humaniorum Pag. 28.
literarum, quæ adhuc Massiliæ floret, a *Villarsio*, duce bellico, in patrocinium suscepta, ab Academicis Francicis adoptata. Societas ipsa constitit primo sociis decem, deinde autem viginti. Coïerunt ipsi primo apud *Peissonellum*, nunc Medicum Regis Guadelupæ, exacto biennio post apud Equitem, *de Porrade* dictum. *Olivierius* frequens societati interfuit, suasque recitavit lucubrationes generis haud unius. Ut *Philippi* vitam memo- 42.
riæ proderet, somno suo nimium pepercit, eique profligando sæpius potionem *Caffè* præmisit, eaque frequentius hausta, ipse in corpus suum ejusque vires exstitit noverca. Morbus inde eum excepit, maciem & tristiora intervalla ferens, depascensque intra triennium virum alioqui firmum, vegetum, & alacrem. Paulo ante morbum ingruentem scripsit *Reflexiones* in

Pag. 44. *Meloni* librum: *Discours politique sur le Commerce*, qui A. 1734, 8, prodiit ἀνωνύμως & ἀτόπως. Diximus de eo alias. *Olivierii* libellus exiit in lucem A. 1740, 8, Hagæ Comitum, sub titulo: *Reflexions politiques sur les Finances & le Commerce*. Exposuimus quoque de hoc libro, licet tunc temporis Autor a nobis ignoraretur. Jam ægrotans *Olivierius* ceperat consilium libri scribendi de eo, quod centum ante C. N. annis omnes rerum eventus per divinam providentiam conformati fuerint evangelicæ prædicationi, quæ cœpit vergente imperio *Augusti*. Valedixit tandem rebus humanis A. 1736, 24 Oct. Inter scripta ejus excellunt, quæ jamjam sunt commemoranda: *Dissertation sur la vie & les Ouvrages d'Hesiode*; *Dissertation historique sur l'ancienne Académie de Marseille*; *Projet & Plan*
47. *de l'Histoire de Marseille*; *Discours sur le besoin, que la raison a de l'imagination*; *Memoires sur les secours donnés aux Romains par les Marseillois pendant la seconde guerre Punique*; *Paralléle de Tibulle & d'Ovide*; *Plan de l'Histoire Ecclesiastique de Marseille*; *Paralléle de Philippe & d'Alexandre*; *Mémoires sur les secours donnés aux Romains par les Marseillois durant les guerres contre les Gaulois*; *Dissertation sur l'époque de la fondation de Marseille*; *Discours pour exhorter l'Academie à faire l'Histoire de Marseille*; *Histoire de Philippe, Roi de Macédoine*. Omisimus nonnulla haud adeo magni mo-
49. menti. Vitæ *Philippi* præmissa est Dissertatio procemialis, seu isagogica, in *Philippi* historiam, ac præcipuos, qui de eo expo-
51. suerunt, vel meminerunt, scriptores. Monet in limine, *Philippum* Regum destinata sapienter & prudenter attemperasse scopo, scopumque cum adminiculis copulasse ita, ut fines speciales conformaverit fini primario. Ipsum, quamprimum regnum capessivit, de imperio Persico evertendo cogitasse, con-
55. tendit. Infidelitatis crimen in *Philippo* notant plerique. Autor, ut ab eo liberet heroem suum, provocat ad testimonia *Theophrasti*, *Polybii*, ac *Ciceronis*; quorum primus *Philippum* vocavit maximum Macedoniæ Regum, secundus appellavit Græciæ beneficum, tertius, illum semper exstitisse magnum, existimavit. Si quid judicando valemus, tria illa testimonia non abster-

abstergent *Philippo* maculam fidei sæpius violatæ, licet haud inficiemur, autoritatem *Demosthenis*, in *Philippum* vehementissime Pag. 57
invecti, scriptores bene multos eo impulisse, ut judicium tulerint de *Philippo* severius. *Demosthenes* enim personam *Philippi*, non nævos solos, oderat. Id vero haud sustinet negare Autor, *Philippum* arcanorum suorum fuisse custodem rigidissimum, ac destinationes suas celasse alios, atque alia quæcunque per legatos præ se tulisse. Athenis devictis ultra promissa indulsisse 61
ipsum, docet idem. *Isocratis Orationem ad Philippum* dilaudat, eamque prælio Chæronænsi priorem esse mensibus aliquot, censet. Memorat præterea *Isocratis* quatuor ad eun- 64
dem literas, requirens in *Isocrate* eloquentiam masculam, nervisque corroboratam, qualis in *Demosthene* eluxerit. Jacturam Historiarum Philippicarum *Theopompi* merito dolet. Significavit *Athenæus*, *Theopompum* notasse mores *Philippi* licentiosiores. At huic testimonio Noster opposuit præstantius *Isocratis* testimonium. Prædicat compendiosam commemorationem, quam *Diodorus Siculus* ex *Theopompo* decerpsit, ac Libro suo XVI intexuit, notis quippe chronologicis adstrictam. Notat in *Diodoro* nævos duos: unum, quod annum captæ Olynthi confudit cum anno, quo *Philippus* villas Olynthiacas invasit; alterum, quod annos XI & XII regni, a *Philippo* administrati, vacuos rebus gestis exhibuit. *Trogi Pompeji* Historiam Philippicam celebrat, doletque, eam intercidisse. Accusat epito- 68
matorem *Trogi*, *Justinum*, negligentiæ, hunc quidem in modum: *Accurationem in hoc desideramus, siquidem reperiuntur in nonnullis antiquis MStis compendia librorum Trogi, ab ipso adornata, sub titulo Periocharum Trogi. Exinde constat, Justinum non modo ordinem rerum gestarum invertisse, res omisisse præcipuas, & adjecisse novas, sed multas etiam narrasse in modum, a Trogo prorsus diversum.* Reprehendit porro *Justinum* Autor 70
eo, quod is ex *Trogo* & *Demosthenis* invectivis compagem consuerit in vita *Philippi*, secum passim pugnet, nec Chronologiæ sit adeo studiosus. *Paulus Orosius* ipsi videtur declamationes *Justini*, in *Philippum* effusas, repetiisse, ut eos, qui a Christiana religione aversi fuerint, doceret, plus mali ante religionis

Christianæ initia orbem tenuisse universum, quam hac confirma-
ta, atque *Symmacho* ita responderet. *Orosius Philippum* numerat
inter Dei flagella, ac respectu seriei chronologicæ *Justino* est ac-
Pag. 72. curatior. Vita *Philippi*, a *Plutarcho* conscripta, periit. No-
ster in ipso notat nævos insignes, in vitis *Pelopidæ*, *Demosthe-
nis*, ac *Phocionis*, admissos, ratus, ipsum potius indoli homi-
num depingendæ, quam rerum gestarum veritati, fuisse intentum.
*Aristidem*, Oratorem, qui duas in *Philippum* Orationes effinxit,
*Philippo* minus favisse, ac *Isocrati* obtrectasse, monet. *Gemisthi
Plethonis*, qui consignavit literis supplementum *Xenophontis*
usque ad *Alexandri M.* expeditionem, opus reputat pro imper-
74. fecto, & ex fontibus vulgaribus depromto. Gallus, *de Tur-
reil* dictus, *Demosthenem* Gallice fecit loqui, ac interpretationi
illi adjecit cogitata de historia Græca, in quibus ea, quæ de
*Philippo* collegit, majoris sunt pretii. *Rollinus* exhibuit vitam
*Philippi* accuratiorem, exoptans tamen in Præfatione, ut scri-
ptor *Philippo* obtingeret, ad rationes & momenta undique at-
76. tentus. Requirit Autor in *Rollino* rerum gestarum accuratam
expositionem, notatque eximiarum particularum omissionem.
*Olivierius* nulli pepercit operæ, ut Macedoniæ divisionem
priscam, *Philippi* majores ab *Hercule* ortos, Edessam a *Ca-
rano* expugnatam, res a progenitoribus *Philippi* gestas, ac com-
plura monumenta, solide edissereret. *Archelai* Regis in Philo-
7. sophos favorem prædicavit. Bellum Olynthicum, *Amyntæ* ævo
a Lacedæmoniis gestum, vivis coloribus delineavit. *Philippi*
indolem ac rerum gestarum magnitudinem admiratus videtur
impensius, quam res ipsa exigit. Sæpius agit potius Apologe-
tam, quam Historicum. Geographiam, Chronologiam, mores
priscos Græcorum, diligenter habuit in numerato. Nec fa-
cile quidquam attentionem ejus præteriit, quod ad res *Phi-
lippi* enarrandas facere potest. Eventus cum causis ubique pro
viribus conjunxit. Id unum dolemus, ad sententias singulas
confirmandas testimonia, e fontibus desumta, haud fuisse adscri-
pta. Nisi idcirco per ea denuo iveris, de rerum expositarum
veritate, seu consensione cum testibus idoneis, certus esse haud
potes. Si quis vero in monumentis veterum est versatus sedulo,

is

is facile intelliget, Autorem explorasse singula, nec reliquias, passim obiter obvias, omisisse intactas, ut librum hunc omnibus numeris daret absolutum, prædicabilem sane, nisi mortem autori suo diligentissimo, & vires omnes ad hanc spartam ornandam contendenti, intulisset.

*CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI, S. Theol. D. ejusque & Hist. Lit. Prof. Dissertationum Sylloge, diligenter recognitarum, novisque illustratarum accessionibus.*

## *Tomi I Pars I.*

Gottingæ, apud Jo. Guil. Schmid, 1743, 8.
Plag. 16.

Exemplo aliorum multorum constipare in unum corpus constituit Cel. Autor minutiora scripta sua; qualia & recudi quondam curavit in sua *Pœcile*, itemque in *Primitiis* suis *Gottingensibus Academicis*. Sed illæ quidem Dissertationes, quæ duobus his voluminibus conclusæ sunt, hac nova in *Sylloge* non exhibentur, sed ceteræ, quas longo tempore emisit, paucis initio publicatas exemplaribus. Promittit autem, non alias se nunc iterum emissurum, quam quæ vel cognitam jam confessamque veritatem novis fulciant tibicinibus, vel nova aliqua, satisque munita, doctrina amplificent fines humanæ scientiæ. Easdem vero ita hic exhibet, ut sint multis locis partim locupletiores, partim secundis curis limatiores. Et hic quidem *primus Fasciculus* Dissertationes habet undecim, quarum prima est *de Confessionis Augustanæ lenitate*. Jam *Seckendorfius* animum induxerat, singulari Dissertatione pertractare hoc argumentum. Cum autem nec ab eo, nec ab alio quoquam, id factum sit; Noster huic labori se accinxit. Docet initio, ob clarum jam lenitatis studium Protestantes Principes *Melanchthonem* jussisse, non *Lutherum*, componere *Confessionem* Cæsari exhibendam. Tum causas indicat, quibus permotus *Melanchthon*, stilo usus est lenissimo. Videbat scilicet, pruden-

tiæ esse, hoc tempore ita se gerere. Consistit autem lenitas hujus Confessionis in eo, quod primo persuasum it Cæsari, Protestantes cum Pontificiis doctoribus optimis in summa religionis convenire, *nec quidquam inesse in Augustana Confessione, quod a Romana ecclesia discrepet.* Cum vero multis hæc verba fuerint offendiculo; pluribus ea illustrat Noster. Deinde multas Scholasticorum doctrinas silentio præterit Confessio, rixandique occasionem subtrahit adversariis. Tertio errores Pontificiæ ecclesiæ non nominat *hæreses*, imo ne *errores* quidem, sed leni vocabulo *abusus.* Quarto denique amphibolia utens, Missam a Protestantibus abrogatam esse, diserte negat. Noster hinc ostendit, quem fructum hujus suæ lenitatis ceperint Confessores Augustani. Fiebat scilicet, ut & Imperator se præberet mitiorem, & Pontificii Principes hac in Confessione acquiescerent, & ipsorum Theologorum adversæ partis optimus quisque eam laudaret. Ceterum, cum postea *Melanchthon* non maneret fidelis in omnibus *Lutheri* assectator, quibusdam nostratium in mentem venit negare, eum esse Confessionis Augustanæ *autorem.* Hæc igitur causa diligenter hic disceptatur, & ita quidem, ut doceatur, verum omnino ejus autorem fuisse *Melanchthonem*, sed, cum non suo, sed Principum, nomine eam confecerit, haudquaquam ei licuisse postea quidquam in ea mutare. Ultimo loco & hanc observat Noster *Melanchthonis* ceterorumque Confessorum prudentiam, quod, cum Cæsar callido instinctu suorum Theologorum Protestantes juberet ceteras suas exhibere doctrinas omnes, id facere recusarent modestissime, videntes scilicet, id a se fieri non posse, quin a via lenitatis diverterent, suaque adeo peccarent in commoda. Adjunctæ sunt huic Dissertationi septem *Lutheri*, & duæ *Melanchthonis*, nunc primum editæ, Epistolæ, quas Gottingam miserunt: quæ nec ipsæ carent *Heumannianis* annotationibus.

*Secunda* Dissertatio est *de Jubilæis, ab Evangelica ecclesia quinquagesimo quoque anno justius celebrandis.* Non solum argumenta hanc in rem afferuntur, sed etiam autoritates. Nominantur enim plures nostratium Theologorum, qui jam antea hanc ingressi sunt sententiam.

In

In *tertia* consideratur *providentia Christi, regis ecclesiæ, Electoratum Germanicum conjungentis cum regno Britanniæ.* Christum sui regni, hoc est, ecclesiæ suæ, curam gerere intentissimam, eamque tueri ab hostium moliminibus, cum docuisset Noster e sacris oraculis; quinque ævi recentioris producit instrumenta, quibus Christus usus est ad liberandam summo periculo Protestantium ecclesiam, *Mauritium*, Saxoniæ Electorem, *Wilhelmum*, Principem Auriacum, *Elisabetham*, Angliæ Reginam, *Gustavum Adolphum*, Regem Sueciæ, & *Wilhelmum III*, Britanniæ Regem. Tandem, quod non ita pridem Electoratuum Germaniæ unus cum regno Britanniæ conjunctus est, Christi providentiæ tribuendum esse, judicat; cum facile appareat, quantum inde roboris accedat Protestantibus ecclesiis.

Dissertatio *quarta* est *de præcipua causa, ob quam discipulis Christi tribus se conspiciendos præbuerint & audiendos Moses & Elias, Matth. XVII, 1 seq.* Interpretatur hic Noster totam istam historiam summa cura, ac præcipue respondet ad has quæstiones: Cur *Petrum*, *Jacobum*, & *Joannem*, non alios e suis discipulis, Christus hoc spectaculo dignatus est? Unde constitit discipulis his, adesse *Mosem* & *Eliam*? Unde *Moses* huc venit, & quale corpus habuit? Cur e tanto Prophetarum numero *Moses* & *Elias* delecti sunt, qui e cœlo mitterentur ad Christum? Tum docet, eo fine divinitus exhibitum fuisse hoc spectaculum, ut Christiani redderentur certissimi de vita æterna, & ita eorum corroboraretur pietas.

*Quinta* est *de persecutione Pliniana.* Illustrantur hic *Plinii* & *Trajani* de Christianis Epistolæ, ostenditurque pluribus & variis argumentis utriusque erga Christianos benevolentia: quæ & a *Tertulliani* ingeniosa objectione defenditur. Id igitur hic agit Noster, ut appareat, non satis acute inspexisse has duas Epistolas interpretes; quare iis adhibet intimorum *Plinii Trajanique* consiliorum considerationem pragmaticam. Simul hic duo *Plinianæ* Epistolæ loca emendantur probabilissime.

*Sexta* inscripta est *de reluctatione Dei adversus Jacobum, Gen. XXXII, 24 seq.* Usitatam hujus loci, quem *Lutherus* judicavit

dicavit *unum esse e totius Veteris Testamenti locis obscurissimis*, interpretationem de lucta, sive monomachia, *Jacobi* cum angelo, vel potius cum filio Dei, rejicit Noster, docetque summo studio, non *luctari* hic Deum cum *Jacobo*, sed Deum *Jacobo reluctari*, ab eoque, suppliciter licet rogatum, ut maneat, utque ipsi benedicat, discedere, ejusque amplexui se extorquere conari. Scilicet, solus cum esset *Jacobus*, &, concepto fraternæ hostilitatis metu, ardentissimas effunderet preces, accidit præter opinionem, ut quidam eo loco se conspiciendum ipsi præberet, quem statim agnoscebat esse spiritum cœlestem, humana forma indutum. Hic cum præteriturus ipsum videretur, ruebat in ejus complexum *Jacobus*, eumque flens orabat, ut se suosque præsentissimo eriperet periculo. At, cum nihilo minus, discessurum se, simularet ille angelus, arctiori eum complexu sibi adstringebat patriarcha, non dimitto te, inquiens, nisi exorata tua gratia. Reliquam hujus historiæ interpretationem prætermittimus, brevitatis nostræ memores.

*Septima* est *de Geographia Christum tentantis Diaboli, Matth. IV, 8, & Lucæ IV, 5, 6.* Hic, aliorum interpretationibus refutatis, docetur, Christo, in excelsum montem deducto, Diabolum monstrasse digito situm singulorum regnorum, ita exclamantem: En hic Roma jacet, istic Ægyptus, illic Syria, cetera; tumque multo sermone prædicasse regnorum illorum pulchritudinem & opulentiam. Vocabulo *monstrare* etiam significari & Græcis & Latinis, *oratione aliquid exponere longiori, & menti velut conspiciendum exhibere*, satis demonstratur, observaturque simul in *Matthæi* loco dilogia, quam vocant Rhetores.

In *octava* illustratur *præconium angelicum*, quod exstat *Lucæ II, 14.* Novam hic Noster exhibet observationem, putans, post καὶ colon figi oportere, ut hic sit sensus: *Dicebant angeli: Gloria Deo excelso. Et:* (hoc est, *& postea dicebant,*) *Pax in terra*, cetera. Multa producit Novi Testamenti loca, ubi vocula καὶ eodem usurpatur modo. Totum dein locum hunc perstudiose interpretatur, eique hunc tribuit sensum: *Laudetur ac prædicetur Deus, Deus ille verus. ille*

*ille unus, qui est in cælo. Namque ejus beneficio nunc felicitas hominibus redditur, iique fruentur summa perpetuaque voluptate ac lætitia. Pacem* enim in sacris libris esse *felicitatem*, εὐδοκίαν autem significare hic acquiescentiam & tranquillitatem animi, satis manifestum reddit.

Dissertatio *nona* est *de primis Apostolis, iisdemque evangelistis pastoribus Bethlehemicis, Lucæ II, 8 seq.* Summo opere & hic locus consideratur, ac præcipua diligentia respondetur ad tres hasce quæstiones: Cur nativitas Christi primum his pastoribus fuit annuntiata? Quonam indicio cognoverunt hi pastores, qua in domo lateret modo natus Messias? Cur ii, quibus id narratum fuit a pastoribus, non concurrerunt ad videndum infantem sanctissimum? Libet secundæ duntaxat quæstionis proferre enodationem. Animadvertit videlicet Noster, non dixisse ad pastores angelum, reperturos ipsos esse infantem ἐν φάτνῃ, sed ἐν τῇ φάτνῃ, atque hoc ipso docuisse, infantem Messiam repertum iri in eo stabulo, e quo in campum oves suas eduxerint.

*Decimo* loco profertur *Meditatio de modo, quo visuri sumus Deum in vita æterna.* Refelluntur hic, qui, beatos homines cernere Deum oculis sui corporis, credunt. Tum docetur, eo modo, quo angeli se mutuo intuentur, visione scilicet spirituali, qua careant in hac vita humanæ mentes, visuros esse in cœlo beatos homines Deum pariter & angelos, postquam hac spirituali visione animæ ipsorum a Deo instructæ fuerint. Tangitur etiam illa, jam olim agitata, quæstio, an Christus, inter homines degens, suis carneis oculis Patrem viderit.

*Postrema* est Dissertatiuncula *de eloquentia Medici.* Occasionem hujus argumenti tractandi suppeditavit Nostro *Cornelius Celsus, Hippocratem,* scribens, fuisse *virum & arte* (medica) *& facundia insignem.* Demonstrat igitur duos fructus eloquentiæ, quos capiat Medicus. Disertum namque Medicum cura metuque relevare *patientes*, (quod vocabulum minus barbarum esse, simul docet,) & hoc pacto aptiores reddere ad recuperandam sanitatem. Deinde Medicum, ad lectum sui clientis diserte docteque enarrantem morbi causam, vimque medicamenti, summam sibi conciliare fiduciam, tantumque famæ, ut,

concursu ad suas ædes facto maximo, verum evadat vulgatum illud: *Dat Galenus opes.* Hinc disertorum Medicorum exempla ex omni promit historia, nec illud *Aristotelis* oblitus, qui ad Medicum suum, *Ne me cures*, inquiebat, *ut bubulcum & fossorem, sed causam morbi edissere.* Rite tamen simul eloquentiam discernit a charlataneria medica, quæ immortalem, sed eam malam, famam peperit *Menecrati.* Nec dimittit hanc occasionem, suam dicendi sententiam, cur medicam artem *mutam* vocarit *Virgilius.* Cum enim *Cicero*, artem pingendi, artemque fingendi, opponens arti dicendi, sive eloquentiæ, eas appellet *artes mutas;* nihil dubitat, eodem sensu a *Marone* medicam artem vocari *mutam*, cum exerceatur in cubiculis, Medicique privatam & obscuram vivant vitam, non prodeuntes in scenam oratoriam, non consectantes adjutrice eloquentia splendida munera civilia.

*ERNESTI MARTINI CHLADENII DE GENTIlitate veterum Romanorum Liber singularis, in quo cum jura, tum historia & fata, familiarum Romanarum, fide scriptorum, legum, numismatum, marmorum, aliorumque monumentorum antiquorum, illustrantur & explicantur.*

Lipsiæ, prostat in officina Langenhemiana, 1742, 4.
Alph. 1 plag. 10.

Operi limatissimo perhonorifica est illa, qua Cl. Autor id Reverendissimo atque Illustrissimo Domino Sacri Rom. Imp. Comiti *de Brühl* sacravit, dedicationis formula, tum ex voto præmisso, tum ex carmine Sapphico, gratiæ decorisque habens plurimum. Procemio scopus exponitur tractationis. Gentium vero Romanarum, seu familiarum illustrium, rationem addiscere licet non solum ex numis gentium, seu consularibus, sed etiam ex implicata serie consularium fastorum, ex immensa Historicorum mole, ex disjectis per Latium marmoribus, ac maxime ex stemmatibus familiarum Romanarum, a *Richardo Streinio*, *Antonio Augustino*, *Joanne Glandorpio*, *Reinero Reineccio*, & *Nicolao Reusnero*, descriptis atque illustratis. Gentilitatis Roma-

næ nonnulli tanto amore flagrarunt, ut singularibus scriptis ipsi unam alteramque familiam nobilem Romanam descripserint. Interciderunt quamplurima hujus generis monumenta. Itali solent huic operæ tempus aliquod consecrare, siquidem monumentis subinde novis, e terra effossis, adjuvantur. Gentem Cæsiam illustravit *Jo. Bapt. Fontejus*; Cæsenniam descripsit *Petrus Ant. Braschius*; Fulviam laudavit *Antonius Augustinus*, a *Petro Marcello Corradini*, Cardinale, nuper suppletus: *Josephus Roccus Vulpius* in *Veteri Latio* descripsit gentem Norbanam, Octaviam, Oppiam, & Publiciam. Celebravit gentem Liciniam, ejusque familiam Aretinam, *Eugenius Gamurrinus*, ipse nobilis Aretinus. *Justus Fontaninus* ornavit eodem instituto gentem Hortensiam æque, ac *Philippus a Turre* Aquiliam. Non omittendi sunt *Pyrrhus Ligorius* & *Angelus Maria Peveratus*, in gentibus Romanis exponendis occupatissimi, quorum scripta asservantur inedita in Bibliothecis perpaucis. Hi fuerunt Itali. *Joannes Glandorpius* fuit Germanus, qui historiam Juliæ & Antoniæ gentium duobus opusculis concinnavit. Hos quidem Cl. Autor evolvit, at voti sui parum damnatus inde discessit. Consuluit deinde *Carolum Sigonium* & *Jo. Gottl. Heineccium*, incertior inde redditus, quam fuerat antea. Statuit idcirco tandem apud animum, ex ipsis, quæ supersunt, monumentis priscis illustre illud antiquitatis caput eruere, &, si quid in illis peculiare, si quid eximium, deprehenderet, id singulari scripto complecti. Inde prodiit tractatio, decem inscripta plagulis. Arrisit doctis ille conatus, laudibusque passim concelebratus fuit. Inde Cl. Autor ad hoc institutum denuo urgendum & exornandum fuit accensus. Vacavit itaque nobilissimo studio, ulteriorem gentilitatis disquisitionem cum orbe erudito communicandi. Opus ipsum labore multo constitisse suo Autori, inficiari haud lubet. Utilitatem vero exinde profluere ad omnem antiquitatem Romanam, æque est certum. Age igitur, contemplemur libri ipsius seriem & argumentum. Distributus est ille in *Capita quatuordecim*. *Primo* notiones gentis, gentilium, & gentilitatis, evolvuntur. *Secundo* exponitur de nomine gentilitio. *Tertium* versatur in imaginibus gentilitiis enarrandis. *Quarto* de sacris gentilitiis agitur. *Quintum* inscriptum est de funeribus & sepulcris gentilitiis.

 tiis.

tiis. *Sexto* differitur de gentilium successione ab intestato. *Septimum* de legitima gentilium tutela & cura agit. *Octavo* de notis gentilitiis exponitur. *Nono* agitur de modis acquirendi ac amittendi gentilitatem. *Decimum* de judice in causa gentilitia inscribitur. *Undecimum* repræsentat gentilitatem nascentem & florescentem. *Duodecimum* exhibet gentilitatem inter patres & plebejos controversam. *Decimum tertium* offert gentilitatis paroxysmos & interitus. Extremum ornandæ genti *Corneliæ* est proprium. Hæc Operis est summa, in qua vertitur, velut in cardine, tractatio. Restat nihil, nisi ut ex hoc vireto flosculos decerpamus exquisitiores. *Gentis* nomine significat Cl. Autor *universitatem civium Romanorum ingenuorum, qui ab eodem primo stipite, cive Romano ingenuo, per masculos descendunt, cum stipite communi.* Fœminarum ratio hic habetur nulla. Eæ enim in familiam transeunt mariti. *Ulpianus, l. 195 §. 3 D.*
Pag. 3. *de V. S.* de *gente* notionem suppeditaturus, prætermisit determinationes hasce, 1) quod præter prosapiam primi genitoris ipse primus genitor gentis appellatione continetur, & 2) quod personæ, ad gentem pertinentes, ingenui esse debuerunt. *Familia* est *universitas civium Romanorum ingenuorum, qui ab eodem stipite, cive Romano ingenuo, qui tamen gentis princeps non est, per masculos descendunt, cum stipite communi.* *Domus* vero est *universitas civium Romanorum ingenuorum, qui in ejus-*
5. *dem civis Romani patria potestate sunt, cum patrefamilias.* Confuderunt tamen scriptores Romani voces hasce nonnunquam. *Gentiles* bifariam fuerunt dicti, prouti respexerunt Romani ad nexum sanguinis, qui inter duos intercedebat, vel ad eum non respexerunt. Illo significatu *gentilis* est *civis Romanus ejusdem gentis, de cujus civis tamen gradu consanguinitatis cum altero non constabat*; hoc significatu *gentilis* est *civis Romanus, quatenus in gente est.* Ignoratam illam graduum
6. propinquitatem *Cicero* a notione gentilium minus recte sejunxit *Topic. Cap. 6. Accursii, Alciati*, aliorumque, notiones errore plenas Cl. Vir indicavit. Eadem tribus non semper toti genti fuit communis; quapropter *gentilis* non semper fuit *tribulis.* Libertinæ conditionis homines erant agnatis patroni *quasi gentiles* ob tutelam legitimam, successionem, & nominis sepulcrique communionem, quæ inter patronum & liber-

libertum intercedebat. *Agnatos* Autor definit *cives Romanos, ex diversis lineis ejusdem gentis vel familiæ progenitos, de quorum propinquitate consanguinitatis constat.* *Suos* appellat *personas, in patria potestate constitutas.* *Suitas*, ipsius ex judicio, est *nexus sanguinis inter patremfamilias & filiumfamiliae.* Gentilitatis Romanæ notionem a moribus Hebræorum & Græcorum abfuisse, idem existimat. Imagines gentilitias cera, aut lapide, rarius ære, expressas fuisse, tradit, addens, ipsas fuisse simulacra, oris similitudinem, artificiose effictam, coloribus pigmentisque humerorum tenus adumbratam, referentia. Qui sella curuli haud conspicui erant, hos tenuisse id juris demonstrat, ut suam quisque in atrio domus collocare posset imaginem. Diebus solennibus imagines gentiles ostentare, eis erat in more positum. Imaginum ejusmodi series vocata fuit *stemma gentile.* Penetrale, seu conclave, atrio junctum, vocabatur *tablinum*, in quo omnia, quæ ad gentis splendorem pertinebant, ipsique fortassis imaginum trunci, deponebantur. Repræsentatas fuisse imagines easdem in sacris funeribusque gentilitiis, ipsisque triumphis, Noster egregie docet. De sacris privatis & gentilitiis ita agit, ut qui solidissime. Caput de funeribus & sepulcris gentilibus plausu est dignum. Solium, monumentum, & cippum, curate discernit. Sepulcra, quorum rudera hodienum in via Appia deprehenduntur, ex incomparabili opere *Corradiniano de Veteri Latio* succincte enumerat. Successionem gentilitiam, latius quippe patentem, a successione gentilium distinguit. Reliqua vero tam limate exposuit, ut *Fabio* vel judice vincat. Gentem enim *Corneliam* & ex monumentis veterum, & ex numis, tabulis adjectis genealogicis, tam diligenter enarravit, ut hæc sola tractatio suffragiis eruditorum omnium sit digna.

Pag. 9. 12. 15. 29. 31. 36. 46. 67. 73.

## ΑΙΣΩΠΟΥ ΜΥΘΟΙ, *FABULÆ ÆSOPICÆ GRÆCÆ, quæ MAXIMO PLANUDI tribuuntur. Ad veterum librorum fidem emendatas, cum JOACHIMI CAMERARII interpretatione Latina, JOANNIS HUDSONI suisque annotationibus, & Indice omnium verborum, edidit JO. MICH. HEUSINGER.*

Isenaci, ære & sumtu Jo. Christoph. Krugii, 1741, 8. Alph. 1 plag. 3.

Αἰσώπου, vel potius Αἰσώπειοι μῦθοι eodem anno bis lucem conspexerunt. Priorem editionem, quam nos jam antea percensuimus, apud Lipsienses curavit doctissimus *Jo. Gothofr. Hauptmannus*, posteriorem jam coram positam lustramus. Utraque suas laudes meretur, attamen multum Fabularum numero præstat externoque splendore Lipsiensis. Cl. *Heusingerus* in hac sua *Aldinum*, *Frobenianum*, *Hervagianum*, & antiquiora quæque exempla, consuluit; ante omnia vero veteres membranas adiit, quæ in Principis Gothani Bibliotheca supersunt, Venetiis A. 1482 a Græco homine scriptæ, quod subscriptio testatur: Μετεγράφησαν παρ' ἐμοῦ Ἰωάννου ἱερέως Ῥώσου τοῦ Κρητὸς &c. In istis membranis Fabularum, quas edit, LVII iisdem fere verbis expositas reperit, quibus eas vulgatas habemus. Evolvit etiam Codicem longe antiquiorem Bibliothecæ Augustanæ, *Planudis* ætatem longe superantem; sed, cum alia id occasione fieret, hic quidem non contulit. Plura de illo dixit in Diss. de Græcis *Æsopi* Fabulis. Hic tantum, perspectum se habere, profitetur, non ordinem solum & verba ibi alia, sed & numerum Fabularum longe majorem, esse, ut non tam, quid *Planudes* scripserit, quam quo sermonis genere ante eum easdem fabulas alii narraverint, inde constare possit. In annotationibus ceteroquin prima Editoris cura fuit, veram ut lectionem a corruptis discerneret, proxima, ut res ex antiquitate & historia maxime naturali explicaret. Latinam interpretationem *Camerarii* retinuit, atque adeo *Aldinæ*, sive vulgatæ, prætulit. Sub finem testimoniorum *Hudsoni*, documentum reperimus, ex quo intelligi possit, ab animi commotionibus non adeo alienum esse Editorem. Invehitur enim in Lipsiensem, & partim vitium operarum in nomine *Hudsoni*, partim quod ipse absens, quanquam sine dubio præceperat, impedire non potuit, in deterius sine causa interpretatur. Cum aliis itaque miramur, cur novus hic Editor in eum se præbeat iniquiorem, cujus editio ante plures annos publice promissa, atque ab hac ipsa ut totum a parte differens, eo tempore, quo de sua primum cogitavit *Heusingerus*, bibliopolæ jam in manu fuit, quem aliarum tantum rerum cumulus, ut ipse ait, impedivit, quo minus citius publicaret. Idem ille præ se fert, neque hoc judicium, neque editionem Isenacensem, tantillum suæ officisse. Nec nos dubitamus, fore, ut

Cl. Vir,

Cl. Vir, animo jam sedato, se humani aliquid passum fuisse, doleat; præsertim ubi verba simul in alterius editionis Præfatione legerit, quæ, quicquid scripsit, uno velut ictu prosternunt; quæque jam sub finem superioris *Anni pag. 714 seq.* in his *Actis* commemorare meminimus. Sed, quoniam talibus nos haud immorari solemus, pedem potius proferimus ad lectissimas, quas subjecit contextui Editor, annotationes. Spectant illæ, ut diximus, partim ipsam contextus lectionem atque intelligentiam, partim antiquitates, partim historiam naturalem, partim alia, quæ animadversione digna in mentem venerunt. Vel per lancem saturam unam atque alteram indidem excerptam apponemus. Primi generis est ad *Fab. II §. 9*, ubi ad ὀυ γὰρ notatur: *Restitui veram lectionem e vita Æsopi, quam Planudes scripsit, qua extrema totidem verbis hæc Fabula legitur. Male vulgati omnes ὀυ γὰρ μὴ, etiam Hudsonus; qui tamen hanc emendationem probasse videtur in emendandis ad calcem libri.* Item *Fabulæ 99 n. 1* verbis: Ὡς καὶ συντρόφων σοι ὀιωνῶν hæc subjiciuntur: *Autoris mentem non percepit interpres vulgatus, quem* Aldum *esse scio, cum vertit: ut ex peculiaribus quoque tibi auguriis fidem sustulerit. Nec melius* Faernus:

*Abjecit illo te, & peculiaribus*
*Omnem fidem abrogavit auguriis tuis.*

*Rectius* Camerarius: *ut ex omnibus tui generis animantibus uni tibi fidem augurii detraxerit. Mallem tamen: ut uni tibi omnium avium, quibuscum communis tibi victus est, fidem demserit. Nam* ὀιωνὸς *hic non augurium, sed avem, significat. Aristoph.* Ὄρν. *v. 1091* εὔδαιμον φῦλον πτηνῶν ὀιωνῶν, *dicit, id est, beatum genus, volucrium avium; item v. 692:* Φύσιν ὀιωνῶν, *naturam avium.* Σύντροφοι *vero* ὀιωνοὶ *dicuntur aves, quæ eodem, quo cornix, victu utuntur, id est, carnivoræ, a quibus fere auspicia capiebantur. Ad* περιλεῖν *subintellige* σοῦ, *quem casum id verbum postulat.* Antiquitatibus explicandis inserviunt e. g. quæ ad *Fabulam IX n. 1* observantur: *Purpurati, & summa cum potestate, gymnasiis & juvenibus exercendis præerant, qui* γυμνασίαρχαι *dicebantur, viri plerumque summo genere nati. Primus hic multis ad amplioris dignitatis gradum adscensus erat; nec tamen desunt exempla eorum, qui, jam summis*

*mis sacerdotiis aliisque honoribus ornati, sumtuoso hoc munere functi sunt, cujus privata impensa oleum ministrabatur iis, qui palaestrae operam dabant.* Docent haec, qui Graecorum gymnasiorum morem exposuerunt, *Sigonius de republ. Athen. Lib. IV Cap. 4, Faber Agonistic. Lib. I Cap. 22, Oct. Falconerius ad Inscriptiones athletic. Tom. VIII Thesaur. Gronov. pag. 2308, Laur. Joubertus de Gymnas. vet. Cap. 4 Tom. I Thesaur. Sallengr. itemque Perizon. ad Aelian. Var. Hist. Lib. II Cap. 6.* Eodem pertinent, quae in Addendis leguntur ad *Fab. XXIII: Adolescentes docendi sunt, antiquissimos mortalium a boum aratorum cordibus, quasi nefariis, abstinuisse. Aelianus Lib. XII Hist. Animal. Cap 34:* Φρύγες δ᾽ ἐὰν παρ᾽ αὐτοῖς τις ἀροτῆρα ἀποκτείνῃ βοῦν, ἡ ζημία θάνατος αὐτῷ. *Apud Phrygas si quis aratorem bovem occiderit, morte multabatur. Ex hac ipsa vero gente ortus est Aesopus. Imitati sunt Athenienses & alii.* Idem *Lib. V Var. Hist. Cap. 14:* Καὶ τοῦτο δὲ ἦν φυλαττόμενον παρ᾽ αὐτοῖς Ἀθηναίοις, βοῦν ἀρότην καὶ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ, μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. *Sed & hoc servabatur apud ipsos Athenienses, bovem aratorem, & qui sub jugo laborat cum aratro, vel etiam cum plaustro, ne mactent, quoniam etiam ille est agricola, & humani generis laborum socius. Varro Lib II de re rust. Cap. 5: Bos socius hominum in rustico opere, & Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset. Adde Plinius Lib. VIII Hist. nat. Cap. 45, Columella Lib. VI Praef. Cerd. ad Virg. II Georg. v. 537, & interpret. Aeliani. Non temere itaque canes sibi timuisse finguntur in boum aratorum caede, quae probibita erat, cum ipsos occidere nihil vetaret.* Historiam naturalem Cl. Autor illustrat e. g. in annotat. ad *Fab. XVII, 2,* ubi de Thynno quaedam affert non contemnenda, & ubi ad *Fab. LXVI* de metu leonum a gallinacei cantu sequentia notat: *Falso hunc metum leoni tribuerunt veteres. Plinius Lib. VIII Cap. 16 de eodem: Atque hoc tam saevum animal rotarum orbes circumacti, currusque inanes, & gallinaceorum cristae, cantusque etiam, magis terrent, sed maxime ignes.* Idem *Lib. X Cap. 21 de gallis: Terrori sunt etiam leonibus, ferarum generosissimis. Aelianus Lib. VI Histor. anim. Cap. 22:* Ἔχθιστα τῷ μὲν λέοντι πῦρ καὶ ἀλεκτρυών. Vid. *Vossius Theol. gent. Lib. III Cap. 53 extr. Certe nostrorum temporum experimentis non comprobatur, testibus eodem Vossio, Camerario in Symbolis,* & *Jo. Petro Wolfarto, Medico Hassiaco, in Dissert. de Leone, edita Cassell. A. 1711, cui puerilis fabula videtur.* Praeterea a nobis pariter annotari meretur, quod de *Locmanno* fert judicium, quippe quem vocat *non autorem fabularum, quas Arabibus tradidit, sed parum doctum illarum interpretem.* Majori autem observatione, nec laude minore, dignus est Index, qui subjicitur, verborum copiosissimus, quique pariter notarum grammaticarum vicem sustinet.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Martii Anno MDCCXLIV.

Pars II.


## HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SACRE'S & Ecclesiastiques, &c.

hoc est,

## *HISTORIA GENERALIS AUTORUM SACRORUM & Ecclesiasticorum, continens eorum vitas, operum catalogos, examen criticum, judicia, chronologiam, analysin, & recensionem variarum editionum, &c.* Autore R. P. REMIGIO CEILLIER, *Benedictino.*

*Tomus VII.*

Parisiis, apud Phil. N. Lottin, 1738, 4 maj.
Alph. 4 plag. 6.

Vasti hujus Operis, quod omnem fere campum Historiæ literariæ civitatis Christianæ emetitur, *Tomus VII* in lucem conspectumque eruditorum jam prodit. Hic *septem* tantum *Capitibus*, sed illis satis amplis, decurrit, illorum vitas enarrans, qui Seculum adhuc quartum a Christo nato & meritis, & scriptis, ornaverunt. *Capitis I*, quod agit de S. *Gregorio Nazianzeno*, cognomento *Theologo, Archiepiscopo Constantinopolitano & Confessore, Articulus I* complectitur historiam vitæ ipsius. Cappadox fuit ortu, in lucem hanc editus circa A. 329. Primos adolescentiæ annos exegit in schola Alexandrina, inde Athenas concessit, cumque *Basilio* familiaritatem ac necessitudinem con-

traxit, per integrum fere sexennium literis humanioribus, poesi, eloquentiæ, cumprimis vero Philosophiæ, operam navans. In patriam redux, se demum sacris aquis lustrandum curavit. A. 361 a patre, quo illi, ad extremum senium vergenti, in sacro ministerio suppetias ferret, Presbyter ordinabatur. Episcopus Sasimorum consecratus est A. 372, sed, parente mortuo, Nazianzi aliquantulum substitit, inde Seleuciam, Isauriæ metropolin, demigravit. A. 378, vel 379, postulatus est Episcopus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, in quo munere tantam adhibuit contentionem, tanta vi eloquentiæ verbum divinum est interpretatus, ut & cœtus ejus quotidie nova incrementa caperet, & ex hæreticis haud pauci ad ecclesiam redirent. Mortuus est circa A. 389. Ob facundiam, doctrinam, & pietatem suam, per omnem ecclesiam illa tempestate maxime florebat. *Articulo II* de *orationibus* ipsius, hujusque §. *1* agitur de *prima* & *secunda Oratione de festo Paschatis*, §. *2* de *duobus Sermonibus contra Julianum*, in quibus & propria, & persona *Basilii*, loquitur, unde conjicit Rev. *Ceillierius*, utrumque in illis elaborandis manus socias junxisse. In illis *Julianus* vivis depingitur coloribus, vitia ipsius perstringuntur, &, quibus pœnis a Deo fuerit affectus, ostenditur. Differitur §. *3* de *Sermonibus 5-11*, §. *4* de *Sermonibus 12-18*, §. *5* de *Sermonibus 19-25*, §. *6* de *Sermonibus 26-32*, §. 7 de *Sermonibus 33-37*, §. *8* de *Sermonibus 38-45*, §. *9* de *Sermonibus 46-53*. *Articulus III* agit de *literis Gregorii ad varios*; *Articulus IV* de *Carminibus*, quæ ab A. 387, ubi se ab Episcopatu Constantinopolitano abdicavit, composuit. Omnia illa, judice *Ceillierio*, versantur quidem circa argumenta vulgaria, nec ad concinnitatem fictionum Poetarum profanorum accedunt, nihilo tamen minus sua se sublimitate ac suavitate commendant, stilus ex facili fluit, expressiones sunt magnificæ, cogitationes sublimes, comparationes justæ, & ad artem compositæ. *Articulus V* de quibusdam *Carminibus*, recens a Celeb. *Muratorio* publicatis, quæ *Epigrammata* numero 228 efficiunt; *Articulus VI* de doctrina *Gregorii*, exponit, quam, omnem campum scientiæ theologicæ pervadendo, stilo Autor fusiore persequitur. *Articulus VII* exhibet *judicia* de *Gregorii* scriptis, pariterque *catalogum* editionum,

num, quæ lucem adhuc adſpexerunt, contexit. Tantis ipſum elogiis cumulat Autor, quanta in hominem theologum cadere posſunt. Fuiſſe ipſum, ait, Oratorem ſua ætate diſertiſſimum, cujus vita, Sermones, ſcripta, ipſis adverſariis laudi fuerint & admirationi. Fuiſſe virum vere incomparabilem, ſive quis eximiam ipſius planeque ſingularem doctrinam, ſive amplitudinem atque copiam illius, reſpiciat. Editio illa Operum *Gregorii*, quæ Pariſiis A. 1609 & 1630 *duobus* majoris formæ *Voluminibus* eſt impreſſa, *Coloniæ*, non *Lipſiæ*, uti titulus præfert, A. 1690 *duobus* ejusdem formæ *Voluminibus* iterata, quam ad Codices MStos exegit *Jac. Billius*, eidemque Latinam interpretationem adjunxit, habita quidem eſt omnium præſtantiſſima, ſed talis viſa non eſt viris quibusdam eruditis ex Sodalitio Benedictino Congregationis S. *Mauri*, qui ipſa illa de novo cum pluribus Codicibus manu exaratis contulerunt, *Billianam* verſionem retinuerunt quidem, ſed, quæ in illa emendanda intellexerunt, vel in margine, vel ſubjectis notis, animadverterunt. Adhæc inſeruerunt Carmina, quæ *Muratorius* in *Anecdotis* ſuis *Græcis*, Patavii A. 1709, 4, vulgatis, primus in lucem produxerat, quæque *Jac. Tollius* Ultrajecti A. 1696, 4, typis deſcribi curaverat. *Caput II* S. *Amphilochio, Archiepiſcopo Iconienſi*, dicatum eſt. Poſteaquam per tempus aliquod in ſolitudinem, ut pietatis exercitiis vacaret, abierat, circa A. 374 Epiſcopus Iconienſis, adeoque Metropolitanus totius Lyconiæ, fuit conſtitutus. Sub finem A. 376, vel initium A. 377, Concilium Epiſcoporum ſuæ diœceſeos in cauſa Macedonianorum convocavit, ad quod etiam invitavit *Baſilium*, qui vero, quoniam, morbi infirmitate detentus, præſens adeſſe non poterat, librum, cui titulus: *de Spiritu ſancto*, ad ipſum miſit. *Epiſtolam ſynodicam*, typis exſcriptam, *Amphilochii*, cum nil quidquam ipſo indignum contineat, eſſe, nullus fere dubitat Autor; non autem illam, quæ adhuc manu exarata in Bibliothecis deliteſcit. Mors ejus in annum 394 incidiſſe videtur. Scripta ipſius fere perierunt, alia ipſi falſo ſunt adſcripta. *Caput III* de S. *Phœbadio*, Epiſcopo Agenenſi, agit. De loco natali ac familia ipſius nihil conſtat. Hiſpanum fuiſſe, quod nonnulli affirmant, absque ratione dicitur. Fidei eſt propius, Gallum



Digitized by Google

gente fuiſſe, in Aquitania natum. Nec certo aſſeverari poteſt, quo anno ad Epiſcopalem dignitatem fuerit evectus. Id liquet, ipſum A. 358 *Formulæ Sirmienſi* ſe oppoſuiſſe. A. 359 adfuit Concilio Ariminenſi, autoritate Imp. *Conſtantii* coacto, in quo, licet initio moliminibus Arianorum fortiter obviam iret, nihilo tamen minus illis, pacis potiſſimum reſtituendæ ergo, multum indulſit. Quo anno diem obierit, dici nequit; id evidens eſt, ipſum A. 392 in vivis adhuc fuiſſe. Ex ſcriptis ejus tantum ſupereſt opus, quod *contra Arianos* occaſione *Formulæ Sirmienſis* ſcripſit, cujus potiſſima momenta Autor refert. In hoc & ſoliditas, & juſtus cogitationum ac ratiociniorum nexus, obſervatur. Reliqua illius ſcripta temporis injuria ſunt intercepta. *Caput IV* de S. *Ambroſio*, *Archiepiſcopo Mediolanenſi*, exponit. *Articulus I* continet hiſtoriam vitæ ejus. Luce vitæ hujus frui cœpit A. 340, oriundus familia multis imaginibus illuſtri. Juvenis multum diligentiæ in addiſcendis optimis artibus ac ſcientiis Romæ poſuit, inde cauſas in foro dicere cœpit, ac multum favoris Mediolani ſibi collegit. A. 374 præfectus provinciæ Liguriæ fuit conſtitutus, quod munus multa cum moderatione ac prudentia adminiſtravit; verum Deus ipſum regimini eccleſiæ deſtinaverat. Quare A. 374 concordibus ſuffragiis Epiſcopus Mediolanenſis eſt petitus, quam dignitatem tandem, invitus licet & multum renuens, accedente autoritate Imp. *Valentiniani*, *Catechumenus* licet adhuc, adiit. Munus hoc nactus, ſumma ope eo eſt annisus, ut exſpectationi faceret ſatis, erga pauperes munificum ſeſe præbuit, rudes diligenter inſtituit, cumprimis operam ſuam eo convertit, ut diœceſin ſuam ab hæreſi *Ariana*, qua infecta erat, purgaret; quod ipſum etiam illi adeo feliciter ceſſit, ut A. 385, vel 386, nullus civis Mediolanenſis *Arianæ* impietati deditus reperiretur, exceptis Gothis nonnullis, vel qui ex familia regia erant. Tanta fide munia ſua obiit, ut iras atque offenſam Principum nullus vereretur, quod apparuit ex negotio, quod ipſi cum *Juſtina* Auguſta, quæ *Arianis* favebat, & Imp. *Theodoſio* ob cædem Theſſalonicenſem intercedebat, &, quoniam præterea multa peritia ac prudentia in rebus agendis pollebat,

lebat, quam multo confirmaverat usu, haud raro ad res civiles Principum, pacisque negotia conficienda, adhibebatur. Fatis concessit A. 397 d. 4 April. *Articulus II* de *scriptis Ambrosii in S. Scripturam* agit, & quidem §. *1 de Hexaemero* & libris *de Paradiso*, §. *2 de Caino* & *Habele, Noacho & arca, de Abrahamo, Isaaco*, & *de anima*, §. *3* de libris *de bono mortis & fuga seculi, de Jacobo*, & *de vita beata*, §. *4 de Patriarcha Josepho*, & *de benedictionibus Patriarcharum*, §. *5 de Elia & jejunio, de Nabotho* & *Tobia*, §. *6 de interpellatione Jobi & Davidis*, item *Apologia Davidis*, §. *7 de Commentariis in Psalmos*, §. *8 de Commentariis in Lucam*, §. *9 de Tractatu de officiis ministrorum*, §. *10 de tribus Libris de virginitate ad Marcellinam*, §. *11 de viduis & virginitate*, §. *12 de institutione virginis, exhortatione ad virginitatem*, & *de lapsu virginis*, §. *13 de mysteriis*, §. *14* de *VI Libris de Sacramentis*, §. *15* de *duobus Libris de pœnitentia*, §. *16* de *V Libris de fide*, §. *17* de *tribus Libris de sancto Spiritu*, §. *18* de *Libris de incarnatione*. *Articulus III*, de *Epistolis Ambrosii* agens, has sigillatim percenset, tempus scriptionis indicat, & potissima ex his enotat. *Articulus IV* de *morte Satyri*, *Sermonibus in mortem Valentiniani & Theodosii*, itemque *Hymnis*; *Art. V* de *operibus, Ambrosio falso tributis*; *Art. VI* de *scriptis deperditis*; *Art. VII* de *doctrina Ambrosii*, differit. *Art. VIII* profert *judicium* de *scriptis Ambrosii*, pariterque *catalogum editionum operum* ipsius designat. De illis ita judicat, *& delectare ipsum, & instruere.* In illis offendi tantum majestatis, impetus, ac vivacitatis, quantum jucunditatis & suavitatis; non facile esse alicujus momenti veritates, sive sint speculativæ, sive morales, quæ non in illis & solide firmentur, & cum elegantia quadam explanentur. Doctrinam ipsius moralem esse puram, & omnes ipsius Commentarios, qui in evolvendis istiusmodi argumentis versentur, esse eximios, se ipsum vero superasse in explicatione *Ps. CXVIII*, quem censet esse thesaurum veritatum moralium, & regularum vitæ Christianæ, quæ multo cum ingenio, eloquentia, zelo, & pietate, sint pertractatæ. Stilum argumentis esse aptatum, verbis esse succinctum, sensu abundantem. Sed, num judicium hoc omni ex parte sit solidum, viderint alii. Antiquissima Operum editio

tio est illa, quam procuravit *Maffellus Venia*, famulitii *Augustiniani* Sodalis, impressa absque indicio temporis, loci, & typographi; quoniam vero inscripta est *Ambrosio Corano*, generali Ordinis *Augustiniani*, qui fato functus est A. 1485, ante illud tempus prodiisse, non sine ratione hariolatur. *Cap. V* de *Diodoro, Episcopo Tarsensi*, & *Confessore*, disserit. *Tarsensis* vulgo appellatur ab urbe, cujus Episcopus exstitit, quo sic distinguatur ab alio, ipsi æquali, qui sedi Tyriæ præfuit. Patriam habebat Antiochiam, ubi loci sub primordiis Seculi IV ex familia illustri in lucem est editus. Literis elegantioribus operatus est Athenis, in eisque plurimum profecit. Inde redux, secessum quæsivit, ac more ascetarum per tempus aliquod vitam satis rigidam egit, ut languorem etiam atque infirmitatem sibi attraheret. Cum Arianis ac paganis ob fidei Christianæ defensionem sæpe, & quidem feliciter, est congressus. A. 371 Presbyter Ecclesiæ Antiochenæ est electus, *Arianorum* impetus fortiter sustinens, quorum artibus ac potentia est effectum, ut A. 372 Antiochia expelleretur. A. 378 Episcopus Tarsensis est factus, mortuus, uti videtur, ante A. 392. Antiqui invidendis eum cumularunt elogiis, appellantes eum *fortem athletam pietatis, columnam & defensorem veritatis.* Plurima ipse composuit scripta, sed quorum non nisi fragmenta supersunt. *Capite VI* res describuntur S. *Macarii, Ægyptii*, institutoris Ordinis anachoretarum Scetarum, & Confessoris. Vitam ingressus est in Ægypto superiori circa A. 300. Juvenis adhuc loco natali excedebat, inque cellulam aliquam se recipiebat. Presbyter consecrabatur circa A. 340; diem obiit circa A. 390. Epistola, ad monachos directa, in qua vivendi normam præscribit, quæque sub ejus nomine circumfertur, non est illa, quam *Gennadius* ipsi adscribit, quæ periit, illa vero ab ipso profecta esse non videtur. Neque etiam ipsi asserere audet Autor *50 Homilias*, quæ nomen *Macarii Ægyptii* in fronte gerunt, autorem potius illarum *Pelagio* recentiorem esse, inde probans, quoniam materiam de *gratia, libero hominis arbitrio, hominis per peccatum corruptione*, ita pertractat, ut non videantur in illam tempestatem conjici posse, qua *Macarius Ægyptius* vitam egit. Quoniam

vero

vero Autor non continuo filo argumentum prosequitur, sed ab uno ad aliud delabitur, ipsas illas coram publica concione propositas fuisse, non censet, sed, esse potius responsa Abbatis cujusdam, ad diversas quæstiones, ab hominibus religiosis productas, prolata, arbitratur. *Capite VII* de *Didymo Cæco*, doctore Ecclesiæ Alexandrinæ, agitur. Natus est Alexandriæ A. 309. Cum quartus vel quintus ætatis annus decurreret, morbo quodam oculorum laborare incepit, quod malum ita invaluit, ut visu prorsus orbaretur, nihilo tamen minus tanta discendi cupiditate flagravit, ut multa industria ad literas incumberet, qua sua diligentia, imaginationis, memoriæ, ac ingenii felicis, vi adjutus, id est consecutus, ut singularem sibi rerum tum humanarum, tum divinarum, doctrinam pararet. Tanta doctrinæ laude floruit, ut scholæ Alexandrinæ gubernacula ipsi crederentur, eidemque tantam conciliavit celebritatem, ut plurimi ex dissitis locis ad illam confluerent, partim ut sub auspiciis *Didymi* proficerent, partim ut in ipsius notitiam & amicitiam se insinuarent. Ex hac vita excessisse videtur circa A. 399. Plurima scripta elaboravit, sed ex illis superat tantum liber *de Spiritu sancto*, cujus autem non nisi Latinam versionem habemus, ab *Hieronymo*, rogatu Papæ *Damasi*, A. 384 concinnatam, itemque *Tractatus contra Manichæos*, cujus textum Græcum integrum dedit *Combefisius* in *Collectione* sua, itemque *Basnagius* in recentiore editione *Lectionum antiquarum Canisii*. Hunc ex similitudine stili ac ratiociniorum, similium illis, quæ occurrunt in Commentario *de Spiritu sancto*, *Didymi* esse, sibi persuadet. Sed *Commentarius in Epistolas 7 canonicas*, qui nomen ipsius præfixum habet in Bibliothecis Patrum, prouti ex stilo & rerum pertractatarum serie judicare licet, non est ipsius, imo ne Græci quidem hominis, sed Latini. De scriptis ipsius genuinis hoc fert judicium Noster, *Didymum* in ratiociniis suis esse subtilem & accuratum, quæ dictione eleganti exornet, innixum ubique autoritate Scripturæ sacræ, quam sensu maxime naturali interpretetur, utpote cujus intimiorem cognitionem sibi adjunxerit. Index sufficiens *Tomum* hunc claudit.

*SPECI-*

Digitized by Google

*SPECIMEN ANALYTICUM IN EPISTOlam Pauli ad Ephesios, quæ, ratione habita ordinis temporis, quo singulæ ab Apostolo scriptæ sunt Epistolæ, est penultima; inserviens, consideratis attente ad eam Prolegomenis, investigationi sensus, scopi, & fili Epistolæ; adornatum ab HIERONYMO VAN ALPHEN, S. S. Theol. Doctore, & in Universitate, quæ Trajecti ad Rhenum est, Prof. Publ. Ordin.*

Trajecti ad Rhenum, apud Gisbertum a Paddenburg, 1742, 4.
Alph. 2 plag. $14\frac{1}{2}$.

Animus quidem erat Viro Celeberrimo, de re omni theologica, speciatim Exegesi sacra & Chronologia, egregie merito, nunc, non sine desiderio Academiæ Trajectinæ ac Ordinis theologici, beatis cœlitibus adscripto, *Analysin Epistolarum Paulinarum ad Ephesios, 1 & 2 ad Timotheum,* conjunctim exhibere, sed, quo flagrantibus bibliopolæ precibus locum relinqueret aliquem, præsentem in Epistolam ad *Ephesios* Commentationem præmisit, pollicitus, lucubrationes in *Epistolas* ad *Timotheum* subsecuturas esse. Aliquas harum Dissertationum, quæ partem præsentis Speciminis constituunt, Venerandus Senex per modum Exercitationum Academicarum Ultrajecti A. 1734 & 1735 publicaverat, ex quibus, quo illarum argumenta pluribus innotescerent, potiora momenta copiose satis excerpsit S. Rev. *Gerdesius Miscell. Duisburg. Tom. II Fasc. I pag. 178-189,* & *Miscell. Groning. Tom. I Fasc. II pag. 332-346.* Absolvitur Opus hoc *Dissertationibus IV,* quæ ad interpretationem divinæ hujus Epistolæ viam muniunt, & Tabulis analyticis, tum *generalibus,* tum *specialibus,* in quibus Vir δυνατὸς ἐν γραφαῖς summam ἀκρίβειαν est sectatus.

*Dissertatione I,* & illius quidem *Capite I,* agit de *scriptore Epistolæ,* quem *Paulum* esse, eandemque ad *Ephesios* scriptam esse, & inscriptio docet, & primorum temporum doctores Christiani concordibus suffragiis fatentur. Ex his nominat *Ignatium, Polycar-*

*Polycarpum*, *Irenæum*, *Tertullianum*, *Clementem Alexandrinum*, *Origenem*, *Cyprianum*, *Cyrillum Hieroſolymitanum*, *Gregorium Nazianzenum*, *Athanaſium*, quorum verba vel adducit, vel loca indicat. *Cap. II* diſſerit *de illis, ad quos Epiſtola eſt ſcripta.* Ad *Epheſios* datam eſſe, docet inſcriptio, quæ Pag. 3-
in omnibus verſionibus orientalibus eſt eadem; aſſentitur *Ter-* 11.
*tullianus, adv. Marcionem Lib. V Cap. 17 pag. 607* conceptis verbis affirmans, *ad Epheſios fuiſſe miſſam*, *non ad Laodicenos.* Quoniam autem *Grotius Marcionis* partes in ſe ſuſceperat, quem dicit a mentiendo alieniſſimum, Noſter docet, *Marcionem* non ita religioſum fuiſſe, ut ab interpolanda Scriptura manus cohibuerit, certe non eſſe, cur aſſenſum negemus Patribus, qui, non ad Laodicenos, ſed Epheſios, ſcriptam fuiſſe, aſſeverent. *Grotius* in præſidium cauſæ allegat verba *Col. IV, 16*, ubi contra conſenſum omnium Codicum ac verſionum, ſpeciatim Syriacæ, legi vult Λαοδικείας, non ἐκ Λαοδικείας. Neque dici poteſt, ἐπιστολὴν Λαοδικείας eſſe illam, *quæ fuerit in poteſtate & dominio Laodicenorum*; qua occaſione examinat interpretationem
*Feſſelii*, itemque *Raphelii*. Speciatim opera dedita ad incudem 11-16
revocat ſententiam Cl. *Vitringæ*, filii, qui opinionem *Millii* & aliorum, *Epiſtolam hanc ad Laodicenos directam eſſe*, novis firmare anniſus erat argumentis; qui quoniam operi immortuus erat, ut, quam cœperat telam, pertexere ipſi non liceret, has partes in iterata editione Diſſertationum *Vitringæ* in ſe ſuſcepit Ven. *Venema. Millius* nititur loco *Col. IV, 16*, & teſtimonio *Marcionis*, urgens etiam, verba ἐν Ἐφέσῳ in antiquiſſimis Codicibus, teſtibus *Baſilio* & *Hieronymo*, abeſſe. Quare autem Epiſtola adſcripta ſit *Epheſiis*, ita explicat: *Tychicum*, qui ortu erat *Epheſius 2 Tim. IV, 12*, illam juſſu *Pauli* pertuliſſe *Eph. VI, 21, 22*, hunc autem civibus ſuis ἀπόγραφον aliquod paraviſſe ac reliquiſſe, qui illud ἐν Ἐφέσῳ fronti Epiſtolæ præmiſerint, ac ſi
hæc æque ad ſe, ac ad Laodicenos, ſpectaret. Hujus veſtigiis 16-20.
inſiſtit *Vitringa*, duo cummaxime *generalia* proferens argumenta, 1) quoniam in hac Epiſtola quædam occurrant, quæ non eccleſiæ *Epheſinæ*, ſed alii cuidam cœtui Chriſtiano, conveniant, 2) pertendit, verum ac proprium jus in hanc Epiſtolam

U fuiſſe

fuisse *Laodicenis*. *Prius* probat, quia hæc Epistola ad illos est directa, qui *Paulum* nunquam viderant, quorsum refert loca, a *Millio* jamdum, & ante hunc ab *Usserio*, producta, *Eph. I, 15, III, 2, 4*, quibus addit *III, 3, 7, 8, IV, 21*. Addit, in hac desiderari, quæ non potuerint omitti, siquidem notus ad notos atque familiares scripserit, quia 1) nullam suæ cum ipsis familiaritatis ac longæ consuetudinis faciat mentionem; 2) nusquam indicet, se Evangelium ipsis prædicasse, etiam ubi id sermonis occasio efflagitarit, *Eph. I, 13-15, IV, 21*; 3) non laude prosequatur ecclesiam illam, ad quam scribit, quod tamen alias ipsi sit solenne, quoties ad ecclesias sibi notas verba faciat; 4) beneficia accepta non grato animo commemoret, uti *Phil. IV, 10-15*; denique 5) neminem speciatim salutet. Pergit, in illa quædam reperiri, quæ ut *Ephesiis* scriberentur, minus convenerit. Ex ipsius sententia 1) in eodem decurrit argumento, quo illa ad *Colossenses*; credibile autem non esse, *Paulum* literas sibi adeo similes ad duas ecclesias scribere voluisse, quarum alia sibi notissima, alia ignota, fuerit; 2) quia in illa concinnet systema aliquod religionis, quale exhibeatur in Epistolis ad *Romanos* & *Colossenses*, sibi adhuc ignotos, ad notas ecclesias speciales aliquas quæstiones expedire ipsum solere; 3) quia nimis sit blanda; quodsi enim scripsisset ad notos, illique in fide perstitissent, laudaverit, si desciviissent a fidei sinceritate, corripuerit. Ultimus, quem admovet, aries hic est: si scripsisset ad *Ephesios*, omnino meminisset *Timothei*, cui curam ecclesiæ illius, inde discedens, commiserat. Subjungit testimonium *Marcionis*, & antiquissimorum Codicum, *Basilio* & *Hieronymo* testibus, fidem, a quibus abfuerint verba, ἐν Ἐφέσῳ: qui illa habeant, recentiores esse, post *Hieronymi* ætatem

32-36. confectos. Ubi igitur mentem Doctiss. *Vitringæ* declaraverat, ad congressum se accingit, ac arma armis confert sagacissimus *Alphenus*. Concedit, scriptam esse Epistolam, quod fundamenti loco substernit *Vitringa*, *e vinculis Romanis*, negat, exaratam esse e vinculis Romanis *prioribus*. Negat porro, Epistolam ad *Ephesios* & *Colossenses* ejusdem esse argumenti, quod ex utriusque diversitate demonstrat, &, si quidem id daretur,

non

non tamen inde sequi, eodem tempore esse scriptas; potuisse statum ecclesiæ *Ephesinæ* requirere, ut idem ad illam exaraverit, quod alio tempore ad *Colossenses* scripto allegarit. Largitur etiam, *Paulum* Epistolam hanc consignasse, postquam per triennium inter *Ephesios* versatus fuerit. In eo autem vertitur cardo quæstionis, num in illa occurrant quædam, quæ ipse ad notos ac familiares perscribere minus potuisset. Lustrat igitur loca, a *Vitringa* in medium allata. Ad *Eph. I, 15, 16*, respondet, potuisse Apostolum de *Ephesiis*, post aliquot annorum decursum, ubi variis solicitati fuissent tentationibus, illorumque plures decessissent, ac alii se sanctorum cœtui adjunxissent, scribere, se *audire fidem, quæ in eis erat*, eoque nomine Deo gratias agere. Addimus, difficultatem ita tolli posse. *Paulus* dici potest fidem *Ephesiorum* audivisse, ubi de illorum perseverantia in fide, illiusque exercitio, absens certus est factus. Fides habet suum initium, habet progressum, habet incrementum. Intelligens igitur *Paulus*, *Ephesios* in fide, quam *præsens ingeneraverat*, non solum persistere, verum etiam læta capere incrementa, eandemque certis documentis testatam facere, gratias Deo egit, ac illos ulteriori gratiæ ipsius commendavit. Illud εἴγε *III, 2*, non esse indicium *dubitantis*, sed verti posse per *quandoquidem*, uti sumatur apud *Lucianum* in *Terpsione pag. 270* edit. *Græv.* & *Ælianum Hist. Var. Lib. III Cap. 17 pag. 210* edit. *Perizon.* quo ipso modo verti debeat *2 Cor. V, 3*. Alia loca ex *Æliano* & *Luciano* expromit *Hombergius Parerg. sacr. pag. 294*. *Gerdesius Miscell. Duisburg. Vol. II Fasc. I pag. 184* locum ex *Philone* adducit. Per οἰκονομίαν χάριτος non, cum *Vitringa*, intelligit *Apostolatum*, sed *dispensationem gratiæ*, quæ complectatur omnem donorum gratiæ, ad executionem Apostolatus necessariorum, largitionem, omnemque ductum Spiritus sancti, per quem ita, ut veritas, utque temporis ratio, & prudentia requisita, postulabat, se gerebat, ad concreditum sibi Apostolatum decenter exequendum. Verbis *II, 21*, non indicari solicitudinem Apostoli, an doctrina, salutaris, pura, & intaminata, ipsis prædicata, sed num sermo de Christo auditus hoc in eis effecerit, ut recte perceperint, & ad animum

Pag. 36-38.
38-44.
44-47.

mum revocaverint, quod ſaltem de illis dicere potuerit, qui poſt ſuum diſceſſum eccleſiæ conſortio adjuncti fuiſſent. Addit, illud εἴγε non eſſe particulam *dubitantis*, ſed *ratiocinantis* & *confirmantis*, adeoque *verſum* hunc cum proxime ſuperiori
Pag. 47. optime cohærere. Hinc pedem promovet ad illa, quæ *Vi-*
48. *tringa* porro objecerat, 1) ipſum nullam ſuæ facere familiaritatis mentionem, notans, plures jam elapſos fuiſſe annos, ex quo Epheſo abierat, ſatis amplam illius commemorationem fuiſſe in ſermone valedictorio, Mileti habito, intermedio vero tempore plures fato fuiſſe functos. 2) Nullibi indicare, ſe ipſis Evangelium prædicaſſe, etiam ubi occaſio poſtulaverit, *I*, *13*, *IV*, *21*. Non inficiatur, occaſionem quidem permiſiſſe, ut, Evangelium a ſe prædicatum ipſis eſſe, in memoriam revocaret; diffitetur, occaſionem efflagitaſſe, ut, quod notum
48-49. erat ipſis, repeteret. Alias B. *Vitringæ* objectiones removet, quod, muniendo ipſos adverſus hæreſes *Cap. VI*, non tamen provocet ad doctrinam ſuam, a qua recedendum non ſit, *Epheſios* non honorifico teſtimonio ornaverit, non memoraverit bene-
49-51. ficia, ab ipſis in ſe collata, non ſalutaverit ſibi notos. Anquirit porro, num argumentum Epiſtolæ hujus conveniat cum illo ad *Coloſſenſes*, num in illa contineatur ſyſtema religionis, quod quidem ad ignotos, non vero ad cœtum, a ſe collectum, ac doctrinis ſuis imbutum, dirigere potuerit, & an neceſſario puritatem doctrinæ, vitæ ſanctimonia comprobatæ, dilaudare, con-
51-53. tra, illam adulterantes, corripere, debuerit. Quod *Timothei*, qui tamen antiquis Eccleſiæ Epheſinæ Epiſcopus ſit creditus, nullam injiciat mentionem, id hac de cauſa factum fuiſſe arbi-
53-54. tratur, quia ille tum temporis Epheſo abfuerit. Tandem teſtes in judicium vocat, quibus fretus, litem hanc terminari poſſe, ſibi perſuaſerat Eruditiſſ. *Vitringa*. Tantum abeſt, ut *Marcion* Epiſtolam ad *Epheſios* non agnoverit, ut potius, quod apud *Epiphanium Lib. I Tom. III pag. 310 edit. Petav.* videre eſt, aliam ad *Laodicenos* nominaverit, eidemque ſectiones aliquas, ex Epiſtola ad *Epheſios* tranſſumtas, inſeruerit. In eundem ſenſum *Tertullianum Lib. V Cap. 11* & *17 pag. 598* edit. *Rigaltæ* intelligendum, nec *Marcionis* fidem ac exploratam notitiam

titiam nimiopere urgendam esse, liquido demonstrat. *Basilius* & *Hieronymus* affirmant quidem, verba ἐν Ἐφέσῳ in suis se exemplaribus minus reperisse; verum inde nihil aliud effici potest, quam lacunam aliquam in illis deprehensam fuisse, minus vel ἐν Ἐφέσῳ, vel ἐν Λαοδικείᾳ, legendum esse; quæ lacuna inde oriri potuerit, quoniam verba illa vel exiliter expressa, vel detrita, fuerint, ut hinc spatium relinquere, quam sinistre aliquid scribere, librarius maluerit. Adhæc, *Basilium* in verbis τοῖς οὖσι subtilitatem quærere, intelligentem *illos, qui cum Deo* (qui κατ᾽ ἐξοχὴν) *existere dicitur, communionem habeant.* *Commentarium in Epistolam ad Ephesios* non esse *Hieronymi*, sed hominis Pelagiana hæresi infecti, post *Ambrosium Catharinum* & *Sixtum Senensem*, censet *Marianus Victorius Reatinus*, nec tamen omnino dici potest, illud ἐν Ἐφέσῳ omissum esse, utpote quod luculenter expressum habetur, quemadmodum etiam in *Proœmio ad Paulam* & *Eustochiam*, Epistolam hanc ad *Ephesios*, non *Laodicenos*, scriptam esse, disertis testatur verbis. *Basilius* non dicit, verba ἐν Ἐφέσῳ, quod *Usserio Annal. pag. 686 edit. postrem. Londin.* & *Erasmo* excidit, in antiquis Codicibus deesse, qui, Epistolam hanc *Paulum* τοῖς Ἐφεσίοις ἐπιστέλλειν, testetur, cujusque demonstrationis vis omnis sita in verbis τοῖς οὖσι, non ἐν Ἐφέσῳ. Argumentum hoc ita excussit Cel. *Alphenus*, ut, qui priscorum loca contulerit, assensum ipsi negare non possit, &, qui ex Patrum testimoniis pro adversa pugnant sententia, illorum verba non satis ponderasse videri queant.

Pag. 54. 61.
61. 62.
63. 64.

*Dissertatio II* est de *urbe Epheso*, ejusque *incolis*, *qua ethnicis*, *qua Judæis*, *qua Christianis*, & his quidem, ut partim ex istis, maximam tamen partem ex illis, ad fidem in Christum conversis. *Cap. I* disserit Autor de *urbe Epheso, ejusque nominibus, situ, fatis*, & *incolis*. *Cap. II* de *institutis* & *moribus gentium, Ionum* & *Ephesiorum*, agit. Quæ omnia, quoniam, non inficiante Nostro, ex Cel. *Sal. van Till Commentario in IV Pauli Epistolas, I ad Corinthios, Ephesios, Philippenses*, & *Colossenses*, Amstelodami cura *Dan. Bedber* A. 1726 vulgato, transsumsit, inspersis passim propriis observationibus, ut aliquid inde excerpamus,

64 66.
67. 94.

cerpamus, consultúm non ducimus. Id tantum notamus, ipsum primum adventum *Pauli ad Ephesios Act. XVIII, 19*, non cum *Tillio* referre ad A. A. U. 52, sed 51 inchoatum, *pag. 89*. Locum *Act. XVIII, 25*, reddit *sciens solum baptismum Joannis*. Verborum sensum hunc esse vult: *Apollos eo tempore nondum scivisse, Jesum nostrum suos Apostolos misisse, ut Evangelium, quo salus impetrata, atque per suscitationem illius ex mortuis, & assumtionem in cælos, declarata & demonstrata, prædicarent, atque, quos discipulos facerent, baptizarent in nomen patris, & filii, & spiritus sancti. Sed quod hactenus tantum hoc sciverit, quod Deus miserit Joannem, tanquam prodromum Messiæ, qui prædicare debebat resipiscentiam, & baptizare, quoniam advenerat regnum cælorum, & quod Joannes hoc fecerit, &, dum in eo esset, testimonium Jesu Nazareno perhibuerit, quod esset agnus Dei, ferens peccata mundi, quodque illos, qui ad se veniebant, baptizaverit, pag. 90, 91.*

*Dissertatione III* Autor commentatur de *loco* & *tempore scriptæ Epistolæ*, & *qua occasione fuerit exarata. Romæ*, communi fere omnium consensione, & quidem ex *vinculis*, est consignata; hinc δέσμιον sese appellat, & vinculorum suorum meminit, *III, 1, VI, 10*, coll. *IV, 13*; non tamen ex *prioribus*, quod cum *Usserio Vitringa* propugnat, sed *posterioribus*, & quidem, quod probabile videtur ipsi, A. A. U. LXIII, postquam non aliam Epistolam, quam 2 ad *Timotheum*, exaravit, prior nostram tempore antevertit. *Occasionem* illius, quam præcipue ad credentes ex Judæis directam judicat, *I, 13, II, 11, 14, III, 1*, hanc fuisse censet: *dehortari credentes ex gentilibus, ne se fastu præ Judæis credentibus efferrent, in id potius incumberent, ut utrique arctissimo amoris vinculo constringerentur. Scopum*, & illum quidem *specialem*, hunc fuisse determinat, ut *credentibus ex gentibus veram animi submissionem & humilitatem inculcaret, qua excellentiam quidem status & privilegiorum N. T. qua ornati erant, agnoscerent, simul vero probe tenerent, quam, in se spectati, indigni fuerint tantis beneficiis; generalem, ut statui isti se convenienter gererent, tum decenti conversatione, tum alacritate & fortitudine ad certandum pro his*

Pag. 96-105.

tam

*tam insignibus & excellentissimis beneficiis.* Speciatim inquirit in sententiam *Tillii*, ex *VI*, *10-13*, occasionem scribendæ Epistolæ *Paulo* datam fuisse judicantis, *quoniam præviderit, fore, ut gentilismus lacertos moveat; hinc persecutionibus, & armata vi, illinc artibus magicis, in specie philosophicis.* Ad hæc excipit Summe Venerandus Autor, 1) hæc minime ad indicandam occasionem & scopum Epistolæ sufficere, cum appendicis instar tantum annectantur superioribus, quare *v. 10* dicat Apostolus: *τὸ λοιπὸν, ἀδελφοί μου, κ. τ. λ.*; 2) prospectum futuræ tentationis, a gentilismo metuendæ, tantum partem facere eorum, quæ ansam scribendi Apostolo præbuerint, nec ulla veri specie ad artes magicas *Apollonii Tyanæi* respexisse. De hoc homine, quæcunque apud diversos scriptores invenire potuit, congessit, quo tempore scilicet vixerit, quæ facta ipsi adscribantur, quique ipsi honores passim fuerint habiti. Ex quibus tandem concludit, priscos scriptores, nec *Josephum*, nec *Tacitum*, nec *Suetonium*, nec *Plinium*, neque Patres Apostolicos, *Irenæum*, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Cyrillum Hierosolymitanum*, *Clementem Alexandrinum*, ac *Origenem*, hominis hujus ullam fecisse mentionem. *Justinum Martyrem Quæst. ad orthod. pag. 316 edit. Comelin.* huc trahi non posse, scriptum hoc quippe nomen *Justini* mentiri, ad Seculum IV detrudendum. *Porphyrium* de ipso generatim tantum quædam dixisse. Miracula, ab ipso patrata, & qui honores divini ipsi fuerint exhibiti, literis demum perscripsit *Philostratus*, atque inde ipse cum Christo confligi est cœptus, ut hinc jure dici nequeat, *Paulum* in Epistola ad *Ephesios* ad hunc hominem respexisse.

Pag. 109-111. 111. 112. 114-123.

*Dissertatio IV* declarat *methodum*, qua *Paulus* ad scopum suum assequendum utitur, & totius Epistolæ *οἰκονομίαν* exhibet. Methodum, Autor docet, esse elegantissimam, veritates *Paulum* proponere non per modum simplicis *διδαχῆς*, sed per modum *εὐλογίας*, gratiarum actionis & precationis, quod ad testandam suam sinceritatem, simulque commendandum argumenti momentum, summopere faciat. Inde exhibet *analysin* totius Epistolæ *generalem*, post *specialem* singularum partium, LIII Tabulis

123-132. 133-148.

bulis comprehensam, in quibus tantam sectatur accurationem, quanta a sagacissimo quoque exspectari potest.

Bernerisches Mausoleum, 2c.
hoc est,
*MAUSOLEUM BERNENSE, EXSTRUCTUM IN memoriam Virorum bene meritorum a G. E. H. Theologo Helvetio.*

## *Tomi II.*

Bernæ, apud viduam Bondeli, 1740-1743, 8.
Tom. I Alph. 1 plag. 8, Tom. II Alph. 1 plag. 13.

Si optima hæc ratio est ad plenam certamque rerum gestarum notitiam perveniendi, quando omnium terrarum eruditi documenta illa, unde, tanquam ex genuinis fontibus, vera civitatis ipsorum historia derivanda est, in lucem protrahunt; laudem omnino meretur hic Autor, quem esse Virum doctum & in Historia patriæ egregie versatum, res ipsa docet. Ille enim ad illustrandam Reformationis sacrorum in Helvetia historiam exponit vitas quorundam Virorum, qui in purganda ecclesia operam suam præstiterunt. Nulli proinde dubitamus, quin hic liber multos habiturus sit amatores, plures tamen habiturum eundem credimus, si Autor suum dicendi genus ad morem nostri seculi composuisset, quippe quod ad ætatem eorum, quorum res gestæ enarrantur, studio accommodatum esse fere crederes, nisi Autoris patria tibi cognita esset. Uterque hujus Operis *Tomus* in *tres Partes* subdividitur, in frontispicio icone Viri, de quo agitur, ornatas. De singulis nobis dicendum erit.

In Præfatione commemorat Autor noster Viros, quorum vitas nobis exhibebit, scilicet *Wittenbachium, Majorem, Bercht. Hallerum, Kolbium, Contzenum, Jo. Hallerum, Hoffmeisterum, Megandrum, Rhellicanum, Ritterum, Kilchmeyerum, Textorium, Wolfg. Musculum, Aretium, Abrah. Musculum, Huberum,* quibus tamen fortasse plures additurus deinde est. Ingenue deinde fatetur Autor, se consuluisse scripta *Hottingerorum, Bullingeri,* & *Ruchati,* laudatque *Dursteleri, Gruneri, Freudebergeri,* & *Engeli,* humanitatem, qui documenta ipsi procurarunt, quo-

quorum potiora operi suo inseruit. In *Thomæ Wittenbachii* vita hæc notatu digna invenimus: Natus est Bilæ A. 1472 ex generosa gente, patre *Ulmanno*. Basileæ & Tubingæ studia excoluit. Tubingæ Theologiæ Baccalaureus creatus, Basileam revertit, ubi demum Doctoris titulo ornatum esse, Autor contra *Hottingerum* statuit. Docuit ibi Theologiam, a multis jam erroribus purgatam, multosque habuit auditores, ex quibus commemorandi sunt *Leo Judas*, Tigurinorum Theologus, & *Ulricus Zwinglius*, qui antea in Academia Vindobonensi sub nomine *Cogentii* Philosophiam didicerat. A. 1522 munus Concionatoris in patria ipsi demandatum est, ibique indulgentias missasque Pontificiorum damnans, conjugia vero sacerdotum defendens, ipse cum septem aliis Theologis A. 1524 nuptias celebravit. Hoc ægre tulerunt quidam Senatores, qui turbas excitarunt, eoque progressi sunt, ut munere ipsum depellerent. Durantibus adhuc motibus, A. 1526 obiit, ætatis 46. Hac etiam in *Parte* Autor sententiam suam de *primis* Reformationis autoribus exponit. Primas in hoc opere concedit Helvetiis, affirmans, ortum lucis Evangelicæ deberi Helvetio intra Helvetiam, itidemque Helvetio extra eam; illum fuisse *Wittenbachium*, hunc *Jo. Geilerum*, vulgo a loco, ubi adolevit, *Keisersbergerum* cognominatum, natione Scaphusiensem, A. 1510 jam mortuum, qui Argentoratensium sacra purgavit. Ut vero confirmaret, Saxoniæ quoque reformationem Helvetiis ex parte deberi, contendit, communem Germaniæ præceptorem, *Philippum Melanchthonem*, audivisse Pforthemii *Simlerum* quendam, Tigurinum, cujus tamen patria non adeo certa sit. De illa vero quæstione: num *Lutherus*, an *Zwinglius*, primus doctrinam sanam cognoverit, Autor ita pronuntiat, *Zwinglium* jam A. 1506 eam docuisse Glaronæ, de *Luthero* autem non probari posse, ipsum ante A. 1514 errores Pontificiorum detexisse, sed potius certum esse, eum A. 1510, cum legationem Romam subiret, genuinum adhuc fuisse Pontificis asseclam.

Pag. 1. 9. 14. 18. 20. 34. 63. 104. 101. 104. 105. 110.

*Pars II* exponit fata D. *Sebastiani Meyeri*, sive *Majoris*, Neostadiensis ad Rhenum, primi Bernensium Concionatoris

Evangelici. Non multa de hoc viro, cujus memoria ferme de-
Pag. 120. leta sit, afferri posse, dicit Autor in adjecta Præfatiuncula. Natus est circiter A. 1465. Primum in patria sua, deinde Basileæ & in quibusdam Germaniæ Academiis, studiis operam dedit. S. Theol. Doctoris titulo ornatus fuit; quo vero hoc factum sit anno, ignoratur. Scholas theologicas aperuit Argentorati Bernæque,
220. ubi etiam A. 1545, ætatis 80, mortuus est, alii vero, Argentorati obiisse, dicunt. Edidit *libros retractationum*, Argent. A. 1524. *Commentarium in Apocalypsin*, Tigur. A. 1539, *Expositionem Epistolæ 1 & 2 ad Corinthios*, Argent. A. 1543, 8, *Annotationes in Epistolam ad Galatas*, Bern. A. 1546, 8. Inter documenta,
124. quæ hanc *Partem* exornant, legi merentur literæ Purpuratorum Romanensium ad Bernenses, quibus eos adhortantur, ut in fide
136. permanerent; nec minus Epistola *Leonis X* ad Helvetios, fœderis cum ipsis ineundi causa perscripta. Exhibet hic quoque Autor Interim Helveticum, quod initio anni 1524 a plurimis Tigurinorum & Lucernensium erectum est, ut reformatoribus
194. sese opponerent. Constat illud ex XIX Articulis, quorum transgressoribus eadem pœna statuitur, qua Deo maledicentes puniri solent.

*Berchtoldus Hallerus* describitur *Parte III*, in qua Autor
258. miserrimum ecclesiæ statum depingit. Ad hunc demonstrandum Autor inter alia etiam enarrat, quæ cum *Jetzero* quodam acta sunt Bernæ, & quæ nos etiam adducemus, quoniam infra hujus historiæ mentio recurret. Invidia animos concitaverat Dominicanorum in Franciscanos, quibus illi pares esse volebant. In sua proinde quoque familia sanctum quinque Christi stigmatibus ornatum habere cupiebant, quem honorem fratri suo *Jetzero* decreverant. Hoc vero consilio irrito facto, *Jetzerum* veneno e medio tollere constituebant, quod tamen periculum ille evasit. Hoc aliisque exemplis probat Autor, ecclesiam totam, inprimis Bernensem, reformatione indiguisse. Hanc su-
319. scepit *Hallerus*, qui natus est Aldingæ prope Rotwillam in Suevia A. 1492. Pforthemii una cum *Melanchthone* auditor fuit *Petri Simleri*, Coloniæ vero Baccalaurei titulum assumsit. Bernam venit A. 1518, ubi primum juvenes, deinde adultos, instituit.

tuit. Obiit diem ſupremum d. 26 Febr. A. 1536, annum 46
ætatis ſuæ agens. Præter X Sermones, in diſputatione Bernenſi
habitos, eorumque explicationes, nullos edidit libros, *Chroni-* Pag. 459.
*con* vero *Bernenſe* ſcriptum reliquit. Quoniam hic *Hallerus*
in modo laudata diſputatione inter alios fortiter ſe præſtitit, Au-
tor hac in *Parte* multas profert literas, quibus *Acta* diſputa-
tionis Bernenſis, quæ proſtant, illuſtrari poſſunt.

Duos nobis Viros ob oculos ſiſtit *quarta Pars.* Alter eſt
*M. Franc. Kolbius*, Rœthelenſis, Concionator Evangelicus Ber-
nenſium tertius, alter *Petrus Contrenus.* De utroque nonnulla
erunt commemoranda. Ille in lucem editus eſt A. 1465 Lear- 5.
chi, in dynaſtia Rothelenſi, quæ pars eſt Marchionatus Badenſis.
Baſileæ in ſtudia incubuit; admodum juvenis Artium Magiſter
creatus, Scholæ S. *Martini* præficiebatur. Hoc munere cum ſpon-
te ſe abdicaſſet, Monaſterium Carthuſianum in Suevia ingreſſus
eſt; poſt aliquod vero tempus inde rurſus diſceſſit, & Bernam ſe
contulit, Evangelium annuntiaturus. Num hoc, ut quidam volunt,
*A. 1502 jam factum ſit*, Autor ignorat, anno vero 1512 Ber-
næ fuiſſe, certum dicit. Hujus temporibus bellum Mediolanen-
ſe exoriebatur, multique Helvetii tunc ſine magiſtratus ſui 9.
permiſſione ad peregrinorum, inprimis Gallorum, caſtra concur-
rebant. Id cum *Kolbius* auditoribus ſuis maximopere diſſua-
deret, illi vero nec ipſi, nec ſuperiorum mandatis, morem ge-
rerent, tam ægre hoc tulit, ut eos derelinqueret, & Noriber- 15.
gam ſe converteret, ubi Monaſterium Carthuſianum ingredie-
batur, munereque Cuſtodis fungebatur. Ibidem vero vitæ
periculum incurrit, cum ea doceret, quæ plurimis nondum
probabantur, quo Bernam revocatus liberabatur A. 1527. Pro- 84.
ximo anno, & quidem d. 7 Jan. cum *Berch. Hallero* diſputatio-
nem exorſus eſt contra Pontificios, quibus devictis, a magiſtra- 89.
tu Bernenſi reformatio in ſacris per edictum, d. 7 Febr. promul- 100.
gatum, inſtituebatur. Cui cum Pontificii ſeſe opponerent, ad ſe
defendendos Tigurini & Bernenſes fœdus d. 25 Junii ſanxe-
runt, quod vocatur *das Burgrecht*; quibus mox ſe adjunxe- 104.
runt Fanum S. Galli, Bila, & Mulhuſa, altero vero anno in ſo-
cietatem ejus etiam recepti ſunt Baſileenſes & Scaphuſienſes.

Hoc exemplum imitantur Helvetii Pontificiorum ſacris addicti,
nempe civitates Lucernenſis, Uranienſis, Suitienſis, Silva-
Pag. 125. nienſis, & Tugienſis, quæ cum Hungariæ & Bohemiæ Rege, *Fer-
*dinando*, paciſcuntur, pactumque A. 1529 die S. Georgii Wald-
hutæ obſignant. Contenta utriusque fœderis Autor lectoribus
140. exhibet. Cum bellum A. 1529 exardeſceret, *Kolbius* ſacerdo-
tem in caſtris egit; quoniam vero cum militiæ præfectis lis ei
163. exoriebatur, Bernam rediit, ibique A. 1535 d. 11 Nov. ſe-
ptuagenarius obiit. Miramur, Cl. Autorem in vita *Franciſci
Kolbii* nullam mentionem feciſſe ejus Epiſtolæ, quam Sabbatho
poſt Bartholomæi A. 1524 Verthemio ad *Martinum Lutherum*,
de abrogatione cerimoniarum in baptiſmo & ſacra cœna, & de
verbis Chriſti, in inſtitutione ſacræ cœnæ adhibitis, perſcri-
pſit. Appellat ſe in ſubſcriptione ejus *Eccleſiaſtem Werthei-
menſem*, *Apoſtolorum minimum*, in inſcriptione autem *Marti-
num Lutherum*, *pium Chriſti Apoſtolum*, *ſuum ſemper in Chriſto
præceptorem*. Publicavit illam e MSto *Joannes Erhardus Kappius*,
Profeſſor Lipſienſis celeberrimus, in *Parte II Spicilegii Documento-
rum, Hiſtoriam Reformationis illuſtrantium*, a *pag. 615* ad *620*. Huic
ſubjungitur *Petrus Conrenus*, Schonenthalenſis. Ubi terrarum
hic locus ſit, Autor ignorat, ſicuti etiam de ejus natalibus ni-
186. hil invenit. A. 1526 delegabatur ad diſputationem Badenſem,
quo tempore ſacerdos Erlnbaci fuit, Bernam deinde vocatus.
Lutheraniſmo favens, eccleſias Helveticas Saxonicis conciliare
197. ſtuduit. Duas in matrimonio habuit uxores, ex quibus tamen
nullam maſculam prolem ſuſcepit. Annus, quo mortuus eſt, &
203. ætas ejus, Autori noſtro non innotuit. Ipſe vero de *Conreno* ju-
dicat, eum, concordiæ & pacis ſtudio, nimium quidem Luthe-
raniſmo indulſiſſe, veritatis tamen contra Genevenſium motus,
de quibus etiam nonnulla adducuntur, acrem fuiſſe defenſorem.

Sed nunc evolvamus *Partem V*, quæ inſcripta eſt Præ-
tori & Senatoribus Bernenſium. Siſtitur vero in ea nobis *Ni-
208. colaus Manuel*, Præfectus Erlaci, Senator & Labarophorus Ber-
nenſis, ex generoſa ſtirpe Bernæ natus A. 1484. De genea-
logia hujus Viri Autor diſputat contra Lexicon hiſtoricum Baſi-
leenſe. Bernæ fuit auditor *Henrici Lupuli*, qui amorem Poe-
ſeos

seos ipsi instillavit, quam cum arte pingendi per totam quoque vitam suam adamavit & exercuit. In senatum receptus est A. 1510, præfecturam vero Erlacensem accepit A. 1523. Legationibus variis Basileam, Tigurum, Badam, Solodurum, susceptis, exortas ibidem turbas feliciter sedavit, nec minus in propaganda doctrina puriori sedulus fuit. Inprimis vero picturis & carminibus suis damnum intulit Pontificiis, de quibus Autor copiose agit, & specimina poeseos ipsius exhibet, quibus tamen recensendis non immorabimur. De libris vero, quos edidit, paucis agendum erit. Catalogum ipse Autor tradit, quem hic exhibemus, in quo tamen cujuslibet libri argumentum succincte adjiciemus: 1) Historia comœdiæ *Jetzeriana*, poetice descripta, & edita A. 1509, 4; 2) ejusdem historiæ brevior & prosaica narratio. Quid per hanc Comœdiam intelligatur, cum Autore jam supra indicavimus in vita *Bercht. Halleri*. 3) Carmen in prœlium Bicocense. De hoc Autor nihil adducit, sed provocat ad *Bullingerum*. 4) Fabula, nomine *Θανατοφάγος*, quam prima bacchanaliorum die A. 1522 Bernæ per civium filios agi curavit. In hac omnes Ecclesiæ Romanæ nævos vivis coloribus depinxit. 5) Fabula alia, in qua discrimen discipulorum Christi & Pontificis asseclarum demonstratur. Junctim editæ sunt hæ duæ Comœdiæ Bernæ A. 1525, recusæ A. 1540. Qui earum pleniorem notitiam habere cupit, evolvat Autorem nostrum *Tom. I pag. 146, Tom. II pag. 232 & pag. 392.* Non enim unum in locum omnia congessit, quæ de una re agunt. 6) Carmen quoddam, in quo indulgentiæ Papales deridentur, & quod eodem anno Bernæ per plateas decantatum est. Nomen hujus Carminis est *das Bonenlied*. 7) Morbus Missæ. 8) Mors & testamentum Missæ. Specimina utriusque libelli Autor affert *pag. 282 & pag. 291*. 9) Querelæ imaginum, poetice expressæ, quarum partem invenies *pag. 274*. 10) Carmen in disputationem Badensem, de quo conf. *Bullingeri Hist. Reform. pag. 196*. 11) Historica descriptio belli Interlacensis. De hoc bello Autor egit in hac ipsa *Parte pag. 364*. Vitam eum morte commutavit hic *Manuel* d. 30 April. A. 1530, ætatis 46. De conjugio & posteris ipsius Autor multa commemorat; deinde

Pag. 371. 392. 386.

progreditur ad eum laudandum, laudesque brevi carmine concludit.

Supereſt adhuc *Pars VI*, quæ duos deſcribit *Joannes Hal-*
Pag. 401. *leros*, patrem & filium. Ille primam lucem adſpexit Wylæ, quæ caput eſt Turgoviæ, A. 1487. Patrium primum ludum, deinde ſcholas Abbatis Gallenſis, frequentavit, ex quibus diſcedens, Academias Erfordienſem & Wittebergenſem adiit, *Lutheri* amicus factus. Rediit ad parentes ſuos A. 1509, quos tamen ſequenti anno rurſus reliquit, cum ipſi munus adjutoris Suitiæ demandaretur, quo per triennium functus eſt. Idem munus Interlaci & Thuni ornavit, donec Scherzligæ Paſtor fieret.
407. Quoniam vero tunc temporis Pontificiorum errores publice redarguerat, illi, ut eos reticeret, opimam procurarunt ſtationem Anſeltingæ. Sed ibidem quoque ſtrenue perrexit in ſuſcepto opere, adeo, ut uxorem duceret; quod Epiſcopus Lauſanienſis ægre tulit, qui cum aliis tanto eum proſecutus eſt
413. odio, ut A. 1525 Anſeltingam cum Thuno commutare cogeretur, ubi per aliquod tempus commoratus eſt. Quoniam hic *Hallerus* primus ſacerdos inter Bernenſes fuit, qui uxorem duxerit, Autor noſter more ſuo hic ad quæſtionem digreditur, num ſacerdotum conjugia licita ſint; hacque occaſione enar-
448. rat, quæ aliis in terris occaſione conjugiorum geſta ſint. His interſperſis, revertitur Autor ad *Hallerum*, qui Tigurum tandem evocabatur, ut adjutoris munus ibidem ſuſciperet. Ultima, quam nactus eſt, ſparta fuit Bülaci, ubi etiam ipſi cum cu-
456. ratoribus dimicandum fuit. Tandem A. 1531 in bello Capellenſi juſſu ſuperiorum arma cepit, & in prælio una cum *Zwinglio* occubuit anno ætatis 44.

Progredimur ad *alteram* hujus *Partis Sectionem*, quæ de
471. *Joanne* & *Wolfgango Halleris* agit. Ille primus filius ſacerdotis in Helvetia ex legitimo matrimonio in lucem editus eſt Anſteltingæ d. 18 Jan. A. 1523. Puer octo annorum ad ſcholam Tigurinam a matre ſua mittebatur, ubi *Chamus*, hujus urbis Theſaurarius, ipſum in hoſpitium recepit; magiſtros ve-
477. ro ibidem habuit *Ammannum* & *Binderum* uſque ad A. 1536; per alios deinde quatuor annos audivit *Lubeggerum*, *Pellicanum*,

num & *Collinum.* A. 1540 cum *Jo. Wolfio* & *Jo. Jac. Wibero* Tubingam & Marburgum, viros celeberrimos audiendi causa, se contulit. Deinde, per Germaniam inferiorem itinere facto, Erfordiam & Lipsiam venit. Hic *Joach. Camerarii* lectionibus per totum annum interfuit. Porro Wittebergam petiit, ut *Lutherum* & *Melanchthonem* videret. Tandem in patriam rediit A. 1542, statimque muneri sacro admotus est. A. 1545 Pag. 482.
Augustam Vindelicorum evocabatur, quam tamen urbem post biennium propter motus interimisticos relinquere, & Tigurum 488.
tendere, ab amicis suis Helvetiis jubebatur. Augustani hoc per literas, ad Tigurinos missas, impediverunt primum, deinde tamen, crescentibus turbis, permiserunt. *Hallerus*, qui vix Tigurum venerat, ad Bernenses mittebatur, ut exortum ibi dissensum componeret. Dissensus scilicet erat in Articulo de sacra 500.
cœna, quem multi ad mentem Lutheranorum exponebant, qui vero munere suo privati sunt. Omnium ibi amorem sibi ita conciliavit *Hallerus*, ut Bernenses semper eum retinere cuperent, quod tandem multis precibus a Tigurinis impetrarunt. Decani igitur munus ipsi obtulerunt Bernenses, quo etiam egre- 517.
gie functus est per 28 annos. Ætatem ad 53 annos perduxit. Ex duabus uxoribus 16 liberos suscepit, 7 vero vivos reliquit, ex quibus notandus *Joannes*, natus A. 1546 Augustæ Vinde- 534.
licorum, Magister Artium & Sacerdos Thunensis, dein adjutor Bernæ, fuit, mortuus vero A. 1595. Frater *Halleri* nostri, *Wolfgangus*, Tiguri Præpositus fuit, vitamque finivit A. 1601. Utriusque posteros Autor recenset, itemque librorum ineditorum maximam partem catalogum adjungit. Ipsum vero hunc *Tomum* finit epilogo, in quo nomina eorum, de quibus in posterum acturus est, repetit, quæ jam supra ex Præfatione adduximus. Denique adjectus est Index in utrumque *Tomum*.

## Johann Jacob Mosers Teutsches Staats-Recht, &c.

hoc est,

## *JO. JAC. MOSERI JURIS PUBLICI GERMA-*

*nici*

*nici Tomus quintus, in quo præcipue argumenta de Jure Postarum, de Juribus & obligationibus Imperatoris, &c. pertractantur.*

Lipsiæ & Ebersdorfii, apud Bernhard Ehrenfried Vollrath, 1742, 4.

Alph. 2 plag. 22.

*EJUSDEM JURIS PUBLICI GERMAnici Tomus sextus, in quo Jura & obligationes Imperatoris &c. continuantur.*

Lipsiæ & Ebersdorfii, apud eundem, 1742, 4.

Alph. 3.

Inoffenso pede, indefessoque studio, pergit Ill. Autor in edendo Opere, felicibus auspiciis cœpto, rebus, statum Imperii Romano Germanici illustrantibus, referto atque ornato, cujus *quatuor* priores *Tomos* alio tempore recensuimus, sequentes vero magna animi cum delectatione partim volvimus, partim magno, ac pluribus Juris publici prudentiæ amantissimis communi, desiderio exspectamus. Continuat Ill. Autor *Librum II*, inque ejus *Capite LXXVIII Jura & obligationes Imperatoris intuitu cursus publici, seu, uti vocant, Postarum*, longa serie deducit. *Taxios* cumprimis, instruendo hunc cursum publicum in Imperio nostro, eximia vere & magna, *Maximiliani* tempore, egisse, constat; præmium quoque egregium, munus scilicet & dignitatem supremi in Imperio postarum Magistri, iidem inde reportarunt, aliquoties a novioribus Imperatoribus confirmatam. Non diu autem possederunt *Taxii* prærogativam hanc quiete, sed mox Statuum Imperii quidam, interque eos Duces Wurtembergici, partim jure superioritatis territorialis, partim quod de jure cursus publici a *Taxiis* admodum negligenter habito querendi causam haberent, postas instituerunt per terras suas, easque contra acerbas illorum defenderunt oppositiones; idque eodem, quo Imperator *Rudolphus II* eundem publicum cursum in terris suis hæreditariis

tariis ordinaverat, & in Stiria praecipue officium Magiſtri poſtarum Libero Baroni *de Paar* conceſſerat, jure; quod poſtea A. 1624 a *Ferdinando II* Imperatore ad terras Auſtriacas quoque extenſum fuit. Primam officii ſupremi poſtarum Magiſtri per totum Imperium inveſtituram A. 1615 obtinuit *Cameral*, Baro *a Taxis*, ad jura domus ſuæ attentus, eamque ad filias quoque in ſubſidium extendi curavit A. 1621, & obtinuit. Auſpicata ſane occaſio, magnas, aliorum invidia, acquirendi divitias, & honores, adeo ſufficientes, ut mox principali axiomate condecorata fuerit *Taxiorum* domus. *Capite 2 de obligatione mediatorum Imperii membrorum erga Imperatorem* Pag. 272.
brevibus tantum & generatim agitur. Statim vero in ſequentibus uſque ad *Caput 122* reliqua Imperatoris jura & obligationes multiplices doctiſſime Autor perſequitur, quatenus ei competat 275.
*jus dandi privilegia & immunitates Statibus & membris Imperii immediatis, ratione provinciarum & ſubditorum, aut ratione conceſſionis dignitatum & inſignium*, docens. Imperatorem *Fridericum I* A. 1156 Auſtriæ Marchionatum, *Fridericum II* terras Brunſuicenſes, *Fridericum III* Holſatiam, *Maximilianum I* Comitatum Wurtembergenſem, &c. in Ducatus evexiſſe, alios Imperatores alias terras, Principatus, Comitatus, Principali axiomate gaudentes, *gefürſtete Grafſchafften*, ſimplicis Comitatus, Baroniæ, &c. inſignibus condeçoraſſe, conſtat. Cetera Imperâtoris ju- 286.
ra hæc ſunt: *Jus Aſylum conſtituendi*, quale *Henricus VI* Imperator Briſaci, *Conradus IV* Abbatiæ S. *Ulrici* & *Afræ* Auguſtæ Vindelicorum, *Ludovicus IV* Wimpfenæ, *Maximilianus I* Reutlingæ, *Ferdinandus I* Biberaci, &c. aperuerunt. *Jus bannum con-* 298.
*cedendi*, ſeu omnimodam juriſdictionem criminalem, quæ tamen hodie ad effectus ſuperioritatis territorialis refertur merito. *Jus* 300.
*privilegia & immunitates Collegiis opificum largiendi*, ubi tamen cavendum, ne incommodum inde afferatur ſuperioritati Status cujusdam. *Jus nundinas ſolennes ordinandi*, olim, ob bellorum 302.
inteſtinorum & diffidationum, quibus quaſſabatur Imperium, frequentiam, admodum utile, & ob ſecuritatem, quam, hoc nundinarum publicarum tempore conſtituto, peregrinantibus

præstabat Imperator, admodum salubre; hodie vero, post pacem publicam sancitam, minus usitatum. Jura interim hæc & olim in usu fuerunt, & nunc merito servantur. Memoratu simul dignum, quod illi, qui tale solennium nundinarum privilegium obtinuerunt olim ab Imperatore, Papæ etiam confirmationem efflagitaverint plerumque, ne forsan Episcopi vicini contrarii aliquid molirentur. Ideo & Lipsia *Leonis X*, & Francofurtum ad
Pag. 324. Mœnum *Bonifacii IX*, obtinuerunt confirmationem. *Jus civitatem construendi*; cujus tamen usus hodie, ob eandem superioritatem territorialem, Statibus competentem, exiguus valde videtur. Majoris autem ponderis habendum est jus Impe-
335. ratoris, *Academias erigendi & confirmandi*; qua occasione omnium, quæ intra Germaniæ fines florent, Academiarum tabulas exhibet Ill. Autor. Cum vero sine Pontificum concessione Theologiæ, aut Juris Canonici, doctrinas tradere, olim auderet nemo; universa autem scholarum cura per aliquot secula, in antiqua illa literarum caligine, clero peculii instar haberetur; mirandum non est, eorum etiam confirmationem efflagitasse illos, qui Academiam in terris suis instituerunt, quam tamen, post sacrorum instaurationem, merito omittunt Evan-
374. gelicæ religioni addicti. *Jus, Status Imperii, aliaque Imperii membra, protegendi*, tam contra exteros, quam ipsos constatus, aliorum possessiones turbantes forsan & detinentes, aliove modo
382. rei alterius vim inferentes. *Jus eosdem Status & immediatos tuendi in exercitio superioritatis suæ*, cavendique, ne subditi eximantur, aut, alio justi colore, alteri aliquid detrahatur; quin subditos potius, ut Principis voluntati morem gerant, incitandi
386. atque impellendi. Interim Imperatori omnino jus est, *dignitates conferendi subditis Statuum*, modo Principi hoc non fraudi sit.
401. *Jus subditis Statuum certas inscriptiones, titulosve, arma, insigniaque, tribuendi, cerave rubra ut signare possint, concedendi.* Huic affine est *jus dignitates per Comites Palatinos conferendi*, de quorum abusu tamen & excessu graves sæpe Statuum
430. querelæ audiuntur. *Jus Privilegia impressoria dandi*, ne alterius libros prelo subjiciant alii, nefandi lucri causa. Restringit tamen simul Illustris Autor Reservatum hoc Imperatorium, ne

ne ſcilicet hujusmodi privilegia dentur de libris, quorum uſus communis quaſi eſt & neceſſarius, v. g. de Corpore Juris Civilis, aut Canonici, cujus acquiſitio ad monopolium, rei literariæ maxime noxium, proxime accederet. Concedere vero ſolent Imperatores hujusmodi privilegia vario modo, ad quinquennium & ultra, eoque elapſo & prorogare. Infirmantur, vel, ſermone recepto, *caſſantur* interdum, tanquam ſub- & obreptitie elicita. Ejusdem conditionis quoque ſunt ea, quæ faſtorum intuitu, aut rerum novarum, ſeu, uti vulgo appellantur, novellarum, tabularum geographicarum, imaginum æri inciſarum, medicamentorum, machinarum variarum, &c. indulgeri ſolent.
Sequitur jam *jus reſtituendi famam.* Sed, idem Principibus Pag. 455.
Imperii ratione ſubditorum ſuorum competere, optima ratione aſſeritur. Interdum & Comites Palatini idem moliuntur, ſed merito reſiſtunt hiſce conatibus, qui ſuperioritate territoriali gaudent. *Jus legitimandi illegitime natos*, quod quidem & Prin- 460.
cipibus in terris ſuis aſſeri poteſt; cum vero horum legitimationes vix extra territorium uſum præſtent, ob præfractas ac depravatas opificum contradictiones, conſultius a Comite Palatino, cui a Cæſare conceſſa eſt legitimandi facultas, obtinetur legitimatio. *Jus veniam ætatis concedendi*, quam tamen ſubditi 472.
minorennes ex moribus hodiernis a Principe ſuo petere ſolent. 486.
*Jus ſubditis Statuum Imperii moratoria dandi, eosve in ſpecialem tutelam recipiendi*, quo caſu tamen objectiones illius Status, contra quem tale efflagitatur præſidium extraordinarium, audire ſolet. Poſt copioſam hanc Reſervatorum Imperatoris recenſionem, ad alia explicanda jura & obligationes ejus ſe vertit Autor, *quomodo* v. g. *lis, inter Imperatorem & Status intercedens,* 536.
*debeat componi*, ſive ea ſit cum univerſis Statibus in Comitiis, ſive extra illa, vel etiam cum ſingulis quibusdam, ita, ut vel Imperator, vel Status quidam, actoris ſuſtineat partes, quod iterum duplici modo contingere poteſt, ut lis intercedat cum Imperatore, aut qua Imperatore, aut qua Principe provinciarum ipſi propriarum. *Jura* tandem *& obligationes Imperato-* 541.
*ris intuitu legationum ad Status, horumve ad Imperatorem*, explicat Ill. Autor. Non Legatum, ſed Commiſſarium, mittere

Imperatorem, ubi cum Statibus negotium ei intercedat, tanquam cum corpore quodam, moribus confirmatum eſt; ad certas autem claſſes, aut ad ſingulos Principes, Legatos, non tamen primi, ſed ſecundi ordinis, abire jubet. De Legatis Statuum ad aulam Imperatoris infra ulterius acturus eſt. Hæc ergo ſunt contenta lectu digniſſima *Tomi quinti.*

Ulterius vero eadem Imperatoris jura & obligationes perſequitur Illuſtris rerum publicarum indagator in *Tomo VI* a *Capite 112* uſque ad *122*, quibus abſolutis, ad alia demum tranſit. Bre-
Pag. 1. viſſime tantum hæc libabimus, ne recenſionis fines excedamus. Perſcrutari pergit *jura & obligationes ejus, intuitu ſingularium claſſium & corporum, ſecundum quæ Status conſiderantur*, in Conventibus Circulorum, aut cum Electorum, Vicariorum Imperii, Principum, Comitum, & Civitatum Imperii immediatarum,
9. Collegia conveniunt; *intuitu Judiciorum Imperii & Feudorum*, quibus inveſtiuntur Status ab Imperatore tanquam a domino directo, & quorum lites aguntur coram Senatu Imperii aulico; *intuitu Comitiorum & totius Imperii*, ut defendat illud ab injuriis exterorum, ejusque libertatem & avtonomiam tueatur; ut pax Weſtphalica, aliæque, ſerventur ſancte, terræ, inique Imperio avulſæ, recuperentur, neve Imperator fœdera pangat, quibus ſimul Imperium, inſcium quaſi & invitum, implicetur; ut caveat, ne exteri rebus Imperii domeſticis ſe immiſceant.
31. *Circa cauſas gratiæ* major olim Imperatori fuit autoritas, quam hodie, v. g. in auſpiciis Regum, ut noviſſimis & hujus præcipue Seculi exemplis, quo Ruſſorum Imperator, Boruſſiæ, Sardiniæ, Siciliæque Reges, diadema, inconſulto etiam
42. Imperatore, capiti impoſuerunt, conſtat. *In cauſis juſtitiæ, belli, & pacis*, ut pax ſervetur cum exteris, neque bello petat alios Imperator ſine Statuum conſenſu, aut minimum Electorum prænotione. Ut tranſitus militum per provincias Statuum innoxius ſit, & quæ ſunt aliæ, de hac re diſponentes,
70. leges, quæ tamen utplurimum inter armorum ſtrepitus ſilent. A *Capite 123* aulam Imperatoris accedit Illuſtriſſ. Autor, ibique contemplatur Palatium, ſeu reſidentiam ejus, ſed, quæ de hac dici aut ſomniari ſolent, nullius vere uſus ſunt in Imperio

perio nostro, in quo ne quidem certum exstat palatium, ubi commoretur Imperator. Mirum forsan dictu, & vix credibile exteris. Interim *Archiofficia in Imperio* servantur, & dignitate ista fulgentes gaudent simul prærogativa, eligendi Regem Romanorum, suo & totius Imperii nomine. Nova autem Archiofficia, novosque Electoratus, erigere non posse Imperatorem, satis testantur acta Electoratus octavi, magisque adhuc noni, cui singulare Archiofficium publico suffragio excogitari determinarive nondum potuit. Hisce Archiofficialibus adjuncti sunt *Subofficiales Imperii*, illorum absentium vices sustinentes, ideoque in præstando isto ministerio merito præferendi Electoralibus Legatis, de quo tamen lites aliquoties obortas recenset Autor. Dignitates hæ subofficiales eodem modo hæreditario quasi jure possidentur a certis familiis, uti Archiofficiales ipsæ; quodsi tamen earum una exspirat, aliam surrogare, &, more recepto, de eadem dignitate investire, Archiofficialis arbitrio est relictum. Hisce Subofficialibus annumeratur Vicecancellarius S. R. I., a reliquis diversus plane, quod munus ejus non æque hæreditarium sit,ac reliquorum. Denominatio ejus a solo Archiepiscopo Moguntino, Imperii Archicancellario, dependet. Munus hoc maxime conspicuum habetur merito, cum, ipso quasi jure, inter Consiliarios Imperatoris intimos occupet locum. Officii ejus est præcipue, expedire negotia imperii, subscribere Diplomata, Rescripta, &c. Imperatoris nomine publicata, curam agere Cancellariæ Imperii, &c. Semper ergo in aula Cæsaris moratur ille. Suspenditur vero officii hujus exercitium, mortuo statim Imperatore, non, cum Archiepiscopus Moguntinus decedit. Alius plane indolis sunt *Officiales aulæ Imperatoris*, seu, uti in *A. B. Tit. 25* appellantur, Imperialis & Regalis Curiæ quotidiani Magistri, quos cooptare, meri Imperatoris arbitrii est. Quatuor inprimis eorum innotuerunt huc usque: supremus aulæ Magister, supremus sacri cubiculi Præfectus, supremus aulæ Mareschallus, & supremus stabuli Magister. Sæpius disceptatum fuit de jurisdictione Mareschalli, ejusque finibus, quam sæpius in Legatorum domesticos, vel etiam Judicio Aulico subjectos, ex-

Pag. 74. 108. 157.

 tendere

tendere tentavit, obſignareve voluit hæreditates perſonarum, illi adſcriptarum, vel, quod mireris, ipſorum Legatorum Statuum vel exterorum, aliorumque, ad eorum comitatum pertinentium, cui tamen attentato neque lex, neque quieta ob-
Pag. 239. ſervantia, favet. Alia obveniunt adhuc Imperii officia, quibus Status quidam aut vere inveſtiuntur, aut quæ illi ſibi vindicant, aut quæ uſu obtinuerunt olim; quale eſt officium Comitis Stabuli, cujus noviſſimo tempore, cum de novo Archiofficio Electori Brunſuicenſi aſſignando ſolliciti eſſent Status, graves in Comitiis inſtitutæ fuerint vindiciæ ab Electore Saxoniæ. Ita & Duces Wurtembergicos, ejusdem litis occaſione, Vexilliferi officium vindicare ſibi omnem quidem moverunt lapidem, ſed ſine ſufficiente documentorum probatione. Marchiones Miſniæ, S. R. I. Venatores ſe eſſe, contendunt, & *Carolus IV* Imperator A. 1350 *Fridericum*, Landgravium Thuringiæ & Marchionem Miſniæ, ſolenniter de officio hoc inveſtivit, quæ inveſtitura & noviſſime annis 1708 & 1715 repetita fuit. Duces Gelriæ, Protoveſtiarii, Lucenburgenſes, ciborum inciſores, nominantur in literarum monumentis, Comites Palatini ad Rhenum, Cuprariorum protectores, Comites Stolbergenſes, Imperii Piſcatores, Comites *a Werthern* Janitores, ſeu
333. S. R. I. Archicubicularii, &c. In ipſa vero Cæſaris aula præcipue deprehenditur *Concilium ſanctius, der Geheimde Rath*, in quo omnes, etiam Imperii ſtatus rationem ſpectantes, cauſæ deliberantur & dijudicantur. An & quatenus in cauſis etiam juſtitiæ cognoſcere illud poſſit, admodum diſceptatur, & diſertis verbis litium viciſſitudines & ſeriem recenſet Autor, ſimulque de Conſiliariorum Intimorum dignita-
376. te, loco, titulis, & emolumentis, agit. Ab hoc Concilio differt *Collegium, in quo de bello & de reditibus agitur, das Hof-Kriegs-Raths- und Hof-Cammer-Collegium*, quæ duo proprie ad Collegia provincialia referuntur, & de quibus in Capitulatione noviſſima expreſſis cavetur verbis, ne in Statuum incommodum
383. moliantur aliquid. In *Capite 130* Cancellariam & Archivum Imperii luſtrat Ill. Autor. Dirigit illam Imperii Archicancellarius, eoque abſente Vicecancellarius Imperii, communicato

nicato tamen cum Moguntino consilio. Omnia autem in illa vel Germanico, vel, si Italica aliave extranea agantur negotia, Latino, sermone expediuntur hodie. Ultimo tandem *Capite sextum* Operis *Tomum* claudit Ill. Autor, differendo *de Reditibus Imperatoris.* Nulla fere re, quod dolendum, magis laborat Imperium nostrum per aliquot jam Secula, quam domaniis, seu bonis, sustentationi Imperatoris, & rei communi, destinatis. Ab omnibus sane, qui post Interregnum fasces Imperii tenuerunt, Imperatoribus auditæ sunt querelæ de dissipato Imperii patrimonio. Dissipatum vero est illud & diminutum vario modo, liberalitate Imperatorum, oppignoratione, alienatione, vel etiam occupatione, a parte acquirentium. Quæ ergo in compensationem curæ de salute publica, & tanto regiminis onere ferendo, redundant ad Imperatorem, incerta sunt hodie, & in contributionibus a Statibus Imperii in Comitiis compromissis, in subsidiis charitativis, quæ Nobilitas Imperii immediata conferre solet, in laudemialibus, quæ tamen Consiliariis Imperii Aulicis utplurimum cedunt, in pœnis pecuniariis, vix tamen ad centum florenos per singulos annos adscendentibus, in reditibus ex provinciis, ob possessorum delicta ad fiscum redactis, in muneribus, Deo quidem gratis, sed in Imperio nostro vix usitatis, &c. consistunt. Sed omnia hæc, si in unum colligantur, haud mereri videntur, ut in computum veniant. Consultationes vero, de emendandis augendisque reditibus Imperatoris, vix unquam ad effectum deducentur.

Pag. 474.

## Historischer Münzbelustigung sechster Theil, &c.

hoc est,

*IOANNIS DAVIDIS KOELERI, P. P. ANNO 1734 per hebdomadas editarum historicarum ex Numismatibus Amœnitatum, in quibus varii memorabiles & rari Numi, nominatim LXXI, accurate in æs incisi, descripti, ac ex Historia plene illustrati sunt, Pars sexta; cui præfixa est loco Præfationis Continuatio quarta Sciagraphiæ plenioris Thalerorum collectionis.*

Noribergæ,

Noribergæ, impensis viduæ B. Christophori Weigelii, senioris, 1734, 4.
Alph. 2 plag. 17.

In Præfatione recensentur Thaleri, in quibus feriundis dignitatem & industriam suam ostenderunt Principes, quos vocant, seculares. Telam exorditur Cel. Autor ab uncialibus Anhaltinorum Principum, ac subsistit in indicandis Principum Brunsuico-Luneburgensium Thaleris, ac anno 1626. Amœnitates ipsæ aperiuntur ectypo Numismatis rari, ac pretio perquam excellentis, quo repræsentatur *Joannes Henricus* Lib. Baro *de Waldstein*, XXIV filios suos Regi Bohemiæ *Primislao Ottocaro III* ad ineundam expeditionem cruciatam adversus Borussos infideles A. 1254 tradens. Numus ipse est ab ingenio magistri numismatici recentissimi excogitatus. Fabulam olent, quæ nonnulli de 40 liberis *Babonis* Comitis *de Abensberg* referunt. *Fabii* 306 unius gentis, quos prædicat *Livius Lib.*
Pag. 5 seq. *II Cap. 49*, ad ostentationem Romanorum ventosam sunt, si Nostro applaudimus, annumerandi. *Dionysius* quidem *Halicarnassensis* subdit judicium: *πρᾶγμα ἐ μόνον ἀπίθανον, ἀλλὰ καὶ ἀδύνατον*, *Archæolog. Roman. Lib. IX pag. 570, 578. Plutarchus* in *Vita Fabii Maximi* fabulam prætermittit penitus, quæ *Ovidium* Poetam magis decuit. Barones *Waldsteinenses* a Dominis *Wartenbergæ* fuerunt exorti, pincernis Bohemiæ hæreditariis, quibus antea *de Ralsko* hæsit cognomen. *Zdenkus primus*, filius *Joannis de Ralsko*, antea commoratus in loco Welis, exstruxit in silva ad Tyrnau arcem novam, eamque vocavit
7. *Waldstein*. Unde *Waldsteiniorum* recentius exstitit cognomen, uti vulgo adhuc commemorant scriptores. *Zdenkus II*, filius *Joannis*, genuit *Joannem*, felici 24 filiorum proventu illustratum, quorum principatum tenuerunt *Joannes Haly*, Episcopus
TAB. I Olomucensis, ac *Zdenkus III*, familiæ propagator. Conspicien-
Fig. 1. dum hinc præbet Cel. Autor Numum rarum aureum *Joannis I*
Pag. 17 *de Zapolya*, alias Comitis *de Zips*, ac Palatini per Transilvaniam,
seq. tandem Regis Hungariæ; Thalerum tutelarem *Christianæ Caro-*
40. *linæ*, viduæ Marchionis Brandenburg-Onolsbacensis, natæ Ducis
TAB. I Würtembergicæ A. 1727; Thalerum ganerbiorum equestrium
Fig. 2. castelli Friedbergæ; rarum Numum *Leonis X*, Pontificis Romani,

cu

# TAB. I ad Nov. Erud. A. 1744.

cui nil, nisi theologia, pietas, & prudentia œconomica, defuisse dicitur; Numisma *Innocentii XI* ad firmandam Papalem adversus Gallorum antitheses infallibilitatem ad A. 1679, quæ nititur in postica verbis *Luc. XXII, 32: Non deficiet fides tua*, scilicet finaliter. Adjungit hisce ectypon Numismatis aurei Ju- Pag. 49
daici, referentis Regem Castellæ ac Legionis, *Petrum Crudelem*, & annum falsum, nempe 1398. Repræsentat Thalerum Cœnobii S. *Galli* ad A. 1622; Thalerum *Maximiliani Fuggeri* Lib. Baronis *in Kirchberg & Weissenhorn*, ad A. 1624; Numisma figuræ protuberantis, exhibens *Raymundum Fuggerum*, Augustanum, ad A. 1529; Numum funestum, angulatum, cusum in obsidione Harlemensi A. 1572, insignem figuris in unico duntaxat latere. Insignia urbis ipsius, ac leo assiliens Batavicus, facile ostendunt, ab Hispanis numum haud esse factum. Succedit Numisma Bavaricum, ornatu commendabile, exhibens Electorem *Ferdinandum Mariam*, ac ejus uxorem, *Henricam Adelheidam*, in antica, ac insignia in postica, ad A. 1660. Recen- 89.
sentur deinde Numi nonnulli, quibus nuptiæ jubileæ fuerunt condecoratæ. Ænigmata objiciunt lectori literæ in numo S. *Benedictino* Cœnobii Methen in Bavaria. Pergit Autor ad Tha- 105.
lerum urbis imperialis Augustæ Vindelicorum A. 1625, cujus insigne est strobilus, a Romanis indubie ei impositum. De 120.
*Udalrico*, Episcopo, referuntur hic exquisita, quibus immorari haud licet. Provocat enim attentionem nostram uncialis Numus *Christophori*, Episcopi Chiemseensis, circiter A. 1558 percussus. Episcopi hujus Cœnobii fuerunt quondam Ordinibus 121.
Imperii annumerati. Sed inde ab A. 1568 sine onere ipsos Ar- 128.
chiepiscopus Salisburgensis exemit. Jucundus porro adspectu est rarior uncialis Numus *Joannis*, Episcopi Gurcensis, ad A. 1553. Celebratur inter hæc suo merito Generosissimi & Illustris Equitis ac Assessoris Cameræ Wetzlariensis, *Valentini Ferdinandi de Gudenus*, *Uncialæum selectum Wetzlariense*, exhibens typos uncialium 784 selectissimorum. Spectaculo jucundo est Numus Judaicus, de liberis gignendis inscribendus, cujus perigraphæ thalamum commendant. Prior hæc habet: *Dulcibus inservit natis Venus alma creandis*. Posterior: *Ut Phœnix*

TAB. I *flamma*, *sic nos renovamur amore*. Rarus est numus æneus,
Fig. 3. qui refert infelicem & famosam *Joannam I*, Reginam Neapolitanam, cujus in perigraphis hic est titulus: JVHanna REGINA JERusalem SICILIE. Quartum ipsa sibi maritum ele-
Pag. 150. gerat *Ottonem*, Ducem Brunsuicensem, invito Pontifice Romano, qui ipsam a communione ecclesiæ segregabat, ac regnum Duci *Carolo* Dyrrhachino tradebat. Quo Neapolin occupante, *Otto*, liberationem urbis tentaturus, in prælio ad incitas redactus, arbitrio victoris ac custodiæ sese submisit. *Joanna* autem A. 1382, 22 Maji, neci fuit data, autore *Carolo*, qui
152. jus talionis expendit, A. 1386 Budæ interfectus, cum regno immineret Hungariæ. Progredimur ad Numum unilateralem *Joannis Pici*, Ducis Mirandulani, A. 1494 defuncti, Philosophi acutissimi; ad Metallionem, qui refert *Ludovicum XI*,
161. Regem Galliæ, satis adulatorie; ad Numum mnemonicum, expugnatum a Cæsareanis A. 1676 Philippiburgum denotantem. Ex pago Udenheim urbs fuit enata, milliari uno distans a Spiris. *Henricus de Colonia*, cujus erat pagus, Udenhemium vendebat A. 1316 Episcopo *Emichoni*. Imperator *Ludovicus* A. 1336 *Gerhardo*, Episcopo, permittebat, ut urbem ex pago construeret, munitam, nundinisque instructam. Episcopus *Georgius*, Palatinus Comes ad Rhenum, sedem suam eo transtulit. Omittimus reliqua urbis fata, apud Autorem legenda. Subjicit oculis Cel. Autor Numum uncialem quinque
177. Principum Anhaltinorum ad A. 1615, *Joannis Georgii*, *Christiani*, *Augusti*, *Rudolphi*, *Ludovici*, qui totidem lineas ex sese propagarunt. *Joannes Georgius*, autor lineæ Dessaviensis, A. 1589 exorcismum abrogavit baptismalem, A. 1596 reformatam per agenda ecclesiastica approbavit religionem, mortuus A. 1618.
185. Exponit idem lectorum oculis & judicio deinceps duos aureos admodum raros unciales, *Ludovici XII*, Regis Galliarum, unum, ac uxoris ipsius *Annæ*, Ducis Britanniæ, alterum, ad A. 1498, nec non Thalerum *Joannis Leopoldi*, Principis *Trautsonii*, Comitis *in Falckenstein*, ad A. 1719, Consiliarii Cæsareæ Majestatis ac conferentialis Consiliarii, ex Tirolensibus vetustissimæ nobili-
201. tatis heroibus orti; porro Thalerum *Henrici de la Tour*, Ducis Bullio-

Bullionensis, ad A. 1615; tum Numisma rarum, memoriæ *Dianæ* Pag. 209.
Pictaviensis, Ducissæ Valentinianæ, potentissimæ amicæ *Henrici II*, TAB. I
Regis Galliarum, dicatum; Numisma aliud rarum in *Theodonem*, Fig. 4.
*Wilhelmi*, Ducis Bavariæ, primogenitum, ad A. 1533; Numisma Pag. 217.
ominis plenum, referens *Stanislai* regiam Polonicam coronationem ad A. 1705, cum perigraphe: *Fata viam inveniunt tandem;* decem aheneos, ex necessitate publica in Suecia, instinctu Lib. Baronis *de Schlitz*, cognominati *de Göriz*, A. 1715, 1716, 1717, 1718, & 1719, percussos, Numos, quorum singuli æquarunt pretium 8 grossorum *Marianorum*, licet Thalerorum cognomen eis fuerit attributum. Ex hisce Numis, in quibus Deorum figuræ apparent, prima mali labes in virum tantum fuit exorta. Sæpius ipse ad pastorem animarum *Conradi*, a quo 239.
invisebatur crebro, hæc ingeminavit Liber Baro in custodia: *Fides erga Regem & Ducem, mors Regis, mors mea.* A. 1719, 11 Martii, ad Holmiam caput ei securi amputatum, & corpus obtruncati haud procul sepultum fuit. Exstiterat admirator artium illius notissimi *Law*, quem Gallia haud ignorat, ac Dei- 240.
sta intrepidus, licet in custodia veritatem S. Scripturæ admisisse referatur. Is, qui ejus a secretis fuerat, ac consilia ipsius de Rege Angliæ deponendo inita prodiderat, paucis post annis sese sclopeto interemit ipse. Sed restant plura. Succedunt pulchræ dapes haud viliores, scilicet Numisma rarum, re- 249.
ferens concubinam septimam *Caroli II*, Regis Britanniæ, LV- TAB. I
CIAM DVCISSAM PORTHSMOVTHENSEM; Uncialis ra- Fig. 5.
rus *Joannis Alberti II*, Ducis Meclenburgici Gustroviensis, ad A. 1622; Ducatus haud vulgaris Pomeranicus Reginæ Sueco- Pag. 257.
rum, *Christinæ*, ad A. 1641; Thalerus perpulcher *Antonii Joan-* 265.
*nis* Comitis *de Nostitz & Rineck* ad A. 1719; Uncialis alius urbis imperialis Francofurti ad Mœnum A. 1625, quæ jam ante *Carolingicam* ætatem urbs exstitit. Promittit Autor, sese editurum esse scriptum *de Capellis regiis in regno Germaniæ, eo-* 275.
*rumque privilegiis & prærogativis.* Rex *Pipinus* A. 742 capellam S. Salvatoris fundavit, fundamentum urbis Francofurti & originem, quam A. 1239 cognomen S. *Bartholomæi* obtinuisse, non est incognitum. Nec omittendum ducimus, 277.

*Jo. Petro de Ludewig* instillari acerbiora monita, ac primum Tha-
Pag. 279. lerum Francofurtensem A. 1571 demum fuisse cusum. Quibus interjectis, progredimur ad commemorandos, qui supersunt, Numos. Repræsentatur Numus mnemonicus urbis Gedani, in-
281. dex castelli Haupt, a Suecis in Nehrung exstructi, sed A. 1659
TAB. I a Dantiscanis expugnati; Numus rarissimus mnemonicus Polo-
Fig. 6. nicus, denotans urbem Smolenskiam, A. 1611 expugnatam; Nu-
Pag. 297. misma, referens tertiam *Ludovici XIV* concubinam, *Mariam de Scoraille*, Ducissam *de Fontange*, ad A. 1681, quo obiit 28
305. Junii; Thalerus Dantiscanus, in memoriam obsidionis, a *Stephano*, Rege Poloniarum, intentatæ, sed toleratæ; rarus Numus
TAB. I aureus *Caroli VIII*, Regis Galliarum, expugnato regno Nea-
Fig. 7. politano illustrati, ad A. 1495; alius ejusdem generis, quem *Henricus VI*, Rex Angliæ, A. 1423 Parisiis percutiendum curavit, vocatus tunc *Salut*, cujus perigraphe in antica
Pag. 321. est hæc: HENRICVS. DEI. GRAtia. FRANCORum. Item ANGLIE. REX; in postica: XPS. VINCIT. XPS. REGNAT. XPS. IMPERAT. atque adjecta salutatione angelica AVE MARIA in antica, quæ numo nomen *Salut* conciliavit. Ac-
326 seq. cedit Autoris Commentatiuncula de *Rosenobilibus* Angliæ. Antiquissimum de eis numis testimonium invenit in *Chronica Knightoni de Eventibus Angliæ* ad A. 1344, ita expressum: *Eodem tempore* Nobile, & *Obolus, & Ferthing de auro cœperunt florere in regno.* Ostendant, quæsumus, qui valent, unde *Nobile* vocetur hoc numorum genus, & qua origine gaudeat. A rosa deinceps, hic vel illic eis impressa, seu incusa, vocati sunt hi numi *rosænobiles* & *Rosati*, quorum nonnulli in Belgio etiam fuerunt percussi. Convertimus nos porro ad rarum solidum Ducis Silesiorum, *Boleslai Alti*, ad A. 1201; ad Uncialem *Ludovici Christiani*, Comitis *in Sayn, Witgenstein, & Honstein*, ad A. 1667; ad Numum mnemonicum *Alexandri* & *Christophori*, Burggraviorum & Comitum *de Dohna*, indicem obtenti dominii Wartenbergæ in Silesia, ad A. 1719; ad Numum, qui faciem Jesu, sinistrorsum conversam, & adjectas literas א ישו conspiciendas præbet in antica, siquidem nil nisi hæc in postica exhibentur: משיח מלך בא בשלום ואר מארם עשוי חי, quæ

quæ indubie ita ſunt interpretanda: *Chriſtus Rex venit in pace, & fulſit,* ſeu *eluxit, ex homine factus vivus.* Illæ voces א׳ ישו denotant ſuſpirium: *Domine Jeſu*, poſitæ loco ארון ישוע. Egregius eſt Viri eruditiſſimi, quisquis ille fuerit, illuſtrando huic Numo adjectus, Commentarius. Abeſt a capite Jeſu nimbus, & voci Jeſu deeſt litera ע, quæ duo momenta nonnullis tanti fuere viſa, ut numum exiſtimarent a Judæo cavillatore excogitatum. Sed Vir eruditiſſimus hæc diluit, oſtendens, Seculo XVI ineunte Numos ejusmodi jam in Italia innotuiſſe, ſuſpicatus adhæc, *Joannem Picum*, Principem Mirandulanum, extitiſſe autorem. Ceterum egit de Numis Jeſu Chriſti præter alios *Joannes Reiskius* in libro *de Jeſu Chriſti imaginibus*. Juvat nunc inſpicere rarum Thalerum *Ennonis III*, Comitis Friſiæ Orientalis, ad A. 1614, quem Autoris deſcriptio hiſtorica de fatis & dominatu Friſiæ comitatur, obitu *Ennonis* finita; Uncialem *Ludovici XIV*, Regis Galliarum, cui titulus & inſignia *Ducis Bearniæ* inſerta, licet ad *Henricum IV* uſque Reges Galliarum contenti fuerint titulo *Regis Francorum*, & *Henricus IV* ſeſe *Regem Galliæ & Navarræ* duntaxat vocaverit; *Joannis Reinhardi I*, Comitis Hanovienſis ex linea *Lichtenbergica*, Uncialem, ad A. 1624, cui ſubjicitur de origine Comitum Hanoviæ brevis commemoratio; rarum Florenum aureum *Diterici*, Pincernæ & Domini Erpacenſis, Archiepiſcopi & Electoris Moguntini, ad A. 1438; Numum ſepulchralem *Friderici III* ad A. 1513; Thalerum ſepulchralem *Eliſabethæ Mariæ*, nuptæ Duci Würtembergico, ultimæ hæredis ex ſtirpe Podiebradienſi in Monaſteriobergæ Ducatu, ad A. 1686; Numum mnemonicum, indicem translatæ a *Clemente V* Papa A. 1305 ſedis in Galliam; Thalerum Pomeranicum *Chriſtinæ*, Suecorum Reginæ, ad A. 1641; Numiſma index *Winterbachicarum* jubilearum nuptiarum; Ducatum gemini pretii pulchrum & rarum *Henrici IV*, Regis Galliarum, & Ducatum, ad A. 1733 cuſum, adhuc incognitæ expoſitionis crucem figentem. In fine Supplementorum quæſtio illa varie ventilatur, an matrimonium, Electorem, ſeu etiam Principem, inter & filiam immediate nobilis viri, ſeu Baronis, citra reſtrictionem morganaticam initum, ſit inæquale, an

[Margin notes: Pag. 354 ſeq. — 361. TAB. I Fig. 8. — Pag. 417. — 433.]

 æquale.

æquale. Jure succeſſionis ac reliquæ poteſtatis id æquale eſſe credimus, ratione nativitatis, juris cerimonialis, & dignitatis, disparis illis, pro inæquali habentes, niſi alicubi obſtent pacta familiarum ſucceſſoria. Agmen claudunt monita nonnulla numismatica *Ridderi*, Commiſſarii Brunſuicenſis, ac Index accuratiſſime elaboratus.

Kurtzgefaßte Mißionsgeſchichte, ꝛc.
hoc eſt,

*SUCCINCTA HISTORIA MISSIONIS, SIve memorabilis relatio laborum, recentioribus temporibus adhibitorum, gentes ad fidem Chriſtianam perducendi, ex propriis ſcriptis doctorum hujus Miſſionis, in ædificationem eccleſiæ Jeſu, in lucem emiſſa a FRIDERICO SAMUELE BOCK, Theologiæ cultore.*

Regiomonti, typis & ſumtibus Joannis Henrici Hartungii, 1743, 8.
Alph. 1 plag. $\frac{1}{2}$.

Quod in votis eſt Deum ſincero animi cultu reverentibus, ut plures miti jugo Chriſti colla ſubdant, ejusdemque præceptis compoſito obſequio morem gerant; id ipſum gaudio eſſe debet eisdem, ubi experimento cognoſcunt, doctrinam ſalutarem inter gentes barbaras læta capere incrementa, easdemque ita occupare, ut, feritate poſita, manſueſcant, fidem, virtutem, ac pietatem, induant. Gentium profanarum converſio ad gratias Deo agendas exſtimulare debet omnes, qui gloriam domini ſui ſerio promotam cupiunt, Chriſtianis in fidei exercitio torpidis pudorem incutere, ipſosque illos ad imitationem incendere, poteſt. Hunc ſcopum ſibi præfixum habuit Doctiſſ. Autor, quem quo conſequeretur, notabilia converſionis exempla ex plenioribus ſcriptis excerpſit, totamque tractationem ſuam ita concinnavit, ut, ſive quis res, ſive ſtilum, ſpectet, non ſine fructu ac voluptate legi poſſit. Tota illa in *decem* diviſa eſt *Capita*. *Cap. I* agit *de paganiſmo in genere.* Notat

Notat innumerabilem fere paganorum adhuc superstitum multitudinem, investigat primas cultus profani origines, ac infanda sacra, quibus adhuc passim dediti sunt, describit. *Cap. II* Pag. 1-
commentatur *de viis, quibus Ecclesia Pontificia ad gentium con-* 30.
*versionem utitur.* Hunc in finem instituta *Congregatio de propaganda fide*, auspice *Clemente VIII* in meliorem formam redacta ab *Innocentio XII.* *Franciscus Xaverius* A. 1549, 15 Aug. in regnum Japanense appellebat, in illoque Christianam religionem mira celeritate propagabat, quæ vero circa A. 1637 rursus fere est suppressa. Socii Jesu, qui in Chinam mittebantur, disciplinarum mathematicarum scientia se optimatibus, imo ipsius Imperatori, adeo commendabant, ut is non solum libertatem, religionem Christianam docendi, concederet, liberum religionis exercitium A. 1692 ipsis indulgeret, verum etiam subditis suis, Christiana sacra amplectendi, veniam concederet. Sed vero hæc fortuna non diuturna fuit, quippe tandem præcones illi regno sunt ejecti, ac recens conversi carceribus atque cruciatibus ad defectionem sunt adacti. In *Africa* etiam, speciatim *Æthiopia*, miris gavisi sunt progressibus, sed intolerabilis Lojolitarum superbia, dominandi libido, ac crudelitas, res illorum præcipites dederunt. In *America* multos populos non tam efficaci convictione, quam vi, ad Christianam religionem traxerant, adeo, ut Hispani 5 Archiepiscopatus & 44 Episcopatus, imo seminaria, passim constituerint, ac Inquisitionem Hispanicam introduxerint. In *nova Francia* pariter Clerus Pontificius multos partibus suis adjunxit. Notandum tamen, ipsos numerum recens Christianorum sacris initiatorum majorem, quam quidem re vera est, facere, etsi satis utique sit magnus. Huc facit multitudo doctorum, 30-52.
quibus societas Pontificiorum abundat, & stipendia lauta, quibus fruuntur; præterea monachi peregrinationibus ac aliis incommodis sunt assueti, horum vitæ ratio proxime accedit ad illam, quæ sacerdotibus profanorum Deorum est propria, accommodant sese institutis gentilium, vel ritus idololatricos permittunt, cultus illorum externus similitudinis multum habet cum illo paganorum, multa eorum dogmata facilius ab gentilibus admittuntur, nec tam soliciti sunt de eo, ut veros Christi imitatores forment,

ment, quam ut numerum augeant, vi externa ad amplificandum cœtum suum utuntur, magnificentia, in sensus incurrente, simplices alliciunt. Sunt tamen his offendiculo lites monachorum, v. c. Franciscanorum & Dominicanorum, vita im-
Pag. 52-82. proba illorum, qui docendi munere funguntur. *Caput III* est *de studiis Evangelicorum, convertendi gentiles in genere, & societatibus, eum in finem erectis.* Præmissis paucis de obligatione, cuivis sincero Christiano incumbente, ut & illi, qui adhuc a luce veritatis sunt alieni, eam videant, memorat, *Ernestum Pium*, Ducem Gothanum inclutum, has curas cum animo suo volvisse. Apud Imperatorem Russiæ intercessione sua obtinuit, ut Evangelico-Lutheranis exercitium religionis indulgeretur, cum Patriarcha Alexandrino commercium literarium instituit, in aula sua aluit *Abbam Gregorium*, Abyssinum, cujus ope amicitiam cum Abyssinorum Monarcha stabilire annitebatur. Idem saxum volvit *Justinianus Ernestus* L. B. *de Weltz*, qui A. 1664 ea de re supplices literas ad proceres Protestantes, Ratisbonæ congregatos, direxit, haud exiguam etiam pecuniæ vim ad eam exequendam ultro obtulit; sed tantum abfuit, ut voti damnaretur, ut a nonnullis, a quibus id minime decebat,
83-93. tanquam fanaticus derideretur. Britanni hunc in finem A. 1699 societatem *de promovenda cognitione Christi* stabiliverunt, quæ potissimum Scotos montanos respicit. Successit alia *de propaganda fide*, in regionibus in America sitis fundata *Carolo II* regnante, in meliorem ordinem jussu *Wilhelmi* Regis reducta A. 1701. Istiusmodi societas etiam in Dania A. 1714 publica Regis autoritate coiit. Germani optimos non solum ac dexterrimos doctores subministrarunt, verum etiam operi adeo lau-
93-101. dabili sua beneficentia suppetias tulerunt. *Cap. IV* percenset *legationes Danorum in terras gentilium. Fridericus IV*, Rex Daniæ, firmiter apud animum suum constituerat, conversionem gentium urgere. Communicato igitur consilio cum duumviris, de emendando ac proferendo Christianismo optime meritis, *Lutkenio* ac *Franckio*, A. 1705 *Barthol. Ziegenbalgius* & *Henr. Plütschau*, homines ad id negotium aptissimi, ablegantur; qui, ubi A. 1706, mense Julio, Trangebariam advecti sunt, linguasque

Lusita-

Lusitanicam & Malabaricam sibi familiares reddiderunt, omnem operam suam in erudiendis ac convincendis cœcis gentilibus posuerunt. Illorum laborem propitium Numen tanto favore est prosecutum, ut, non obstantibus variis obstaculis, multos ex gentibus Christo, regi ac domino suo, subjecerint, & A. 1707 ædem sacram in usum nuper conversorum moliri necesse haberent. Quid horum, itemque succedentium, doctorum, *Jo. Ernesti Grundleri*, *Polycarpi Jordani*, *Benj. Schultzii*, *Nicol. Dal*, *Jo. Henr. Kistenmacheri*, *Mart. Bossii*, *Christiani Friderici Pressierii*, *Christoph. Theod. Waltheri*, *Andr. Wormii*, *Sam. Richtsteig*, *Sartorii*, *Gothofr. Wilh. Obuch*, *Jo. Christiani Wiedebrock*, *Jo. Balthas. Kohlhof*, *Jo. Phil. Fabricii*, & *Jo. Zechlini*, opera Trangebariæ & aliis locis Indiæ fuerit effectum, quot homines singulis annis ecclesiæ adjunxerint, quo modo horum vita fuerit comparata, quos labores in pervicacia gentilium ac Mohammedanorum expugnanda adhibuerint, quæ mala, quot vexationes, ab ipsis Christianis, Pontificiæ societatis, illatæ, devorandæ ipsis fuerint, qua munificentia Europæorum ad publicos ministros, viduas, parentibus orbos, egenos, sustentandos, libros sacros literarum formis exscribendos, fuerint sublevati, ita enarrat, ut absque animi affectu hæc legi non possint. Ad *Gronlandos* etiam horum cura, ut cognitione veri Dei imbuerentur, est conversa. Institutum hoc tanto fervore ursit *Jo. Egede*, Pastor Danus, ut, posthabitis propriis commodis, superatisque gravissimis difficultatibus, A. 1718 Gronlandiam versus cursum suum navi dirigeret; effecit etiam, ut *Societas Gronlandica* confirmaretur. Rex ac proceres favorem suum negotio huic declarabant, sumtus haud contemnendos suppeditabant, novi doctores submittebantur, quidam etiam ex barbaris hisce hominibus potentiæ verbi divini cedebant; sed ob tardam illorum indolem, inclementem aeris intemperiem, regionem maxima ex parte sterilem, defectum necessariorum subsidiorum, ac alia incommoda, res non illum sortiebatur effectum, quem pius ille *Egede* animo ac spe præceperat. Quo igitur malis his medelam afferret, A. 1736 in Daniam rediit, ut hortando, sua-

Pag. 101-174.

 dendo,

dendo, rogando, fautores operi huic conciliaret. In insulam
etiam, a S. *Thoma* nominatam, quidam eo fine demigrarunt,
ut nomen Christi prædicarent, quos nonnulli ex *Herrnhuten-*
Pag. 174-204. *sium* cœtu sunt secuti. *Cap. V* differit de *legationibus Britan-*
*norum in Indiam Orientalem & Occidentalem.* A. 1716 in tra-
ctu *Madrasensi* scholas aperuerunt, quæ vero ob defectum ne-
cessariorum subsidiorum brevi sunt dissipatæ, restituendæ a
*Schultzio*, & *Leekio*, Pastore Anglicano, id quod factum A. 1726.
Hi conjunctis viribus regni Christi commodis invigilarunt, li-
cet Pontificii & gentiles ipsos haud raro graviter vexarint. Idem
non sine læto successu tentatum est *Kudulurii* & *Bostomii*, ubi
non longe ab adventu Anglorum *Societas de propaganda reli-*
*gione Christiana* est conflata. A. 1630 *Neo-Townii* Academia
est initiata, qualis postea sub auspiciis *Guilielmi III* A. 1692
*James-Townii* in Virginia est condita, supellex libraria coacta,
204-221. ac typographia est adornata. Ab A. 1620 multi ex Puritanis
vexationum caussa, quibus ab Episcopalibus expositi erant, in
Americam secesserunt, quos A. 1629 alii sunt secuti, quibus
non satis fuit, Deum secundum animi sui sententiam colere, ve-
rum etiam operam navarunt, ut gentes luce Evangelii illumi-
narentur, quod vel maxime ministerio *Jo. Elioti*, viri pii, est
factum. Sed horum fervor, rebus ex voto fluentibus, defer-
buit, recentioribus temporibus de novo resuscitatus, opera fi-
delium doctorum, qui assiduitate in docendo multos falso-
rum Deorum cultores erroribus suis expediverunt, illisque fi-
221-234. dem ac pietatem ingenerarunt. In *Pensylvaniam Quakeri* con-
cesserunt, a quibus tamen, quoniam opinionibus nimium sunt
divisi, ac indifferentismo latam viam sternunt, non multum bo-
næ spei apparet. Meliorem spem concipere licet a *Salisburgen-*
*sibus*, quibus in *Carolina* locus concessus, modo in pristino suo
fervore ac religionis amore pergant. A. 1736 *Jo. Wesley* &
*Benj. Ingham* in has terras, ut semen verbi divini spargerent, se
234-242. contulerunt. *Cap. VI de studio Batavorum, gentiles ad fidem in*
*Christum permovendi*, agit. Equidem de Batavis dudum alii sunt
questi, ipsos non pro eo, ac quidem possunt, de pomœriis re-
gni

gni Christi protendendis cogitare; nihilo tamen minus hanc curam non omnino abjecerunt. In insula *Ceylon*, regno *Jafnapatnamensi*, dioecesi *Telipolitana*, insula *Columbi*, provincia *Nagapatnamensi*, *Batavia*, *Bengala*, *Surinamo*, *Guinea*, amplissimos habent coetus, ac scholas frequentissimas, plures ex gentilibus adjuncturi, nisi inopia doctorum laborarent, ac vita Christianorum flagitiosa Indos averteret. *Cap. VII* de *Succorum legationibus, speciatim in Laponiam*, exponit. Si quidem superioribus temporibus Lapponibus aliqua species Christianismi est induta, ab anno tamen 1559 demum ordinarium præconem, cui nomen *Michaeli*, sunt sortiti, sed multa adhuc deerant, antequam optatus eventus sperari poterat. Cum tempore novæ ædes sunt structæ, Academiæ conditæ, lingua illorum verbum Dei annuntiari cœptum, ex indigenis Lapponibus viri juvenes præparati, qui verbum Dei civibus suis explanare possent. A. 1738 concordibus procerum suffragiis est decretum, ut *Societas de propagando Evangelio* negotium conversionis Lapponum in se susciperet, ex ejusdemque autoritate juvenes necessariis linguis ac doctrinis instituerentur. *Cap. VIII* describit *legationes Russorum ad Osniakos*. A. 1712 Archiepiscopus Toboskiensis, *Simonachus Philothæus*, comitatus nonnullis Clericis, in horum terram iter suum dirigebat, rudibus hominibus verbum Dei vivi prædicabat, ipsos de falsitate cultus fictorum Deorum arguebat, eosdemque ita commovebat, ut simulacrorum suorum aliqua igne comburerent, aliquot millia sacris aquis adspergerentur, ac multæ ædes sacræ construerentur. Aliquid etiam ad hanc rem feliciter prosequendam contulerunt Sueci, A. 1709 capti, in Siberiam relegati. *Cap. IX* enarrat *impedimenta Christianæ, speciatim Evangelicorum, missionis inter gentiles*. Sunt illa tum respectu ipsorum gentilium convertendorum, tum respectu missionis, varia. A parte gentilium 1) nimia autoritas Bramanum, quibus servilem in modum adblandiuntur; 2) supina securitas in rebus æternam animæ salutem spectantibus: autumant quippe, ipsum Deum religionum varietate delectari; unde in illis exoritur ignavia, seque beatos reputant, ubi

Pag. 242-257. 257-270. 270-281.

ubi in religione patria perseverare possunt; 3) egestas extrema ipsos ita premit, ut de salute sua serio cogitare non possint; 4) Christiana religio omnibus illecebris carnis, quibus pagana habenas laxat, nuntium mittere jubet; 5) vexationes, quas in Christianorum societatem transeuntes a parentibus, consanguineis, amicis, ac magistratibus, perpeti debent; 6) diversitas ordinum ac generum in vita civili, in quorum infimum ac contemtissimum gradum conjiciuntur, qui ex suis Christo
Pag. 281-299. sacramentum dicunt. A parte Christianorum 1) vita plurimorum sceleribus inquinata; 2) dissidia, quæ Christianos in partes scindunt; 3) injusta mancipiorum negotiatio, quæ pecorum instar venduntur, & durissimorum herorum sæva imperia sustinere coguntur; 4) impotentia Christianorum, speciatim V. D. M. recens conversos ab injuriis, egestate, ac hostium violentia, vindicandi, paucitas item doctorum Evangelii, qui tanto operi non sufficiunt; 5) denique id nonnullis ex paganis offendiculo fuit, quod verbi divini ministri actus sacros pecunia redimi postularint, quod tamen non a Trangebarensibus,
299-313. sed Lapponibus, exactum fuisse notat. Cum igitur conversio gentilium adhuc non adeo feliciter processerit, tot obstacula progressui doctrinæ cœlesti fuerint objecta, colligit, vi promissionum divinarum universalem gentium conversionem exspectandam esse, cum illæ pro divina veracitate falli nequeant. Quæ ut felicioribus utatur successibus, futurum, ut Deus servos suos omnis generis donis exornet, forte etiam gratia patrandi miracula instruat, ac facultatem peregrinas loquendi linguas infundat, reditura etiam, quod conjectat, nonnulla miracula gratiæ, in subitanea ac stupenda gentium conversione conspicua, quale quid ad præconium primorum Christi internun-
313-322. tiorum est secutum. *Cap. X de mediis, quibus missionis opus inter gentiles promoveri queat*, differit. Huc refert 1) seminaria instituenda, in quibus futuri doctores necessariis doctrinis innutriantur, maxime pietas, non externo colore fucata, illis inculcetur; 2) in deligendis illis, qui tam gravi muneri destinandi, prudentia adhibenda, ut anteferantur illi, qui alios alacritate,

critate, ſingulari ingenii ac judicii vi, robore itemque corporis, antecedant. Subjungit alia monita, quibus præ aliis rebus iſtiusmodi doctores erudiendi, quibusque aſſueſcendi ante, quam terras iſtas ignotas adeant, quæ omnia teſtimonio *Wilhelmi Stevenſonii*, Paſtoris Anglicani in America, comprobat. Index rerum, memorabilium maxime, Opus claudit. Totum illud ita eſt comparatum, ut lectorem temporis, in legendo impenſi, non facile pœnitere poſſit. Potentia Dei, hominum animos, erroribus irretitorum, ſubigentis, vis verbi divini, mallei inſtar dura hominum pectora tundentis ac emollientis, manifeſto hinc elucet, & ex lætis iſtis initiis ſpem certam ac fiduciam concipere licet, fore, ut ſuo tempore uberrima meſſis ſequatur.

## *VITÆ CLARISSIMORUM HISTORICOrum, Pomponii Læti, Philippi Callimachi, Joannis Aventini, Joannis Cuſpiniani, Beati Rhenani, Bilibaldi Pirckheimeri, ex Bibliotheca & recenſione CHRIST. GOTTLIEB BUDERI.*

Jenæ, apud Jo. Chriſtoph. Crœkerum, 1740, 8.
Plag. 16.

Haudquaquam contemnendæ ſunt, quas libellus iſte continet, vitarum deſcriptiones, ſed multa potius gratia Celeberrimo ab Editore accipiendæ. Non deſcribunt ſolum, ſed & autores agnoſcunt, viros clariſſimos. *Pomponii Læti* vitam conſignavit *M. Antonius Sabellicus*, *Jo. Aventini Boii* alteram *Hieronymus Zieglerus*, alteram *G. H. A.*, *Beati Rhenani Joannes Sturmius*, *Jo Cuſpiniani Nic. Gerbelius*, *Bilibaldi Pirckeimeri Conradus Rittershuſius*, & *Philippi Callimachi*, ut videtur, *Jo. Mich. Brutus*. Primus, quorum vitæ deſcribuntur, Hiſtoricorum in Calabris ortus ſplendida ſtirpe, ſed illegitimo toro, facie fuit parum liberali, brevi ſtatura, colore ſubaquilo, capillo leniter inflexo, minutis oculis, ac ſub fronte penitus repoſtis, ſed qui in viſu gratiam aliquam mererentur. Multo autem majoris pretii fuit

animi conditio, quam victus parcus ac tenuis, & a vino & conviviis abstinentia, juvabant, fataque ac pericula probabant. Incidebat e. g. in suspicionem, quasi cum *Callimacho*, *Platina*, & aliis, in *Paulum* Pontificem conjurasset. Sed de custodia mox eductus, in Romano Gymnasio magno omnium favore collocabatur, principemque locum ab initio adeptus, duo ferme de triginta annos tutabatur. Nulli maledixit aut detraxit unquam, ac ne pati quidem potuit, apud se alienam dignitatem lacerari. In Antistites nihilo minus mordacem se præbuit, religionemque contemsisse videtur, quod tamen vitium senex deposuit. Præterea perquam diligentem se præbebat, juventutisque Romanæ adamantem. Linguam habebat titubantem, sermonem autem comtum, id quod ex lucubrationibus ipsius patet, quarum vero, quod dolemus, non exigua pars interiit. *Jo. Aventinus*, notante *Zieglero*, A. 1466 natus est Abusinæ, quod oppidum superioris Bojariæ *Abensperg* dicitur civibus. Patrem habuit *Joannem Thurmair*. Ipse autem sibi nomen a patria indidit, quod in vetustissimis literis *Aventinum* vocatur. Studiis præsertim operam navavit Lutetiæ Parisiorum, ubi & septem artium Magister creatus fuit. Docendi Eloquentiam & Poesin initia fecit Viennæ. Hinc Ratisbonam petiit, atque iterum Viennam redux factus, anno septimo Cracoviam profectus est, ibique Grammaticam Græcam publice prælegit. In patriam revocatus, *Ciceronis* Rhetorica scripta Ingolstadii prælegit. Inde Monaci Principum *Ludovici* atque *Ernesti* præceptor constituebatur, quorum cum posteriore Italiam quoque visitabat. Uxorem demum duxit anno ætatis 64, cumque jam aliquandiu in matrimonio fuisset, a *Leonardo ab Eck* Ingolstadium ad filium *Osualdum*, cui etiam hæc Vita dedicata est, erudiendum invitabatur. Ceterum præter historicam facultatem & eloquentiam in lyricis versibus scribendis admodum felix, & *Horatii* imitator egregius, habebatur. Altera vero illius vita, præter indicem scriptorum ejus satis copiosum, non habet nulla, quæ supplementi loco adjici utique merebantur. Nos autem indidem non nisi libera satis judicia de *Albino*, *Peccensteinio*, *Brotuffio*,

*tuſſio*, atque *Fabricio*, Hiſtoricis Saxonicis, excerpemus. Horum primus, ex noſtri opinione, diligentia & rerum metallicarum cognitione magnopere commendandus, hiſtoriam antiquorum Saxonum non adeo excoluit, contentus, a patribus acceptas fabulas poſteritati transmiſiſſe. Alter eodem in luto hæſitavit, & gravius ſæpe *Albino* eſt lapſus. Tertius omnem in inquirendis Germanorum monumentis adhibuit operam, & exinde ſua confecit, verum Latinarum literarum valde imperitus, complura falſo interpretatus eſt. Quod ad ultimum attinet, præſtabat doctrina, ſed, quod in ſchola plurimam vitæ partem conſumſerat, impar operi huic fuiſſe omnino creditur. Quæ quidem non eo ſe animo protuliſſe confirmat Autor, ut laceſſeret viros de Saxonum gente egregie meritos, ſed ut appareret, quam difficile eſſet, hiſtoriam, ex certis monumentis collectam, deſcribere, & ad nepotes ſine macula transferre. Nos autem properamus ad eleganter conſignatam vitam *Beati Rhenani*, ubi quidem epitaphium, quod Seleſtadii in ſummo templo viſitur, animadverſione potiſſimum dignum videtur. Sic autem habet: *Beato Rhenano, Antonii ex veteri Bildiorum familia F. cujus excellens in omni genere doctrina, humanitas, frugalitas, pudicitia, celebris erit, donec rerum hæc univerſitas conſtabit. Studium antiquitatis declarant aliquot Latini ſcriptores ſacri profanique, ab eo purgati, ac prope integri reſtituti; item Germania, quam omnem tam veterem, quam novam, tribus libris mira diligentia illuſtravit; viro magno immortalique memoria digno*, Rudolphus Bertius *hoc pietatis monumentum poſuit. Obiit Argentorati XIII Kal. Jun. ætatis ſuæ anno LXII a Chriſto nato MDXLII. Inde elatus heic jacet, ne optimi & doctiſſimi civis reliquiis careret patria, quam vivus tot egregiis monumentis exornavit. Jo. Cuſpinianus* Sueinfordenſis erat. Erudiebatur Viennæ a *Conr. Celte* atque aliis, & cum Poeſi ac Philoſophia ſalutarem artem conjunxerat. *Maximilianus* eum in ſenatum ſuum adſcivit, atque in Hungariam, Boemiam, Poloniam, oratorem miſit. Unde etiam, cum propter Domini clementiam omnia illi tabularia publica & *ἀρχεῖα* paterent,

ferent, ad ſcribendas ſeſe hiſtorias tanto applicare potuit felicius. Eminent autem inter libros, ab eo conſcriptos, de Conſulibus Romanorum Commentarii; de Cæſaribus atque Imperatoribus Romanis liber; Auſtria, cum omnibus ejusdem Marchionibus, Ducibus, Archiducibus, ac rebus præclare ad ea uſque tempora geſtis; ac denique Diarium de congreſſu Cæſaris *Maximiliani* Auguſti, & trium Regum Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ, *Vladislai*, *Ludovici*, ac *Sigismundi*, in urbe Viennenſi. *Pirckheimeri* vita omnium fuſiſſima eſt & copioſiſſima, ita, ut ceteræ conjunctim hujus unius ſpatium neutiquam attingant. Miſcentur vero nonnulla, ad inſtitutum proxime haud facientia, neque tamen lectoribus injucunda, e. g. quæ de familiæ illius eruditis etiam fœminis, de militia Noricorum, de nuptiis ſecundis, de gente *Imhofiana*, de calamitatibus bellorum, de *Alberto Dürero*, de *Maximiliano* Imperatore, atque virtutibus illius, de *Jo. Pico Mirandulano*, de vocabulo Profeſſoris, de ebrietate, atque ita porro, commemorantur. Sub finem nominatim varia carmina, eademque potiorem partem ſelectiſſima, adjunguntur. Quæ cum in ipſo libro legi mereantur, nos ſaltem de *Phil. Callimacho* nonnihil addemus. Ortus ille dicitur Sangeminiano, nobili Etruſcorum oppido, unde *Florentinus* a nonnullis dicebatur. Romæ ſtudiis operam navavit *Pio II* Pontifice, huic ipſi percarus. Sed a *Paulo* ſucceſſore conjurationis accuſabatur, cum aliis doctiſſimis tunc Italiæ viris; atque ideo ad *Caſimirum*, Poloniarum Regem, confugiebat, regiisque filiis adjungebatur magiſter. Cum autem in familiaritatem *Joannis Alberti* ſeſe inſinuaſſet, plurimum apud eum gratia & conſilio valuit, uſque adeo, ut, cum ille Rex factus eſſet, *Callimachi* arbitratu magiſtratus ac honores diſpenſarentur, & res pleræque omnes publicæ ac privatæ Regis gererentur; quæ res inſignem noſtro invidiam conflavit. Conditus demum eſt Cracoviæ in Trinitatis æde, æreo ſepulcro, quod virtutis, ingenii, eruditionis, ergo Rex conſtruendum, atque honorifico carmine decorandum, curarat. Cetera, quæ ad doctrinam & merita hujus viri pertinent, cuique Lectorum ex ipſo libro jucunde cognoſcenda relinquimus.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Aprilis Anno MDCCXLIV.*

---

## *JOANNIS BERNOULLII, M. D. MATHESEOS Professoris, Regiarum Societatum, Parisiensis, Londinensis, Petropolitanæ, Berolinensis, Socii, &c. Opera omnia, tam antea sparsim edita, quam hactenus inedita.*

## *Tomi IV.*

Lausannæ & Genevæ, sumtibus Marci Michaelis Bousquet & Sociorum, 1742, 4 maj.

Tom. I Alph. 3 plag. 1, Tom. II Alph. 3 plag. 9, Tom. III Alph. 3 plag. 2, Tom. IV Alph. 3 plag. 11.

Tabulæ æneæ in universum sunt 91.

Non potest non gratissima omnibus esse, qui solidioris scientiæ decus ac incrementum amant, Operum *Bernoullianorum*, quam manibus nunc versamus, Collectio. Quæ enim sint Viri, immortalis inter eruditos famæ, *Joannis Bernoullii*, in rem literariam, præcipue mathematicam, merita, a longissimo jam tempore ab acutissimis judicibus publice agnitum, tantaque in luce positum est, ut, *Bernoullium* qui ignorat, ipsum Geometriæ nomen dicendus sit ignorare. Longiori itaque præfamine, quo in laudes Operis hujus exeundum, idque impensius commendandum Lectoribus nostris esset, ipsum Autoris nomen, eidem præfixum, nos abstinere jubet. Quis, quæsumus, est, quem fugiat, in scriptis Viri acutissimi semina, quin imo messem plenissimam, Geometriæ recondi-

tioris contineri? Quis nescit, quæ ad perpoliendas & amplificandas methodos infinitesimales inventa sunt, maximam partem eidem *Bernoullio* deberi? Quemnam easdem methodos ad solutionem Problematum difficillimorum applicasse sagacius, feliciusque, constat? Quid vero multis? Sciant, persuadeantque sibi, quicunque ad interiores scientiæ recessus pervestigandos animum applicant, diurna sibi nocturnaque versandum manu thesaurum hunc Operum *Bernoullianorum* esse, si ad immortalitatem eniti, atque supra vulgus Mathematicorum sapere, gestiant. Sed, quibus constitutum erat nihil præfari, in laudes, ecce, *Bernoullii* imprudentes rapimur. Veniam vero nobis daturum facile speramus Virum, cujus virtutes longe præstantissimas nos certe, si quisquam alius, impense & insigni studio veneramur.

Jam vero ad ipsam Operis rationem generatim ante oculos Lectorum ponendam accingimur. Rebus uti præstantissimis abundat; ita quoque, si habitum ejusdem externum spectes, pulchrum, nitidum, quin splendidum, est. Potentissimo Borussiæ Regi, qui *Bernoullium* una cum Filiis doctissimis ad se vocaverat, formula dedicatoria, eademque venustissime concepta, inscribitur, cujus etiam icone superbit. Nec minus Autoris imagine ipsa Operis frons conspicua est. Noli autem existimare, ipsum *Bernoullium*, qui summam cum eruditione modestiam conjungere solet, primum de scriptis suis in unum, idque molis haud exiguæ, opus compingendis cogitasse, aut curam eorum edendorum in se suscepisse. Multis bibliopolæ, aliorumque, qui id rei mathematicæ interesse putabant, precibus tandem fatigatus, nihil amplius, quam scriptorum, tam editorum, quam ἀνεκδότων, e scriniis suis colligendorum, typisque excudendorum, facultatem ægre concessit. Quamobrem nec eo potuit adduci, toti Operi ut Præfationem ipse præfigeret. Igitur tot scriptorum colligendorum, disponendorum, præfandique, munus in se recepit doctissimus quidam apud Genevenses Professor, quem, licet nomen suum reticuerit, Cl. *Cramerum* tamen esse, vix dubitamus. Is operis typographicis invigilavit, utque Opus emendate prodiret, quanta per absentiam

tiam licebat, diligentia contendit. Maculas non paucas, quibus priores scriptorum editiones scatebant, sustulit, Indicemque tam Opusculorum singulorum, quam rerum notatu digniorum, adjici curavit; paucis, de toto hoc Opere optime prorsus meruit. Primum itaque scripta Viri summi, jam ante edita, conquirenda erant; quam quidem rem aliquid laboris & diligentiæ poposcisse, facile intelliget, qui cogitaverit, quam dispersa omnia, inque variis eruditorum diariis disseminata, fuerint. Opusculis *Bernoullianis* præcipue *Acta* nostra, & Commentarii Academiæ Scientiarum Parisiensis, fulgent; ceteris Ephemerides Eruditorum Parisienses (*Journal des Savans*), Miscellanea Berolinensia, & Commentarii Acad. Scient. Petropol. ornantur; alia aliunde desumta sunt, quod uniuscujusque Dissertationis inscriptio, margini affixa, docet. Cumque *Bernoullius*, utramque linguam doctus, alia Latine, alia Gallice, scripserit, atque editoribus operum in more positum sit, ut, quæ diverso exarata sunt, in unum aliquod idemque idioma curent transfundi; re tamen pensitata, satius visum fuit, scripta Viri *insignis*, ut sunt, relinquere, quam versiones, cum ipsius mente minus forsan congruentes, lectoribus obtrudere. Porro, ut magis inter se cohærerent opera, & vinculo quodam copularentur, adeoque plenius intelligi possent, aliorum quoque Virorum Schediasmata, prout exigebat materiarum affinitas, suo quodvis loco, inserta fuerunt. *Bernoullium* enim insigne cum Mathematicis Europæ celeberrimis commercium literarium coluisse, ipsique non paucas etiam controversias cum fratre, *Jac. Bernoullio*, cum *Fatio*, *Tayloro*, *Pembertono*, aliisque, intercessisse, vel ex *Actis* nostris, nemo est, qui nesciat. Ad quæ penitus percipienda cum, quid in utramque partem dictum fuerit, inspicere, plane necessarium sit; non possumus non vehementer comprobare consilium, *Bernoullianis* quædam doctorum opuscula intexendi, e libris aliis, qui non in omnium manibus versantur, petenda, sine quibus tamen nec ipse *Bernoullius* perfecte intelligi posset. Quæ vero longiora videbantur, præcisa ac decurtata, vel plane rejecta, omniaque a *Bernoullianis* minutiore typorum forma distincta sunt. Jam nihil

 amplius

amplius est, quod generatim moneamus, nisi *Tomum* Collectionis *primum* complecti Opuscula, quæ prodiere ab A. 1690 usque ad 1713; *secundum*, quæ ab A. 1714 usque ad 1726; *tertium*, quæ ab A. 1727 ad hunc usque diem, lucem viderunt; ad ejusque calcem adjici Lectiones in Calculum integralem, huc usque ineditas; *quartum* denique ἀνεκδότοις totum refertum esse. Cum vero de iis, quæ orbi erudito dudum innotuerunt, copiosius dicere, merito supersedeamus; ad perlustrandas Lectiones mathematicas de Calculo integrali aliisque, bonæ frugis plenissimas, continuo provehimur; quarum apographa licet Geometrarum aliqui habuerint, ipsæ tamen in hunc usque diem typis evulgatæ non fuerunt. Conscripsit vero easdem *Bernoullius* in usum Ill. Marchionis *Hospitalii*, idque A. 1691 & 1692, cum Lutetiæ Parisiorum ageret. Satis ex iisdem superque perspici potest, quanta in methodis hisce abstrusioribus virtute jam tum temporis polluerit, cum paucissimi adhuc de nascente Calculo cogitarent, nedum ad eum perficiendum ingenii nervos intenderent. Quæ enim ab inclyto *Newtono* inventa fuere, admiratione utique digna, publici tamen juris nondum erant. Quas autem in Calculum differentialem lectiones eodem fine, & eosdem ad usus, concinnaverat *Bernoullius*, supprimendas hic duxit; cum omnia in suam infinite parvorum Analysin, quæ omnium nunc manibus teritur, ipse *Hospitalius* transtulerit. Sunt autem Lectiones numero LVIII. In prima principia Calculi integralis explicantur, & casus quidam præcipui, in sumendis integralibus obvii, adducuntur, &, qua ratione formulis differentialibus, quæ prima fronte integrationem respuere videntur, integrabilitas debita quadam præparatione, & præsertim Analysi *Diophantea* in auxilium vocata, conciliari possit, exemplis ostenditur. Quo facto, mox ad applicationem acceditur, & Lectionibus II — V Quadraturæ diversorum spatiorum curvilineorum exhibentur, non temere, sed cum quodam delectu, propositæ, ut in quolibet fere exemplo artificium quoddam calculi peculiare eluceat. Quibus ita expeditis, monstrat Cel. Autor, qua ratione inveniendæ sint Curvæ, quæ unicam solum Aream Geometrice quadrabilem habeant, reliquis omnibus per quadra-

quadraturam Circuli, vel hyperbolæ, vel etiam, si volueris, Curvæ cujuscunque, datis. Cum enim *Tschirnhusius* noster olim in *Actis A. 1687 pag. 526* dixisset, si qua methodo Curvæ alicujus, quadraturam geometricam indefinitam haud admittentis, unicum spatium absolute quadrabile detegi possit, non solum hoc unicum, sed eo ipso infinita alia, quadraturæ geometricæ capacia, dari; Noster contra perspicue ostendit, quomodo per summam vel differentiam spatiorum circularium, vel hyperbolicorum, construi possint Curvæ, quarum quadratura cum generaliter a Tetragonismo circuli, vel hyperbolæ, pendeat, unico tamen casu geometrice exhiberi possit, summa nempe vel differentia spatiorum circularium, vel hyperbolicorum, in figuram rectilineam mutata. Quod interim cum restrictione intelligendum est; plura enim, quin infinita, in iis Curvis dari spatia, quadraturæ capacia, sed intercepta vel intermedia, non solum non negat, sed, qua ratione, & quibus conditionibus, inveniri possint, demonstrat. Sermo autem erat non de intermediis, sed iis, quæ ab ipso Curvæ initio abscinduntur, areis. *Hisce & aliis dimissis*, Lectionibus VIII-XIV ad methodum Tangentium inversam progreditur, quæ ob insignem utilitatem, cum pari difficultate conjunctam, præcipuam quandam Artis partem constituit, & lapis quidam Lydius est, ad quem vires suas exigere & acuere ingenia possunt. Licet vero ab eo tempore, quo hæc scripta sunt, multæ & præclaræ ad hanc Methodum accessiones, idque magnam partem *Bernoullii* ipsius opera, factæ sint; multas eum tamen jam tum in promtu habuisse regulas, multa artificia, quibus scopulos evitare, vel superare, datur, Lectiones elegantissimas inspicienti obscurum esse non potest. Præter alia, exinde perspicitur, Virum præstantissimum multum jam in difficillimo & spinosissimo Problemate separationis indeterminatarum profecisse. Regulam inprimis hic videre est, ad quam ipse non modo, sed alii quoque Geometræ, sæpius provocarunt, nescimus tamen, an alibi jam ex instituto vulgatam: omnem scilicet æquationem differentialem homogeneam, hoc est, talem, in cujus singulis terminis coordinatæ $x$ & $y$ simul faciant eandem dimensionem, separari

 posse,

posse, si coordinatarum alterutra, v. g. $x$, ponatur $= u y$, adeoque $dx = u dy + y du$, hique valores in æquatione proposita substituantur. Quo quidem Canone nihil adhuc generalius ad hunc usque diem in negotio separationis est inventum. Lectiones XV & sequentes doctrinæ de Circulis osculantibus, de evolutione Curvarum, deque ejusdem usu in dimetiendis Curvarum longitudinibus, fuse & perspicue explicandæ destinantur. Cum eo loco, quo Circulus Curvam osculatur, vel, phrasi *Newtoniana*, eidem æque curvus est, tria intersectionum puncta coincidant; Noster primo loco ostendit, qua ratione methodo *Cartesiana* in inveniendo Circuli osculantis centro utendum sit, æquatione nimirum, in qua tres insunt radices æquales, in usum vocata. Quæ tamen operandi ratio cum in Curvis solum algebraicis succedat, mox centrum Circuli Osculatoris generaliter in Curvis omnibus, algebraicæ sint, vel transcendentes, ope Calculi infinitesimalis determinare, &, data Curva quavis, naturam illarum, quæ ex ejusdem evolutione generantur, definire atque exprimere, docet, quas vero algebraicas non esse, nisi ipsæ evolutæ sint tales, facile patet. Quo facto, ad Rectificationem Curvarum ope evolutionis perficiendam progreditur, quæ non solum generalis, sed in multis casibus, præsertim si æquatio ad Curvam prolixitate terminorum laboret, multo opportunior est vulgari, quæ per integrationem lateris quadrati ex quadratis elementorum coordinatarum orthogoniarum, simul sumtis, procedit, id quod aliquibus exemplis comprobat Vir acutissimus, uno præsertim curvæ alicujus æquatione sex dimensionum definitæ, quod etiam *Analysi infin. parv. pag. 136 seq. Hospitalius* inseruit. Peculiarem deinde tractationem de Cycloidibus, earum rectificatione, spatiorum dimensione, nec non evolutione, instituit, quæ licet maximam partem in dictam infinite parvorum Analysin translata sit, erunt tamen hic aliqua, quæ, cum ad illustrandam hanc rem faciant, perlegisse non pœnitebit. Quibus ita missis, a Lectione XXVI ad XXXIII plenissima de Causticis disquisitio exhibetur. Cujus quidem contenta præcipua licet rursus in dicto libro *Hospitalii*, eaque modo simpliciori demonstrata, compareant; eam

tamen

tamen integram perlustrasse, operæ pretium erit, idque tum ob methodi diversitatem, (majore enim, quam *Hospitalius*, apparatu analytico hic utitur *Bernoullius*,) quam ob peculiares quasdam observationes, ab Ill. Marchione haud adductas. Sequuntur jam Lectiones physico-mathematicæ, hoc est, tales, in quibus immensus methodi infinitesimalis usus in extricandis quæstionibus mechanicis ante oculos ponitur. Comparet itaque a Lectione XXXIII usque ad XLVII Analysis Problematum illustrium, inter summos tum temporis Geometras, perficiendarum methodorum causa, agitatorum, idque præcipue in *Actis* nostris, quorum incomparabile decus & ornamentum nunquam non *Bernoullius* erit. Sunt vero Problemata de invenienda Curva descensus æquabilis, Isochrona Paracentrica, Tavtochrona *Hugeniana*, (quam eruendi methodus quædam particularis, sed perquam concinna & facilis, datur,) de Curvatura funis vel uniformiter, vel difformiter, crassi, imo qui pondere suo extendi queat; de Curva velaria, nec non de figura lintei, a liquore stagnante pressi, item de Curvatura radii *solaris*, per medium inæqualiter densum transeuntis. Quorum Problematum, quibus pro conditione illorum temporum nihil poterat sublimius cogitari, constructiones cum *Bernoullius*, ceterorum Geometrarum morem secutus, suppressa analysi, exhibuisset, eam his in Lectionibus plene & perspicue impertit, licet ipse successu temporis adhuc in melius nonnulla, e. g. analysin Isochronæ Paracentricæ, mutaverit. Tandem, quæ sequuntur, Lectiones agunt de Quadraturis & Rectificationibus Curvarum per series infinitas, de Binomio ad potestatem indeterminatam evehendo, (quam formulam ex generali suo Theoremate de seriebus numerorum figuratorum facillime deducit Autor,) nec non de radicibus numerorum irrationalium, per series vero quam proxime inveniendis; qua occasione methodus quædam, a *Rollio* olim hanc in rem proposita, confutatur. Adjiciuntur modus, radices æquationum literalium per continuam appropinquationem inveniendi, compositio Problematum solidorum, & hyperfolidorum, per seriem effectionis infinitam, sed quæ continuo magis ad ἀκρίβειαν accedit, atque ultimo supple-

ſupplementum de Cauſticis per refractionem genitis, de quo eadem valent, quæ ſupra de Cauſticarum per reflexionem tractatione notavimus.

Sed ad *quartum* jam Operis *Tomum*, ne nimii ſimus, progredimur; qui, uti nihil niſi opuſcula huc uſque inedita continet, ita hoc majori attentione dignus eſt. Cum vero tot varii argumenti Schediaſmata temporibus diverſiſſimis, & nunquam eo animo, fuerint ſcripta, ut publicæ luci exponerentur; multis limam ſe adhibiturum, quædam vero plane ſuppreſſurum fuiſſe, *Bernoullius* in Epiſtola ad Editorem profitetur, ſi ipſe editionis curam habuiſſet; ad quam vero gerendam cum ſeſe adduci paſſus non ſit, prodeunt ἀνέκδοτα absque ulla mutatione, & prout in ſcriniis Viri eximii reperta fuere. Quantum vero iis pretium ſtatuendum ſit, ex ipſa potius eorundem lectione, quam Autoris, plus æquo opes ſuas extenuantis, modeſtia, arbitri rerum æqui intelligent. Sint quædam, (verba Præfationis quædam noſtra facimus,) ut ipſe vocat, juvenilia; at in his *Bernoullii* juventutem agnoſces; &, quæ tanquam in chartam curſim conjecta elevat, multis aliorum ſcriptis perpolitis fructuoſiora invenies. Nobis vero recenſentibus cum non liceat per ſingula ire, materiarum copia obrutis; faciamus tamen, ut potiora, & quæ legentibus ſalivam movere poſſint, delibemus, carptimque proponamus. Principio comparent varia circa ſeries, earumque ſummas inveniendas, quæ *Bernoullium* adhuc valde juvenem exaraſſe, Diſſertationes de Seriebus infinitis fratris *Jac. Bernoullii* inſpicientibus patet. Quibus præcipue accedit inveſtigatio ſummæ ſeriei quadratorum reciprocæ, $1 + \frac{1}{4} + \frac{1}{9} + \frac{1}{16} + \frac{1}{25} +$ &c. quam oſtendit Vir Cel. æqualem eſſe ſextæ parti totius circumferentiæ circularis, cujus diameter $= 1$, idque methodo non multum ab ea diverſa, qua hanc in rem Cel. *Eulerus Tom. VI Comment. Petropol.* utitur. Subjungitur adhuc ſumma ſeriei infinitæ $\frac{1}{1 \cdot 2} + \frac{2}{1 \cdot 3 \cdot 4} + \frac{2 \cdot 4}{1 \cdot 3 \cdot 5 \cdot 6} + \frac{2 \cdot 4 \cdot 6}{1 \cdot 3 \cdot 5 \cdot 7 \cdot 8} +$ &c. quæ æqualis eſt octavæ parti Quadrati ſemicircumferentiæ circuli, cujus diameter $= 1$. Quibus ſuccedunt quæſtiones quædam

dam numericæ de Maximis, Problemata quædam de arte conjectandi, nec non elegantia quædam Problemata geometrica, per Algebram soluta. Hæc excipiunt rursus varia, ad Analysin infinite parvorum spectantia, & primo quidem modus resolvendi æquationem differentialem $(ax+by)\,dx + (cx+ey)\,dy = 0$ sine prævia indeterminatarum separatione, id quod alia quadam ratione in *Commentar. Petropol. Tomo I* jam ostendit Vir ingeniosissimus. Assumit nempe hoc loco integralem æquationis propositæ $= \pi \int . \frac{(\alpha^2 y\,dx - \alpha^2 x\,dy)(\beta - \varepsilon)}{\alpha^2 (x+\beta y)^2 + (x+\varepsilon y)^2} + \log.$ $[\alpha^2 (x+\beta y)^2 + (x+\varepsilon y)^2] = C$, &, facta differentiatione, & terminorum homologorum comparatione, elicit valores literarum $\pi, \alpha, \beta, \varepsilon$, tandemque ostendit, terminum transscendentem $\pi \int . \frac{(\alpha^2 y\,dx - \alpha^2 x\,dy)(\beta - \varepsilon)}{\alpha^2 (x+\beta y)^2 + (x+\varepsilon y)^2}$ exprimere arcum Circuli, radio $\alpha$ descripti, cujus tangens sit $= \frac{x+\varepsilon y}{x+\beta y}$, tot vicibus sumtum, quot sunt unitates in $\pi$, &, qua ratione hæc methodus ad æquationes canonicas superiorum graduum extendenda sit, commonstrat. Secundo loco videre est contemplationes circa æquationem differentialem $a s^m ds + b u^q s^p ds = du$, de qua inquirit, quibus casibus indeterminatarum separationem admittat, aut ad algebraicam plane reduci possit. Invenit autem, posita $m = \frac{p+q}{1-q}$, æquationi propositæ satisfacere hanc algebraicam, $\pi s^{\frac{1+p}{1-q}} = u$, Curvamque adeo ex Parabolarum genere esse, existente parametro $\pi$ = radici æquationis $b \pi^{q + \frac{-1-p}{1-q}} \pi + a = 0$. Hanc diasceptin excipiunt Formulæ Reductionum pro Quadraturis, in quibus artificium reducendi singulare elucet, cujus ope invenit Theoremata, in *Actis* nostris *A. 1719* proposita, quorum demonstrationem postea Viri quidam docti dederunt ex aliis fontibus. Sequitur Tabula amplissima, exhibens factores reales duarum dimensionum

binomii $1 \pm x^n$, quorum in quadraturis Curvarum quantus usus sit, nemo Geometrarum est, qui ignoret. Formulas quoque generaliores, huic fini inservientes, condidit Vir præstantissimus. At vero hæc resolutio binomii cum nulla ratione felicius & elegantius, quam per nobilissimum *Cotesii* Theorema, succedat; ejusdem demonstrationem longe facillimam & pulcherrimam mox subjungit, ex serie universali, quam pro angulo vel arcu Circuli in partes quotcunque secando olim in *Actis* nostris *A. 1701* dederat, petitam.

Reliqua hujus Recensionis in proximam opportunitatem differuntur.

LETTRES DE CRITIQUE, DE LITTERATURE, D' Histoire, &c. écrites à divers sçavans de l' Europe par feu Monsieur GISBERT CUPER, &c.

hoc est,

*EPISTOLÆ CRITICÆ, LITERARIÆ, HISTORICÆ, &c. datæ ad nonnullos Europæ eruditos a GISBERTO CUPERO, Consule Daventriensi, ad Ordines Fœderati Belgii, provinciæ Overysselanæ, Legato, dein Belgii ad Fœderatorum in Brabantia & Flandris exercitum Anno 1706 Consiliario, &c. Publici juris fecit ex manuscriptis De B**.*

Amstelædami, apud Jo. Wetsteinium, 1742, 4.
Alph. 3 plag. $6\frac{1}{2}$, cum aliquot Tabb. æn.

Quem bonum civem tot reipublicæ causa suscepti labores, hunc & eruditissimum suæ ætatis virum tot literaria, quæ cum voluptate legimus, monumenta, testantur Celeberrimum *Cuperum*. Non est, cur Viri fata longa oratione prosequamur. In vulgus nota sunt, quæ de *Cupero* dici possent; adeo tanti Viri fama animos omnium, omniumque mentes, occupavit. Nunc id agimus, ut eum tibi cum amicis de rebus literariis colloquentem sistamus, Lector; ut vel inde pateat, quam fuerit in omni eruditione versatus & expeditus. Et magnam iniit profecto apud eruditos omnes gratiam, quisquis

quis est propinquorum ejus, uti quidem accepimus, qui hanc Epistolarum syllogen, plenam rerum, quæ eruditorum fata, linguarum & reliquarum antiquitatum nobilissima quæque argumenta, illustrant, procuravit. Dedit quidem doctissimus *Schelhornius* Amœnitatum Historiæ Ecclesiasticæ & Literariæ *Tomo secundo* aliquas *Cuperi* Epistolas; vidimus etiam in aliquibus literariarum Ephemeridum dispersas hinc inde *Cuperi* observationes, cum amicis communicatas; at pauca hæc sunt, si cum iis componas, quæ, laudabili instituto, hac Sylloge exhibuit Clarissimus Editor. Is in Præfatione, per quos profecerit, exponit; unde apparet, quibus collectio hæc Epistolarum maxima sui parte debeatur. Subministrarunt multa Celeberrimi Viri, *Royerius*, *Marchandus*, *Dumontius*, *Jordanus*, *Pelloutierius*, *Caillaudus*, aliique plures, quorum eo laudabilior est liberalitas, quo magis illos in republica literaria *EuclIones*, magno suo merito, detestamur. Præfationi duplex *Cuperi* Elogium succedit, quorum alterum A. 1717 in Societate Inscriptionum & elegantiorum literarum, cujus membrum erat Vir doctissimus, prælectum; alterum, cui adjuncta est Operum *Cuperi* enumeratio, quam *Tomo VI Niceroniani* libri, inscripti: *Mémoires pour servir a l' histoire des hommes illustres dans la Rep. des Lettres*, insertam reperias. Tum vero LV ad *Crozam* Epistolæ sequuntur, quæ varia omnino selectissimi argumenti in se continent. Prima omnium docte febricitantem antiquitatis illum cultorem non minus, quam deprædatorem, *Harduinum*, exhibet, qui peculiari de Numis Herodiadum Dissertatione, atque dein in Chronologia Veteris Testamenti, Patres quoscunque Græcos & Latinos, nec non omnes fere Autores, tam Græcos, quam Latinos, exceptis *Tullio*, *Plinio*, *Georgicis Virgilii*, *Flacci Sermonibus*, & *Epistolis*, Seculo XII vel XIII confictos affirmaverat, tempestive satis in Diario Trevoltiensi non minus, quam a *Joanne Clerico*, *Jacobo Basnagio*, *Maturino Veyssiere la Croze*, *Christoph. Cellario*, aliisque, refutatus. Eleganter ad hæc *Cuperus*, *certe illa tempestate*, inquit, *pro hæreticis fere habebantur, qui tot excellentibus dotibus animos haberent succinctos, & constat utique, omnem elegantiorem eruditionem hinc exulasse, & ne somniasse quidem ullum de Inscriptionibus*

*nibus explicandis*, *vel fingendis*. Quod si ita est, uti est omnino; voluisse lectorum simplicitatem tentare *Harduinum*, crederemus, nisi contrarium testarentur, qui virum noverant. Ad populum phaleras! Eruditorum certe paucis, neque nisi quam maxime credulis, vel *Harduinus*, vel quisquam alius, nugas istas persuadebit. Rem omnem cum judicio *Cuperus*, atque ita, exequitur, ut ostendat simul, ex omnibus *Harduini* operibus patere, virum fuisse omnium omnino *παραδοξότατον*, qui commenta inaudita vigilans somniavit, Scepticum pie egit, credulitate puer, audacia juvenis, deliriis senex, quemadmodum in Epitaphio laudatur, quod *Diarii Tubingensis P. I pag. 141* legimus. Laudat *Cuperus Crozæ* Dissertationem, Jesuitæ oppositam, qua varios & perniciosos viri morbos, instar periti medici, sanaverit. Βασιλεις dictos Imperatores Romanos, *Harduinus* negaverat; affirmavit contra doctissime *Cuperus* peculiari Dissertatione, *Historiæ trium Gordianorum* subjuncta; Gallus, supremam nunquam non fuisse Senatus Romani autoritatem, credidit; Noster jus omne omnemque potestatem Imperatorum ex Numis demonstrat. Quæ sunt Epistolæ reliqua, circa *Crozianæ* Dissertationis capita versantur, *Harduino* opposita, quem si credulum, si audacem, si delirum, nosse voles, hinc facile edocebere. Sæpius in virum invehitur *Cuperus*, Epistola inprimis XX, & alibi passim. Epistola *tertia* circa Numos aliquos versatur, ab *Harduino* perperam expositos; ubi & de *Phidonis* illo sententiam ingenue promit: nempe, non esse ætatis illius, quam ei tribuit doctissimus *Bergerus*, sed potius Thebanis in Bœotia, qui magistratum illo nomine indicarunt, tribuendum. Mox, sollicitum se esse, testatur *Cuperus*, quod audierit, Socinianam hæresin in terris Brandenburgicis lacertos movere, imperante Principe, quem re vera Christianissimum dici potuisse affirmat. Inde de *Tanaquilli Fabri* moribus quædam, quos multum sibi displicuisse refert, ut parum absit, quin atheum pronuntiet, qui *Baxtero* acrisia proles est. Epistola *septima* de bustis loquitur, quæ tum in Siberia prope Tobolum, Tumenum, & Vergeturiam, reperta sunt, ossibus mortuorum, & vario, ad usum partim, partim ornanda hominum corpora,

corpora, pertinente, apparatu, plena. Negat, ſe vel divinando aſſequi poſſe, quomodo idola inprimis illa ad gentem pervenerint, quæ iſta nunquam coluerit. Addita ſunt hanc in rem *Witzenii*, Conſulis Amſtelædamenſis, & *Guilielmi Bonjour*, Monachi Auguſtiniani, datæ ad *Cuperum* per epiſtolam opinationes, quæ Chinenſe illud ſpeculum, cujus vetuſtatem mille octingentorum annorum ipſi Chinenſes Batavi æſtimant, de laudibus cœli materialis, uti vocant, quod gens illa pro Deo veneratur, exponunt. Quæ de Numiſmate Perſarum aureo, quod *Daricum Plutarchus* appellat, aſſeruntur Epiſtola *nona*, eo redeunt, ut valor partim Numi, partim *Plutarchi* interpretatio, examinentur; quibus tandem *undecima* Epiſtola *Relandi* explicatio, quæ Arabicum Numiſma credit, ſubnectitur. De transſubſtantiatione, apud Græcos inde ab aliquot Seculis recepta; de *Montefalconii* Palæographia, ejusque erroribus non plane nullis, quos longa ad ipſum Autorem Epiſtola deſignatos reperias; de Numis aliquot Arabicis, a *Rhenferdio* & *Relandio* expoſitis; de *Oelvenio*, qui *αἵρεσιν Harduini* contra *Crozam* adoptaverat; de variis denique, ad antiquitates Orientis pertinentibus, obſervationibus, ſequentes aliquot Epiſtolæ loquuntur, quæ ſi nos omnia perſequeremur, dies nos ante, quam ſcribendi materies, deficeret; quid? quod inſtituti ratio non ferat, ut exhibeamus ſingula. Epiſtola *decima nona* de ſuis in *Minutium Felicem* obſervationibus *Crozam* edocet *Cuperus*, ſimulque annotat, *Ouzelium*, qui in eundem Scriptorem commentatus eſt, a *Gronovio* plagii accuſatum, non multum abeſſe omnino ab iſthoc in republica literaria execrando crimine. Addita ſunt quædam de Therapevtis, quorum *Philo*, peculiari de vita contemplativa libello, meminit, quem grande illud familiæ Benedictinæ ornamentum, *Montefalconius*, in Gallicam linguam tranſtulit, atque obſervationibus, Lutetiæ Pariſiorum A. 1709. & iterum 1712. 8. in lucem editis, illuſtravit. Hic, Therapevtas Chriſtianos fuiſſe, & S. *Marci* diſcipulos, probatum ivit Benedictinus; *Cuperus* contra promittit, ſe ex Epiſtolis Apoſtolorum, & perpetua primitivæ eccleſiæ praxi, demonſtraturum, Therapevtas nunquam fuiſſe Chriſtianos, neque

 verbo

verbo eorum meminisse hoc suo libello *Philonem*. Nostris demum temporibus agitata est de hominum illo genere controversia, quam, quia hujus loci est, paucis dabimus. Ediderat Halæ A. 1721 *de Therapevtis* Dissertationem *Jo. Joachimus Langius*, qua contendit, *Philonem* nullo indicio prodere, fuisse Judæos Therapevtas, *Josephum* adhæc, rerum Judaicarum, etiam in vicina Ægypto memorabilium, peritissimum, altum silere, quod omnino, si Judæi fuissent, commisisset nunquam. Opposuit his *Langii* conjecturis A. 1724 Lipsiæ Dissertationem aliam, *de Therapevtis, Fridericus Carolus Zinckius*, ea destinatione, ut evinceret, fuisse Essæos theoreticos, quorum *Philo* meminit, Therapevtas. *Parte Dissertationis secunda*, *Capite IV*, *Montefalconii* sententia excutitur, atque, nisi nos omnia fallunt, refelliter egregie. Quos enim *Philo* tot atque tantis elogiis cumulavit, Christianos fuisse, quis unquam credat? Hinc oculatissimus ille *Cuperus* jam tum, cum liber *Montefalconii* prodiret, hac ad *Crozam* Epistola, *ad palatum*, inquit, *non erant*, *quibus illustris ille Benedictinus*, *Therapevtas Christianos & Sancti Marci discipulos fuisse*, *assertum ibat*, *argumenta*. Epistola *vigesima* de *Lactantii*, ad *Donatum* Confessorem, libro, *de Mortibus persecutorum*, judicat, ineptire Gallum, (*Nurrium* nobis videtur indigitare velle *Cuperus*,) qui suppostitium credidit fœtum, & *Lactantio* abjudicavit; quem dein & Clariss. *Pfaffius* in sua ad Epitomen *Lactantii* Dissertatione secutus est. Satis probatum dedit Doctiss. *Baluzius*, qui ignotum antea librum ex vetustissimo Codice Bibliothecæ *Colbertinæ* primus produxit, nihil opere in illo, quod *Lactantiana* reliqua præferunt, desiderari; licet multi omnino hiatus, vitia multa, sed librariorum magis imperitiæ, quam autori, tribuenda, reperias. Concinnavit in eum observationes *Cuperus*, atque doctissimo *Gallæo*, qui multum *Lactantio* operæ impenderat, administravit. Ob affinitatem materiæ refert Noster *Joannis Sarisberiensis*, de malo tyrannorum exitu, librum, qui & *Nero* inscriptus reperiatur; cujus in Notis ad *Lactantium* mentionem injecerit, tanquam dignissimi, qui publici juris fiat. Non dubitat, superesse aliquem in Bibliothecis Galliæ Manuscriptum

prum Codicem, inprimis cum eo tempore ſcriptor vixerit, quo Anglos inter & Gallos internecina eſſent odia. De vexatiſſimo illo *Minutii Felicis* loco: *Deſpice Iſidis ad hirundinem ſiſtrum*, fatetur, neque ſuas in Autorem meditationes ita disputare, ut ſatisfactum loco pæne deſperato credi poſſit, quem ita reſtituere conatus eſt *Croza*: *reſpice Iſidis adytorum ſiſtrum*, etſi notum eſt, ubique locorum, non in abditis ſolum, uſos fuiſſe ſiſtro veteres. Diſciplinam arcani inauditum quid fuiſſe primo & ſecundo Seculo, credit *Cuperus* cum *Tenzelio*, qui Exercitationibus ſelectis libellum addidit, quo omne hoc argumentum contra *Schelſtratenium* copioſe & erudite diſcuſſit. Adduntur eadem Epiſtola de Numis Parthicis quædam; atque de incerta *Olympii* ætate, cui aram *Doſiades*, ſuæ in illum pietatis documentum, dicaverit, quod ex monumento quodam *Croza* cum Noſtro communicaverat. Epiſtola *vigeſima prima* duabus tabulis æri inciſis ornata eſt, quarum altera Tartariæ rariora quædam, in ſepulcris reperta, altera effoſſa antiquitatum argumenta in Helvetia, exhibet, inter quæ notatu dignus eſt *Mercurius*, ad cujus pedes chelys conſpicitur, quod variis veterum locis expoſitum dedit Helvetiorum ille *Plinius*, *Scheuchzerus*. Quæ de urbe Dabir, alioquin & Kiriath-Sepher ante *Joſuam* dicta, diſputantur, eo redeunt, ut refellantur illi, qui literarum inventorem *Moſem* dicunt; probetur contra, Samaritanas literas multo eſſe Hebræis antiquiores. Epiſtola *vigeſima ſecunda* & *tertia* Monogrammata aliquot exhibent, Sinicis characteribus delineata, quibus & *Sperlingii* conjecturæ additæ ſunt, exiſtimantis, Monogrammatum perantiquum uſum eſſe, &, ſi Scholiaſtæ *Sophoclis* credatur, a *Siſypho* Corinthio repetendum, quod idem ille ad *Ajacem* annotavit. Mox de Runis, Gothorum literis, eorumque falſa, quam venditant ſeptentrionales populi, Sueci inprimis, antiquitate, id memoratu omnino dignum Epiſtola *trigeſima quarta* occurrit, pleraſque illarum literarum in Hiſpanorum Numis obſervari, &, quemadmodum annotavit *Bellorius*, in nonnullis ſtatuis, repertis in Hetruria. *Pharaonis* nomen potentiæ eſſe, propterea credit *Cuperus*, quod Arabes & Croco-

Crocodilos ita appellent, referente *Bocharto*. Quod *trigesima sexta* Epistola de *Hydei religione Persarum* judicium fertur, plane ingenuum est. Quid enim, quæsumus, vir ille de vetere illorum populorum religione vera, & de vaticiniis *Zoroastris*, qui clarius Messiam, quam Veteris Testamenti paginæ, exhibeant, commentatur? quando & Scriptores, quibus paradoxa hæc superstruit, multo recentiores sint, quam ut in re tam vetusta mereantur fidem, & vix futurus est cordatior aliquis, qui credat, abesse falsitatis notam a Prophetiis, quas adducit in rem suam *Hydeus*. *Quadragesima* Epistola de Numis plumbeis *Trajani*, *Hadriani*, *L. Veri*, *Sept. Severi*, *Caracallæ*, *Getæ*, *Sev. Alexandri*, quædam referuntur, nempe, perforatos esse omnes, quod quidem in *Salmasium* vertit, cum inde concludit, antiquiora esse omnino *pendentia ex lino Diplomata*, contra quam Vir Illustris credidit. Quæ sequuntur, ad controversiam de duobus *Ælianis* pertinent, quorum alteri Varias historias, alteri Historiam animalium, tribuunt vulgo; qui error inde promanavit, quod, etsi idem scriptor & Animalium & Variæ historiæ autor est, tamen alter *Ælianus* reperiatur autor *Tactices*. Hæc cum diserte docuerit doctissimus *Perizonius*, atque Præfatione sua dederit evicta, miramur, qui factum, ut vulgarem illum amorem retineret in literario Opere suo Celeberrimus *Stollius*. At habet hunc sæpe eventum festinatio. Epistola *quadragesima septima* ad illum *Vopisci* in *Vita Aureliani Cap. 28* de purpura locum annotat *Cuperus*, existimari vulgo perditum purpuræ illud genus, sed falso, cum adhuc in Persis reperiatur, teste *de la Valle*, illustri peregrinatore illo, etsi inter purpuram, coloremque coccineum, quod paulo post observat, discrimen aliquod intercedat. *Quinquagesima* Epistola *Tollium* describit, leviorem cortice, modo horum, modo illorum sacra professum, quod ex insignibus itineris Italici partim, partim ex Observationibus in *Lactantium*, quæ ejus opera prodierunt in lucem, comprobatur. Succurrit, dum hæc scribimus, illud *Sallustii*, vel cujuscunque demum, in *Ciceronem*, inconstantiæ accusatum: *Aliud stans, aliud sedens, sentis, his maledicis, illos odisti, levissime transfuga, neque*

in

*in hac*, neque in illa, parte fidem habes. Epiſtola ſequens de *Sanchoniathone* Tyrio diſceptat, cujus hiſtoria Phœnicum, a *Philone Byblio* Græco ſermone donata, rejicitur ab aliis, ab aliis ut genuina laudatur. Dedit *Jo. Henr. Urſinus de Zoroaſtre, Hermete, & Sanchoniathone*, Commentarium, quo falſum opus probare nititur, quem ſecutus poſtea perſonatus *Sainjorius*, *Bibliothecæ critica* (*Bibliotheque critique*) *Tom. I Cap. 9* obſervationem inſeruit, qua doceret, circa *Porphyrii* tempora ficta eſſe, quæ ex Theologia Phœnicum ſub *Tyrii* illius nomine circumferuntur. Defendit contra *Tourneminius* ſcriptorem illum peculiari in *Diario Trevoltienſi* Diſſertatione, cujus ſententiæ & *Croza* ſe adjunxerat, & alii, quos *Fabricius Bibliotb. Græc. Lib. I Cap. 28* recenſuit. Hac Epiſtola *Cuperus*, etſi, quid ipſe ſentiat, non exponit, tamen *Bourgueti*, exulis Galli, mercatoris Veneti, ſed literati, ſed docti viri, hanc in rem conjecturas refert. Credit ille, aut confictam eſſe omnino a *Philone* ipſo Phœnicum hiſtoriam, aut, quod facilius damus, Græce expreſſa quædam recentiorum aliquot Scriptorum Syriæ monumenta, quæ ipſi *Sanchoniathoni* adſcripſerint, imitati Samaritanos atque Ægyptios, qui ſub *Joſuæ* & *Mercurii Triſmegiſti* nomine hiſtorias ſuas exhibuerunt. Ita eſt omnino, Vara Vibiam ſequitur, & illorum temporum ſcriptores in eodem fere cubant valetudinario. Ceterum, quibus argumentis adductus *Dodwellus*, *Sanchoniathonis* hiſtoriam impugnaverit, lege in *Supplementorum* ad noſtra *Eruditorum Acta Tom. II pag. 512*. *Quinquageſima ſecunda* Epiſtola de formula vetere, *ſub aſcia dedicare*, diſputat *Cuperus*, ſed non terminat, quæ tot eruditiſſimos viros exercuit, controverſiam. Adhuc enim cum *Fabretto* aſciam, murarii inſtrumentum ad macerandam calcem aptum, interpretamur, quod vix aliter eluctari ex his tenebris liceat. Sequuntur ad *Bignonium*, Abbatem, *Gallandum*, *Clericum*, *Baſnagium*, *Nicaſium*, *Martinum*, *Juriæum*, & *Daalenium*, doctiſſimæ Epiſtolæ, quæ refertæ omnino ſunt ſelectiſſimis obſervationibus; quarum etſi modo nobiliores annotare, per deſtinationem, liceret, haberet Lector, quibus cum voluptate immoraretur. Coronidis loco *Huetii* ad *Cuperum* Epiſtolæ additæ

ſunt, quas Index plane copioſus, & hac Sylloge dignus, excipit. Quæ nos ex Epiſtolis ad *Crozam* excerpta dedimus, facile Lectorem inducent, ut ad ipſius operis lectionem avidus accedat.

## *JACOBI BRUCKERI, REG. SOC. SCIENT. BErolinenſ. Membri, Hiſtoria critica Philoſophiæ.*

## *Tomus II.*

Lipſiæ, typis & impenſis Bern. Chriſtoph. Breitkopffii, 1742, 4 maj.

Alph. 6 plag. 3.

Ardua in via magno animo, & forti alacrique ingenio, ac indefeſſo prorſus ſtudio, proſecuturus feliciter, quem cœpit, Cel. Autor curſum longum ſatis & difficilem, latiſſimumque *Hiſtoriæ Philoſophiæ criticæ* campum peragraturus, relictis poſt ſe aliquo nunc intervallo *Periodi primæ* monumentis, ad *ſecundam* progreditur, *ab initiis Monarchiæ Romanæ ad repurgatas uſque literas* Philoſophiæ fata exponentem, & per *gentilem*, *Judaicam*, *Saracenicam*, & *Chriſtianam*, *Philoſophiam* decurrentem. Eam vero erudito orbi doctis voluminibus perluſtrandam ſubjiciens, juſto procedit ordine, accurataque rerum diſtinctione utitur, a diverſitate gentium, quas inter florem Philoſophiæ aliquem deprehendiſſe ſibi viſus eſt, petita, atque *partes Periodi hujus ſecundæ duas*, *alteram*, quæ *Philoſophiam gentilem*, *Judaicam*, *& Saracenicam*, complectitur, *alteram*, quæ *Philoſophiam Chriſtianorum* explicat, conſtituit. *Primam* illam aggreſſus eſt hoc *Tomo II partem*, ſed non abſolvit, obſtante huic conſilio amplitudine argumenti, adeoque reſervata *Philoſophiæ Saracenicæ* conſideratione ſequenti tractationi. *Duobus* igitur *Libris* abſolvitur *Tomus* hic *ſecundus*, *uno* de *Philoſophia Romanorum*, *altero* de *Philoſophia Judaica*, inſcripto. Illa *Romanorum Philoſophia* qualis fuerit *in Republica ad conditam uſque Monarchiam*,
Pag. 7. *Cap. I* disquirit, de tempore, quo primum Philoſophi Romæ
10. comparuerint, fatis Græcorum Philoſophiæ apud Romanos, &
12. Philoſophia Græca Romæ recepta, ſtudiis in Philoſophiam JCtorum,

rum, causis adamatæ ab illis inprimis Stoicæ Philosophiæ, ac spe-
ciatim de *Lucullo*, erudite differens. Subjungit causas, cur *sectaria* Pag. 16.
*Græcorum Philosophia* Romæ admissa fuerit, *Pythagoricæ*que pri- 20.
mum Philosophiæ in Romana republica fata, inde sectatores, *En-* 23. 25.
*nium* & *Nigidium Figulum*, cum causis, cur *Pythagorica* secta mox
evanuerit, commemorat. *Academiæ* deinde *primæ* sectatores, *M.* 28.
*Brutum*, *M. Ter. Varronem*, & *M. Pisonem*, *Academiæ mediæ* & *novæ*
asseclas, vitamque *M. Tullii Ciceronis*, & ejusdem Philosophiam, sti- 34. 46.
lo gravi atque eleganti descriptam; *Stoicæ* item sectæ asseclas in-
ter eosdem Romanos, *Catonem* illum *minorem*, sive *Uticensem*;
*Peripateticæ* porro Philosophiæ cultores eadem in urbe, atque *E-* 51.
*picuri* denique sectatores, & *Pyrrhoniam* sectam, exhibet. *Caput II*, 60. 64.
*de Philosophia Romanorum condita Monarchia*, deque *Philosophis* 69.
*gentilibus sub Imperatoribus Romanis usque ad Seculum post C.* 70.
*N. octavum*, *novem Sectionibus* absolvitur, quarum *prima*, *de ra-*
*tione Philosophiæ gentilis sub Imperatoribus generali*, rationem
ipsius sub Cæsaribus, adeoque nunc Poetarum, *Virgilii*, *Ho-* 71. 80.
*ratii*, *Ovidii*, *Manilii*, *Lucani*, *Persii*, nunc Historicorum, 81.
*Livii*, *Taciti*, ceterorum, Philosophiam, nec non *Mæcenatis* 83.
aliorumque in eam studium, exponit. Sistit *Sectio II Philoso-* 85.
*phos*, *Pythagoream sectam resuscitantes*, quos inter *Apollonius* 98.
*Tyaneus* eminet, cujus vita, itinera, fata, & res gestæ, miracu- 136.
la scilicet tradita, copiosius recensentur, atque dijudicantur, 142.
additis ejusdem scriptis & doctrina. Jungit *Pythagoreæ* huic 145. 150.
sectæ *Platonicam Sectio III*, in qua eminuisse duorum fere Secu- 162.
lorum spatio visi sunt *Thrasyllus*, *Theon Smyrnæus*, *Alcinous*,
*Favorinus*, *Taurus Berytius*, *Apulejus Madaurensis*, *Atticus*,
*Numenius Apameensis*, ac *Maximus Tyrius*, de quibus separa-
tim docta & jucunda brevitate exponitur, &, missis reliquis, quo-
rum vel nomen obscurum mansit, vel præter nomen & sectam
nihil apud veteres, quos hodieque legimus, deprehenditur,
duo adhuc viri graves & illustres, qui circa hæc tempora in-
claruerunt, adducuntur, qui plerumque *Platonicorum* fami-
liis annumerantur, licet eclectica potius libertate quadam fue-
rint usi, nempe *Plutarchus Chæronensis* & *Galenus*. Sequitur *Se-* 178. 183.
*ctione IV Platonicam eclectica*, quam genuit, *secta*, cujus nomen, 189.

 origo,

Pag. 193. origo, autores, *Potamo* & *Ammonius*, ipsa condendæ Philo-
205. sophiæ eclecticæ occasio, discipulique *Ammonii*, præ ceteris eru-
211. ditionis & Philosophiæ laude celebrati, *Longinus*, *Herennius*,
214. *Origenes*, & *Plotinus*, & hujus quidem eruditio, ingenium,
223. schola, successio in ea *Amelii Porphyrii*, *Jamblichi*, *Ædesii*,
233. 260. *Eustathii*, & uxoris *Sosipatræ*, filiique *Antonini*, item *Eusebii*
270. 273. *Myndii*, *Maximi Ephesii*, *Prisci*, *Chrysanthii*, *Juliani Apostatæ*, *Eu-*
279. 281. *napii*, *Hieroclis*, fata Philosophiæ eclecticæ Athenis, doctores ejus,
310. *Plutarchus*, *Nestorii* filius, *Syrianus*, *Proclus* & *Marinus*, horum-
318. que duorum successores, *Isidorus Gazæus*, *Damascius*, *Hypatia*, at-
341. que alii hujus sectæ Philosophi, cum observationibus de Philoso-
357. phis hujus sectæ generalibus, damnis ex ea ortis plurimis, in ec-
385. 387. clesiam etiam redundantibus, discordia sectæ, & totius Philoso-
431. phiæ ipsius systemate, & Theologia speciatim *Jamblichiana*, eru-
untur atque commemorantur. Hanc Eclecticam Philosophiam
463. *Secta Peripatetica Sectione V* excipit, quæ illius exhibet fata
sub Imperatoribus, Historiæ *Peripateticæ* in classes distributio-
467. nem, primarios ejus promotores, *Sosigenem*, *Boethum*, *Ni-*
474. *colaum Damascenum*, *Xenarchum* & *Athenæum*, *Alexandrum*
475. *Ægæum*, syncretismum Peripateticorum, autorem syncretismi
477. 479. *Ammonium*, ipsos Peripateticos Syncretistas, tum vero etiam
483. Peripateticos genuinos, Eclecticorum in *Aristotelem* studium,
492. 493. Philosophiæ Peripateticæ decrementum, & de ea sub Imperato-
496. ribus observationes generales. De *Secta Cynica Sectio VI*, præ-
missis hujus sectæ fatis, nec late, nec diu, floruisse eam, ex vitis
*Musonii Babylonii*, *Demetrii*, *Oenomai*, *Demonactis*, *Crescentis*, *Per-*
501. 527. *egrini*, & *Salustii*, commonstrat. Comparet *Sectione VII Stoica*
531. *secta*, ubi fata ejus sub Imperatoribus exponuntur, & Philosophi,
nomen in ea professi suum, & in porticu circa ista tempora illu-
536. striores, *Athenodorus Tarsensis*, *Annæus Cornutus*, *Musonius Ru-*
544. *fus*, *Chæremon Alexandrinus*, *L. Ann. Seneca*, *Dio Prusæensis*, *Eu-*
562. 568. *phrates Tyrius*, *Epictetus*, *Sextus Chæronensis*, &, qui dignitate
578. omnibus anteivit, *M. Aurelius Antoninus*, Imperator, Stoicique
598. alii, recensentur. *Sectam Epicuream* celebrat *Sectio VIII*, describens
599. fata ejus, virosque celebres & doctos, doctrinam magistri omni
604. 609. studio provehentes, *Celsum*, *Plinium* seniorem, *Lucianum*, *Dioge-*
*nem*

*nem Laertium.* Omnium postremi *Sceptici*, vel *Pyrrhonii, Sectione IX, de Secta Sceptica*, prodeunt, cujus sectæ sub Imperatori- Pag. 627.
bus Romanis fortuna, ejusque celebriores Philosophi, inprimis
vero *Sextus Empiricus*, cum aliis posterioribus, commemorantur. 629. 631.
Absoluta ita Philosophiæ Græcanicæ sub Imperatoribus Romanis
historia, quæ restant *Barbaricæ Philosophiæ* reliquiæ, hactenus vel
nemini fere animadversæ, vel justa nunquam luce collustratæ,
nuper vero a Viri magni, *Jo. Laur. Moshemii*, industria e te-
nebris evocatæ, *Cap. III, de Philosophia Orientali*, expendun- 639.
tur, probataque Philosophiæ Orientalis necessitate, ejusdem-
que existentia ac secta, quæ sibi *Gnosticorum* nomen vindica- 641.
vit, origines ejus, cum Philosophia *Pythagorico-Platonica* con- 644.
junctio, doctrinæ de Deo, de mundo, de moribus, discordia 645. 648.
sectarum, ex ea ortarum, ejusdemque ex theologia *Zoroa-* 650. 651.
*strea*, in Oriente circa Secula Christum natum proxime ante-
cedentia & sequentia late diffusa, propago, commonstrantur.
Inde ex gentilium Philosophorum scholis ad Judaicæ gentis
cathedras in enarrandis Philosophiæ fatis *Libro* hujus *Tomi se-
cundo, de Philosophia Judæorum*, progreditur Cel. Autor, cum-
que initia eruditionis atque sapientiæ Judaicæ in *Tomo I* enar-
raverit ita, ut historia ejus exponeretur, quamdiu, in regio-
ne sua sibi viventes, αὐτοκρατεία peculiari gavisi sunt, *tribus*
nunc *Capitibus* Philosophiæ inter Judaicam gentem fata, ad *Pe-
riodum II* referenda, complectitur, quorum *primo, de Judaica
a tempore reditus ex captivitate Babylonica usque ad excidium
Hierosolymarum Philosophia*, eam Hebræorum post captivita- 653.
tem illam Babylonicam nullam fuisse docet; repetito deinde
monito, *Tomo I* de Philosophia Hebræorum prolato, habuisse 655.
quidem gentem sacram vates divino lumine collustratos,
civilique prudentia instructos, viros vere magnos, œcono-
mos regendæ familiæ peritissimos, ea etiam eruditione, quæ
in hac gente floruit, ornatos, non vero Philosophos eo sensu,
quo vox hactenus adhibita fuit, viri inter Judæos post captivi- 656.
tatem illam sapientes, *Esdras*, *Haggæus*, *Zacharias*, *Mala-
chias*, & principes populi, *Zorobabel*, *Nehemias*, *Saalthiel*que,
nominantur, & de *Esdra* speciatim, an autor fuerit Cabbali- 657.

 sticæ

sticæ Philosophiæ, disputatur, nova porro Historiæ Judaicæ
Pag. 660. divisione, pro dissidio Samaritanorum & Judæorum coloniæ, ab *Alexandro M.* in Ægyptum deductæ, observata, pro ea de-
61. 64. scribuntur nunc Samaritanorum historia, doctrina, historia *Si-*
79. 83. *monis Magi*, *Dositbei*, & *Menandri*, & Samaritanorum contra
84. 85. Peripateticos disputatio; nunc ipsa Judæorum colonia Ægy-
90. ptiaca, et Codicis sacri LXX interpretum versio, Philosophiæ
93. 97. gentilis inter Judæos initia, liber sapientiæ *Salomonis*, Ægy-
98. 703. ptiacæ Philosophiæ ad Judæos in Palæstinam traductio, *Aristo-*
708. 711. *buli* historia, fata Philosophiæ in Judæa, *Josephi* memoria,
712. 15. Philosophiæ arcanæ inter Judæos progressus, sectarum Judai-
28. carum origines, secta, doctrina, vita Sadducæorum, Karæo-
731. 44. rum, Pharisæorum, Essenorum, Therapevtæ Ægyptii, sectæ
59. Judaicæ minores, veteresque gentis viri docti, *Jesus Siracides*,
779. 88. *Hillel*, senior, *Schammai*, & *Philo*. Refert *Caput II Judaicam*
89. 91. *ab excidio urbis Hierosolymitanæ ad recentiora usque tempora*
95. 97. *Philosophiam*, conditionem nimirum ejus post templi eversio-
813. nem, conditionis post eversam Hierosolymam restitutionem,
815. doctorum Judæorum in classes septem distributionem, Scho-
820. lam Babylonicam, R. *Jehudæ*, *Sancti* dicti, memorabilia, Tal-
22. 27. 32. mudis & Gemaræ origines, fata studii Cabbalistici post exci-
34. 39. dium templi, &, quibus vel versatus est, vel inclaruit, in eo ma-
45. gis nemo, R. *Akibba* & R. *Schimeon Ben Jochai*, neglectionem
46. 47. Cabbalistici studii Seculo III ad X, eodem Seculo X literarium Judæorum statum cum *Saadia Gaone*, finem eruditionis Judaicæ
50. in Oriente, nec minus fata Philosophiæ Judaicæ in Occidente,
56. 57. cum magistris celebrioribus, quos inter elucent *Aben Esra* & *Moses Maimonides*. *Caput III, de Philosophia Judaica*, in *duas*
61. dispescitur *Sectiones*, quarum *prima, de Philosophia Judæorum exoterica*, præmissis de Philosophia Judaica observationibus gene-
73. ralibus, conspectum Philosophiæ Judaicæ divinioris, placita Ju-
909. 11. dæorum Peripatetica, Philosophiam moralem, exhibet; *Sectio* vero *secunda, de Philosophia Judæorum exoterica, sive Cabbalisti-*
916. 24. *ca*, nomen ejus & scriptores, origines, cum Judæorum de Cabbalæ origine somniis, observationes de natura & indole ejus-
50. 60. dem, parallelismum Philosophiæ Ægyptiacæ, Orientalis, & Cabbalisticæ,

balisticæ, Cabbalæ divisionem, fundamenta Systematis Cabba- Pag. 969.
listici & delineationem generalem, speciatim de *Adam Kadmon* 80.
dogma, de Sephiris, de mundis, de spiritibus, de anima, de quin- 85.
quaginta portis prudentiæ, & triginta duabus semitis sapientiæ, 95.1002.
complectitur, subjunctisque variis eruditorum de usu pretioque 22.
Cabbalæ ponendo judiciis, præmonendis quibusdam de Cabbalæ 1030.
pretio, vitandisque circa eam præjudiciis, ipsius Cel. Autoris ju- 38. 49.
dicio de Cabbala, ejusdemque usu, non minori studio atque in- 1052.
genio conquisita plura in medium legenda & discenda profert. In 56.
his dum exponit ea, quæ inter diversas gentes & sacras & profa- 58.
nas Philosophia cepit, illustria incrementa Cel. Autor, ostendit 68.
simul rei nostræ literariæ ac philosophicæ insignia incrementa, quæ ingenio *Bruckeri* acri, & excellenti operæ, debet eruditus orbis, seræ quoque posteritati prædicanda, eoque magis admiranda, quo majori & fide & cura data sunt; id quod supplementa & emendationes nonnullæ, ad *Tomum I* & *II* hujus Operis pertinentes, huic Libro annexæ, quam maxime declarant.

## *TENTAMEN THEOLOGIÆ DOGMATICÆ, methodo scientifica pertractatæ, Autore DAN. WYTTENBACHIO, Bernate V. D. M.*

## *Tomus II.*

Bernæ, ex officina Emanuelis Hortini, 1742, 8.
Alph. 1 plag. 8.

Repetivimus indicem libri continuati integrum, licet Cel. & Pl. Rev. Autor nobis id exempli haud præierit. Offerunt sese Lectoribus in hoc *Tomo secundo*, quem *tertius* propediem excipiet, præter Præfationem, quatuor Loci theologici, nempe *sextus* de statu hominis primo, seu innocentiæ, *septimus* de statu hominis destituto, seu peccati, *octavus* de statu hominis restituto, seu gratiæ, ac *nonus* de beneficiis fœderis gratiæ. In hisce argumentis vertitur hujus *Tomi* cardo. De statu, hominem hac vita defunctum excepturo, proxime exponet, ac inde *Tomi III* capiet primordia. Vocatur ille status gloriæ, & ab altera parte status damnationis. Spectant hæc singula ad articulos

culos puros, ac ad gratiæ opera, divinitus detecta. Fœdus naturæ & operum Autor statui hominis primo attribuit, fœdus, quod adeo natura Dei & hominis nitebatur, per naturam quoque cognoscebatur, hominique felicitatem promittebat maximam, continuo operum, ad glorificationem Dei tendentium, exercitio obtinendam; quod homo primus non solum sibi, sed & posteris, utile judicabat, hinc pro se & posteris suscipiebat. *Quæ acceptatio*, verba sunt Autoris, *pro posteris peracta, simul fundamentum sternit imputationi transgressionis fœderis, seu peccati primi, cujus primus homo reus fuit, itidem contra posteros ejus instituendæ.* Res in hac doctrina est Autori cum Socinianis, ac cum eis, qui pollicem hisce premunt. Rationem, cur peccati *Adamitici* reatus ac pœna ad posteros ejus transierit, Autor profert eam denuo, quam alii quoque expromunt. En ejus verba: *Primus homo per peccatum primum fœdus operum fregit, ac in fœdere hocce caput exstitit repræsentativum posterorum. Inde, quod & pro hisce fregerit, deducendum fuit, siquidem hi consensu interpretando consensisse recte censeri possunt. Ac ita imputatio peccati primi Adamici, posteris ipsius incumbens, omnino fundamentum habet; alias autem nec juste fieri, nec defendi, posset, cum careret ratione objectiva. Hac vero deficiente, cum jure quid fieri nequit, hinc nec ad voluntatem Dei confugi tunc potest.* Facile hinc elucet, Autorem in hac doctrina filum Cel. *Canzii* & *Carpovii* habuisse pro Ariadnæo. Præformationem corporum in protoplastis figit, & *Leibnitii* sententiam, de animis humanis ante parentes nostros existentibus, & olim ex nihilo creatis, sæpius jam traditam, facit suam. Qualibus ille, qui se in pœnis hominum subeundis vicarium substituere voluerit, debeat gaudere requisitis, unum ex altero deducit. Ut ostendat, Jesum divinitus fuisse ad homines missum, *Dittoni* argumento potissimum utitur, ex resurrectione Jesu a mortuis desumto. Nec omisit disquisitionem rationis, cur Jesus, se Messiam esse, voluerit taceri. Cogitata *Joannis Lockii* huc commode in subsidium advocavit. Ut officium Christi sacerdotale copiosa & digna demonstratione illustraret, *Grotii* libro, *de Satisfactione* inscripto, usus fuit

adjutore,

adjutore, paucis exceptis, quæ *Grotius* admiscuit auro æra. Addit judicium hujusmodi de eo *Grotii* libro: *Præter Grotium vix alius Socino confutando par fuisset, ut mirari subeat, Theologos illum Tractatum non plus in auxilium advocasse.* Adhibuit præterea usibus suis *Outrami de Sacrificiis* librum. Operam dedit, ut genuinas exhiberet notiones *liberationis, satisfactionis, remissionis, condonationis, propitiationis, expiationis, reconciliationis.* Ad ductum Cl. *Canzii* ostendit æstimationem perpessionum, a Christo exhaustarum. Pro quibusnam utraque obedientia a Christo sit praestita, an pro omnibus hominibus, an pro electis tantum, quæsivit ita, ut sibi persuaserit, controversiam, inter Protestantes super hoc argumento exortam, haud esse realem, sed logomachiam tantum. Cum vero Christocratia, redemtioni factæ innixa, sequatur amplitudinem juris, quod Christus per utramque illam obedientiam acquisivit; perspicuum sane est, obedientiam illam pro singulis hominum fuisse præstitam, siquidem Christocratia illa jus & imperium in singulos homines complectitur, *Ps. II, 8, 9, VIII, 7, 1 Cor. XV, 27, Apoc. V, 23, 2 Petr. II, 1.* Notiones *liberationis, satisfactionis, emtionis, redemtionis, creditoris, acceptilationis*, &c. *Samuel Huberus* omnium optime explicasse videtur Autori. Laudat auxilium, quod inde sibi fuerit obortum. Satisfactionem & merita Christi per imputationem in hominem, fide salutari instructum, transire, & huic cedere in salutem, ostendit *Loco nono*, doctrina de fœdere gratiæ præmissa. Gratiæ efficaciam cum libertate humana conciliare laborat, annitens simul, ut, ubinam gratia incipiat, & naturam suppleat, demonstret. In genuina fidei divinæ indole determinanda est multus. Justificationis doctrinam a Socinianis egregie defendit. Obsignationem fidelium addit, quam exponit per conscientiam & constantiam salutis. Subdit tandem hæc Præfationi: *Hic finis habetur* Tomi II, *ubi quoad dogmatica lectorem non inventurum spero, quod jure reprehendi possit, dummodo non male mentem capiat, uti quoad nonnulla contigit Autori, lingua vernacula* Tomum primum *recensenti.* Libet jam pauca ex tractationis campo ipso decerpere. In aditu ipso hæc nobis

Pag. 531. sese offerunt: *Deus non potuit non homini tales dare facultates,
*quibus ad eum, ut creatorem & conservatorem, glorificandum*
*aptus esset.* In numero earum censeri intellectum & liberta-
tem, quis dubitare ausit? Facultas loquendi eodem est refe-
renda, siquidem hominis est, Deum laudare. Addit idem,
Deum primis hominibus re ipsa cognitionem perfectionum
534. ipsius impertiisse. Colligit exinde, cognitionem illam primo
homini cum ipsa sui origine statim fuisse in promtu, ideoque
*Rom. II, 15*, dici *animo hominis inscriptam.* Nec tamen ne-
gat, primi hominis exegisse officium, ut cognitioni nativæ
jungeret eam, quæ solet vocari acquisita. Addit, innocentes
illos novisse Trinitatis dogma, ac locum *Eccl. VII, 29*, succin-
cte illustrat, monens, voci ישר inesse significatum *ejus sub-*
537. *stantiæ, quæ voluntati creatoris congruat.* Ab *Adamo* anima-
libus nomina esse imposita, denuo post alios docet. Non est
hujus loci, disquirere, an ea sententia in Codice sacro solerter
inspecto locum inveniat. Cur Deus primis parentibus, cum
crearentur, haud contulerit supremum scientiæ & virtutis fa-
stigium, quam ipsi poterant capere, rationem hanc reddit,
quod sapientia Dei haud permiserit, cognitionem illius ho-
minis ab uno extremo in ipsa origine transire ad alterum sine
peragratione intermediorum. Addit, primum hominem non
potuisse non Deum ardenter amare, & eadem, quæ Deus vult,
velle, ipsum exstitisse sanctum, gavisum fuisse sensionibus in-
tellectui subjectis & imaginatione, judicium sincerum sequen-
540. te, immo appetitu rationi lucidæ morigero. Nullam fuisse
in eo luctam carnis & spiritus, exinde colligit. Illum non so-
lum pravitatis expertem, sed præterea virtutis studiosum, fuisse,
docet. Justitiam ei, ab origine effulgentem, tribuit æque ac
suavissimum animi gaudium & conscientiam tranquillam. Mo-
net tamen, sanctitatem primorum parentum mutabilem fuisse,
& ex limitatione originali fluxam. Imaginem Dei ex essentia
545. & attributis naturæ hominis pependisse, negat. *Statum pu-*
*rorum naturalium* explodit. Quærenti, an imago Dei, arcte
considerata, fuerit naturale quiddam, respondet ita: *Bene di-*
*citur id fuisse donum hominis naturale; homini enim, vel naturæ*
*ipsius,*

*ipsius, erat concreata, adeoque exstitit, quamprimum natura hominis exstitit, & praeterea eam perficiebat.* Negat, imaginem Dei in corpore hominis quærendam esse. Eam collocat potius in cognitione Dei, in justitia, ac genuina sanctitate, provocans ad dicta *Col. III, 10,* & *Eph. IV, 24,* & ad δόξαν Θεῦ, qua destituti sumus per naturam omnes, *Rom. III, 23.*. Spiritualita- Pag. 548.
tem mentis, & dominatum in res creatas, refert ad imaginem Dei, licet contendat, in cognitione Dei, justitia, & sanctitate, præcipue eam fuisse sitam. Dominia rerum in statu innocentiæ fuisse communia, contendit idem. Hortum Eden in Me- 551.
sopotamia exstitisse, sibi persuadet, eo quod is situs fuerit *versus Orientem, Gen. II, 8,* & Eden collocetur in Mesopotamia *2 Reg. XIX, 12, Jes. XXXVII, 12,* atque conjungatur cum Charan & Canneh *Ezech. XXVII, 23,* prope quatuor fluvios, quorum unus fuerit Euphrates & alter Tigris. Si quid nobis hic licet pervidere, Paradisus cis Euphratem in Cœlesyria fuit situs. Illud *versus Orientem* respicit ad locum, ubi *Adamus* fuit creatus. *Eden* adhuc exstat in radicibus Antilibani. *Hbaran, Charan,* spectavit ad tractum Aram-paddan, qui ab amnis Jaboci in Jordanem immissu admodum sex dierum intervallo distat. Locus Canneh, Cannat, Cnath, Canath, eminet in Batanæa ad austrum Damasci. *Phrath* flumen est ipse Orontes, quem accolæ adhuc *Fir, Fer, Fert,* vocant. Sed hæc obiter. Ut ostendat Cel. Autor, decuisse Deum jungere *Adamo* fœminam, rationes suas sic putat, ut pronuntiet, Deum voluisse a compluribus gloriam suam celebrari. Nisi fallimur, id argumenti tale est, ut inde colligi possit, Deum myriadas hominum simul creasse. Statum herilem a statu innocentiæ procul fuisse, idem it demonstratum. Addit, locum ibi haud fuisse 553.
statui civili. Digna sunt hæc momenta duo, quae propius discutiantur. In dictis *Gen. II, 17, Rom. V, 12, VI, 23,* rationem habendam esse mortis nauralis, sibi persuadet. Corpus hominis, 555.
in statu innocentiæ adhuc positi, ferro confici, fame lapsuque ex alto & igne enecari potuisse, ostendit. Singularia sunt isthæc: *Attendi meretur, quod, cum Deus præsciverit, hominem in statu integritatis non persliturum, tali modo jam corpus*

*ipsius disposuisse, resque corporeas externas & cursum naturæ, ut, quia ob peccatum insecuturum corpus hominis dissolvendum fuerat, cursusque naturæ pœnam peccati suppeditare debuit, hæc omnia statui hominis peccaturi accommodata futura fuissent, nec opus habitura mutari, cum vix sancita & ordinata erant; adeoque statui potest, in alia rerum serie, ubi homo non peccaturus fuisset, etiam aliud corpus eum habiturum, resque externas cum cursu naturæ ita ordinatum iri, ut ad dissolutionem corporis hu-*
Pag. 559. *mani nil contulissent.* Vitam sempiternam, in cœlis agendam,
565. primis parentibus fuisse promissam, ratiocinando docet assequi lectorem. Addit adhæc, vitam æternam primis parentibus symbolice propositam fuisse interventu paradisi & arboris vitæ.
568. *Adamum* perfecta obedientia nihil a Deo mereri potuisse, ostendit. Ergo nec mercedi fuit locus. Nihilo minus per modum pacti *Adamus* a Deo vitam æternam expetere potuisset. Mo-
573. menta fœderis operum solide Autor enarrat. Paradisum & arborem vitæ pro *sacramentis* hujus fœderis reputat, usus scilicet significatione vocis *sacramenti* pro ecclesiæ suæ norma. In *Adamo* Deum cum posteris ejus pepigisse fœdus, tradit. Et hæc quidem ad *Locum VI* theologicum spectant, e quo potiora excerpere constitueramus, eo quod is cruce non una distinet & affligit eruditos. Ex eis vero, qui huic sunt subjuncti, *Locis* perpauca, eaque insigniora, enotabimus, ut intelligatur, quam prope Cel. Autor ab ea, quam inter Protestantes molitur, concordia absit. Illud *ἀπ' ἀρχῆς Jo. VIII, 44,*
582. putat esse idem ac בראשית *Gen. I, 1,* ut designet, diabolum ab initio mundi statim fuisse homicidam. Videtur hinc sequi, diabolum ex primo creationis puncto jam exstitisse malum. Diabolum serpente alato ad decipiendam *Evam* usum fuisse,
597. conjectat cum *Simone Patrick*, Anglo. Quare Deus protoplastorum mortem corporis distulerit, definit rationes non unas. Fœdus operum peccato eorum abrogatum fuisse, solide mon-
615. strat. Locum *Eph. II, 3,* vindicat a *Joannis Clerici* perversa interpretatione. *Paulum* de imperfectione innata posterorum *Adami* in concreto disserere *Rom. VII, 8, 17,* contendit. *Servum arbitrium* per servitutem peccati & mortem spiritualem

exponit

exponit, nec tamen eo libertatem hominis in agendo, vel juſtitiam imputationis ad pœnam, tolli, docet. De ſalute infan- Pag. 637.
tum morientium qualiumcunque, qui nondum diſſenſerunt a ſponſoris Chriſtocratia, haud deſperat, laudatque de eo argumento Diſſertationem *Richteri*. Liberationem vocat *ſolutio-* 648.
*nem obligationis*, dum ſolutionem obligationis ad pœnam ſubeundam habet ob oculos. Per pœnitentiam tolli haud poſſe 654.
peccata præterita, accurate docet. Doctrinam de Chriſti pro nobis ſubſtitutione & ſatisfactione vicaria tradit ſolide omnino. Addit rationem, cur liberator noſter vicarius perfectam pro 663.
nobis & loco noſtro obedientiam debuerit præſtare. Juſtitiam Dei punientem & præcipientem credit appellari δικαίωμα τȣ̃ Θεȣ̃ *Rom. I, 32*, & δικαίωμα τȣ̃ νόμȣ *VIII, 4*. Cur ille liberator exiſtat haud angelus, ſed θεάνθρωπος, ſolidas affert rationes. Continuo autem gratiam redemtoris ad ſolos reſtrin- 666.
git electos, licet ſacer Codex doceat, Chriſtum pro omnibus guſtaſſe mortem, & loco eorum pœnas pertuliſſe, atque ſuſtinuiſſe mortem, qui pereunt, perduntur, & perniciem ſubitam ſibi contrahunt. Arridet demonſtratio, qua docetur ex rationis humanæ principiis, Deum unicum eſſe in eſſentia, plures 668.
vero ea gaudere perſonas. Quantopere Sociniani fundamentum doctrinæ & religionis Chriſtianæ repudient, ex profeſſo oſtendit. Cur Jeſus, a mortuis excitatus, haud illico cœleſte 680.
ſolium occupaverit, rationes optimas ediſſerit. Veritatem re- 734.
ſurrectionis Jeſu firmiſſimis corroborat rationibus. Eam, quæ de beneficiis fœderis gratiæ exponit, tractationem ad umbilicum haud adduxit hoc *Tomo*, quo exquiſitiſſima & præſtantiſſima comprehendi dogmata, argumenta, conſectaria, atque objectionum tela hebetata, nemo inficiabitur, qui in eo evolvendo diligentiam exercuerit ſuam. Si quid eſt, quod faſtidio eſſe poteſt nonnullis, illud referendum erit ad Philoſophiam *Wolfianam*, ad *Carpovii* & *Canzii* laudes, ad methodi apodicticæ formam, ad genus ſcripturæ paſſim limæ expers, & ad gratiam particularem. Qui vero rerum ipſarum habent rationem, eis pleraque arridebunt omnia. Avemus igitur merito verſare *To-*

*mum* quoque poſtremum propediem, & ex eo, doctrinam Autoris porro celebrandi, arripere occaſionem ſcopo noſtro accommodatam.

## DISSERTAZIONI DEL SIGNOR GIUSEPPE ALALEONA, &c.

hoc eſt,

## *DISSERTATIONES JOSEPHI ALALEONÆ, Maceratenſis, Prof. Prim. Publ. Juris Civilis in Academia Patavina, in uſum juvenum ſtudioſorum ejusdem Ordinis, inſcriptæ Sereniſſimo Principi PETRO GRIMANI, Venetorum Duci.*

Patavii, apud Joſephum Comino, 1741, 4.
Alph. 1.

Sylloge hæc complectitur Diſſertationes *novem*, quibus iſagoge, qua Autor ſcopum ſuum ediſſerit, eſt præmiſſa. *Prima* Diſſertatio inſcripta eſt de antiquorum ſcriptorum autoritate, & de veris rationibus, quæ doctos recentiſſimæ ætatis impellunt, ne eorum habeant rationem. Diſſertatione *ſecunda* idem exponit de damnis graviſſimis, quæ oriuntur ac prodibunt ex neglectu ſcriptorum vetuſtorum, nec non de cauſis prolabentium bonarum literarum. Diſſertatione *tertia* oſtendit, Romanos magnam partem legum, XII tabulis inſertarum, traxiſſe ex legibus *Solonis* Græcis, & ex legibus aliarum civitatum, ac ſcriptores recentes id temere in dubium revocare. Diſſertatione *quarta* & *quinta* de imperio paterno diſſerit. *Sexta* & *ſeptima* de legibus civilibus commentatur. *Octava* exponit de legibus Romanis atque Venetis. *Nona* agit de circumſpectione & ordine, quem obſervare decet juventutem Juris diſcendi ſtudioſam in legendis veterum ac recentiorum ſcriptis. Idem edidit tertium Dialogum ſuum 5½ plagulis, qui inſcribitur: *Vagliatura tra Baione e Ciancione Mugnai della lettera toccante le Conſiderazioni ſopra la Maniera di ben penſare, ſcritta da un Accademico* al Signor Conte di *.* Exiit & hoc

ſcriptum

ſcriptum A. 1741, 4, Patavii in lucem. Non jam lubet huic intereſſe *ventilationi, qua excutitur Epiſtola, ſpectans ad Cogitata de ratione bene cogitandi, a quodam Academico in literas relata.* Res in præſens nobis erit cum Diſſertationum Enneade. In Iſagoge præmiſſa dolet Autor, libertatem philoſophandi in Italiam irrepſiſſe, juvenesque paſſim ita tenere irretitos, ut omnia in ingenio ſuo domi quærant, veteresque ſcriptores legere ac conſulere recuſent. Lætatur, nova multa in Phyſicis, Matheſi, Anatome, aliisque ſcientiis, quæ obſervationibus & experimentis ditari poſſunt, in dies detegi. Libertatem philoſophandi non vult converti in licentiam. Limites ei circumdandos eſſe, arbitratur, ne quid religio, fides hiſtorica, jus commune, idque civile, capiant detrimenti. Suadet, ne *Plato, Ariſtoteles, Xenophon, Tullius*, aliique ſcriptores priſci, faſtidiantur, ſiquidem antiqui etiam potuerint perſpicere, quid ſit juſtum, æquum, honeſtum, & turpe. Non eſſe rationes præſto, putat, cur penitus a mentione veterum ſcriptorum ſit abſtinendum. Græcorum & Latinorum nomina Pag. 9.
eſſe clariora exiſtimat, quam ut nauſeari debeant eorum monumenta. *Cicero* certe in *Topicis* laudavit Oratores & Philoſophos & Hiſtoricos & Poetas, ex quorum quippe dictis & ſcriptis ſæpe autoritas petatur ad faciendam fidem. Ipſe ſæpius profert aliquid ex *Platone*, aliisque ſcriptoribus priſcis, ut ſuppeditet nobis exemplum, quod intueamur & ſectemur. Lau- 11.
dat Autor *Ciceronem*, qui maluit cum *Socrate* & *Platone* non invitus errare, quam cum aliis vera ſentire. Nobis certe alterum illud foret gratius. Ad palatum Autoris eſt hoc *Ciceronis*: *Commemoratio antiquitatis, exemplorumque prolatio,* 15.
*ſumma cum delectatione & autoritatem orationi affert & fidem.* Juvat certe addidiſſe fontes ſententiæ, a veteribus inventæ, & indicaſſe, unde eam hauſeris. Ruunt in dicendo illi, qui ſcripturæ cogitandique rationem politiſſima veterum copia haud imbuerunt. *Cicero* ſane tam terſe, luculente, & compoſite, notiones animi evolvit, ut lectores ſuos in hunc diem doceat modum & dictionis & compoſitionis aptæ. Reſtant in veterum 121.
ſcriptis reliquiæ luminis naturæ, ſuperſunt inibi ſemina juſti & æqui.

æqui. Non eſt in legislatorum viribus ſitum, ut ipſi ſingula provideant eventa. Æquitatis ſtudium leges ſcriptas ſupplet. Hoc vero ex veterum ſcriptis elucere, Autor arbitratur. Legislatores præferendos eſſe victoribus, patriæque defenſoribus, exiſtimat. Approbat illud *Ciceronis*, jubentis, *ut*, *quæ deſcripta ſunt legibus & jure civili*, *hæc ita teneantur*, *ut ſit conſtitu-*
* Pag. 125. *tum.* Conſtitutio autem ad facta eſt referenda, & radicibus in ſententiis veterum ſcriptorum inhæret. Si quis vero jus naturæ pro fundamento & norma omnis juris civilis legumque civilium omnium conſtituerit, & rationes animamque legum exinde deducat, minuitur pretium ſententiarum vetuſtarum, vel nulla eſt utilitas pæne ex eis petenda. Recentiorum JCtorum hoc eſt ſcitum & memorabile decretum. Ad hoc evertendum Cel. Autor ubique propemodum intendit nervos. Videre lubet argumenta, quibus Cel. Autor, maximam partem legum, queis XII tabulæ conſtiterunt, e Græcia fuiſſe traductam, oſten-
58. dit. Citat ad teſtimonium Romanos, nominatim *Livium III*, *13*, &, præter *Dionyſium X*, *11*, ſidus Oratorum *Ciceronem* in *Oratione pro Flacco* habita, ac præterea *Auguſtinum de Civitate Dei II*, *16*. Et quid clarius eſt illis ex *Libro II de Legibus* verbis *Ci-*
63. *ceronis*? En illa: *Jam cetera in duodecim. Minuendi ſunt ſumtus lamentationesque funeris; translata ſunt de Solonis legibus.* — — *Quam legem iisdem prope verbis noſtri viri in decimam Tabulam conjecerunt.* Deſignat legem *Solonis*. In legibus XII Tabularum legebatur hæc præter alias: *Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento.* Addit *Cicero*, leſſum a *Lælio* expoſitum eſſe per lugubrem ejulationem, *ut vox ipſa ſignificat; quod eo magis judico verum, quia lex Solonis id ipſum vetat. Florus* in *Epitome Livii* de allatis per legatos Romanos Atticis legibus ſuccincte injecit mentionem. Autor *de Viris Illuſtribus*, quem Noſter *Plinium* exiſtimat juniorem,
65. ſic de *Virginio* diſſeruit, ut *Livio* aſſentiatur. Licet vero Romani *Solonis* leges ex parte fecerint ſuas; nihilo ſecius tamen ex aliis quoque Græciæ civitatibus inſtituta ſimul optima per legatos eosdem adſciverunt, teſtibus *Porcio Latrone* & *Pomponio l. 12 §. 4 ff. de Orig. Juris, Tacito Annal. III*, & *Aulo*

*Gellio*

*Gellio Noct. Attic.* XX, 1. Dignus præterea est audiri *Servius*, qui ad *Æneid. Virgil. VII*, ejusque *æquos Faliscos*, ita fuit commentatus: *Populus Romanus, missis Decemviris, a Faliscis jura fecialia & nonnulla supplementa XII Tabularum accepit, quae ab Atheniensibus habuerat.* Credibile nobis haud esset, quemquam in Italia tam rudem historiæ juris civilis Romani inveniri, ut, originem XII Tabularum maxima ex parte Atheniensem & Græcam exstitisse, ignoret, nisi Cel. Vir eam in doctis quibusdam popularibus seu civibus suis reprehenderet hic ruditatem, vel, si mavis, ignorationem. Ex eisdem Græcorum legibus legi *de paterno imperio* lucem affert, negans, cuiquam patrum, ætate *Pauli*, JCti, licuisse occidere filios, siquidem jam *Hadrianus* eam patrum potestatem sustulerit. Colligit ex eo deinceps, *Tribonianum* mutilasse sententiam *Pauli* in *l. 11 ff. de Liber. & posthum.* Eant nunc illi, qui sibi persuadent, lectionem veterum scriptorum candidato juris esse inutilem, immo perniciosam. Pag. 69.

## Abhandlung der Porte-Chaises, oder Tragesänften, &c.

hoc est,

## *COMMENTATIO DE LECTICIS, QUÆ VEL ab hominibus, vel animalibus, portantur, in omnibus quatuor terrarum orbis partibus, secundum Criticam, Mechanicam, Historiam, Jura, ut & emolumenta ærarii publici statusque civilis, instituta atque explicata, simulque Diplomatibus & Figuris æneis instructa, a CAROLO CHRISTIANO SCHRAMMIO, Comiti Solmensi a Consiliis, ad Præfecturas pertinentibus.*

Norimbergæ, sumtu Christophori Weigelii, junioris, typis Laurentii Bielingii, 1737, fol.

Alph. 1 plag. 7, cum Tabb. æn. 18.

Aliis jam, iisdemque optimæ notæ, libris clarissimum nomen consecutus est Cel. hujus tractationis Autor, unde statim ab initio

initio ſpem nobis concipere licet, neque hic ſui fore diſſimilem. Hanc autem ſpem noſtram non temerariam eſſe, quin ſuperari potius, quam deſtitui, ipſa deſignabit libri luſtratio. Complectitur ille *Capita VII*, quorum *primum* agit de origine ac progreſſu lecticarum, apud varias gentes Græcas potiſſimum & Latinas. Criticum hic ante omnia agit Autor, inque origines vocabulorum inquirit altius; ſive illa ſint Germanica, ſive Gallica, ſive Latina. Inter Latina, præter vulgare, quod adhibuimus, nomen, etiam paſternas, manuales tectas, pilenta, geſtamina, geſtatoria, feretra, atque ita porro, nominari, commemorat, quanquam, hæc ipſa inter nomina aliquod fuiſſe diſcrimen, haud difficulter patet. Ipſa lecticarum primordia in antiquiſſimis temporibus Ebræorum, Maobitarum, Babyloniorum, Perſarum, Indorum, &c. inveniſſe Autor ſibi viſus eſt. Eodem ſolium ſacrum, quod per *Bezalielem* exſtruendum *Moſes* curavit, refert, neque alias minus ex ſacro Codice lecticas eruit. Hac data occaſione oracula nonnulla divina interpretatur. Additur commemoratio circumgeſtationis idolorum, ſellis impoſitorum, quo nominatim *Venus Urania* pertinet, a Babyloniis Samariæ hoc modo culta. Perſæ itidem ignem ac ſolis imaginem circumferebant; lecticam *Dianæ* ſacram habebant Epheſii, Græci feſtis diebus, *Baccho Cybelæ*que ſacris, nec minus in Orgiis, ejusmodi ſellis utebantur. Iſtis quoque *Veſtam* venerabantur Quirites. Proximus earum uſus erat in mortuis efferendis, ubi partim a ſex, partim ab octo, partim a pluribus, aut paucioribus, ſervis portabantur. Inde commoditati inſerviebant ditiorum, neque in agris adhibebantur ſolum, verum etiam in urbibus; quanquam poſterius ante *Ciceronis* tempora neutiquam factum eſt, atque a *Julio Cæſare* cœptum. Erant vero lecticæ vel apertæ, vel clauſæ, item aut magnificentiores, aut viliores. *Conſtantinus M.* Imperator lecticarios, quo & feretra portantes pertinent, meliorem in ordinem redegit, peculiaremque in tribum diſtinxit. Ita vero cum magis in dies increbreſceret earundem uſus, non ſolum nobiliores ac fœminæ delicatæ, ſed & humiliores, quin demum ipſi ſervi, iisdem utebantur. Et ſane multa, quod egregie monſtrat Noſter, earundem

rundem est utilitas, sive mortuos, sive vulneratos, sive ægrotos, sive gravidas, sive alios quoslibet, spectemus. *Cap. II* de mechanica lecticarum constitutione agit; qua simul occasione instrumenta loco moveri solita variis generibus contemplatur, triplicemque lecticarum præ trahis ac vehiculis prærogativam definit, atque has inter eam potissimum, quod motus lecticæ, navem si exceperis, omnium sit lenissimus. Adduntur pariter problemata quinque, ad majorem lecticarum commoditatem egregie facientia. *Caput III* est historicum, agitque de lecticis in quatuor terrarum orbis partibus, quæ hodieque inveniuntur. Initium fit a lecticis Americanis, ubi præsertim magnifica Mexicanorum lectica, Regi portando consecrata, ut & *Attabalibæ*, Peruani Regis, lectica, nec aliæ minus, designantur. Notabiles inprimis sunt, cumque nullis comparandæ, quæ in cultu Soli præstando apud Coscoanos adhibitæ dicuntur. Animadversionem quoque merentur, quæ in civitate S. Salvatoris, Brasiliæ capite, usurpari solent retia, sive lecti, retibus superstrati, nec minus illæ lecticæ, quibus Rex ad Reginam, Regina ad Regem, ferantur, & quas ferre dicuntur potissimum hermaphroditi. In Asia, & quidem in insulis maxime Japanicis, reperiuntur lecticæ aquaticæ, ut & rotis fultæ; quemadmodum eæ etiam, quæ *Norimons* & *Kangus* nominantur, notabiles sunt. Lecticæ Chinenses flavum habent colorem, ibidemque ex murrhino (*Porcellain*) confectas usurpant. Indostanus Imperator magnificentissimas, plurimisque gemmis distinctas, Agræ habuisse lecticas commemoratur, ab elephantibus, non sine variis ceremoniis, latas; ut cameli circumferunt Persicas. Unius elephantis dorso imposita est aurea lectica Samici Regis. Etiam in Africa varii generis tales habent, quas & homines ferunt, & animalia bruta. Præsertim autem Europæis Noster describendis immoratur. Sed nos ad *Caput IV* progredimur. Agit hoc nominatim de lecticis regiæ *Augusti* sedis, capitisque Saxonicarum civitatum, Dresdæ. Introduxit illas senator illius civitatis, *Jo. Fridericus Landsberger*, peculiaribus suis sumtibus, occasione accepta a lecticis Lipsiensibus. Ordo ac privilegium inde ab anno 1505 clementissime confirmabatur,

tur, atque etiam apud hæredes manebat, donec undetricesimo anno, renitentibus licet hæredibus, omnis senatus curam suscepit, pecuniaque iisdem soluta sibi servavit. Nihilo minus ordo ideo semel factus porro manebat. Vicini Neostadienses hoc exemplum sunt secuti. Sed & Ministri regii peculiares sibi lecticas compararunt; sicut diversæ sunt pariter a reliquis, aulæ quæ inserviunt; & quas portantes habitu quoque a senatoriis distinguuntur. *Caput V* agit de lecticis, quæ ferri solent a mulis. Incipit hoc a querelis de Germanis, sedulis alioquin peregrinarum rerum æmulatoribus, sed in mulis comparandis atque adhibendis supina laborantibus negligentia. Describuntur hac occasione animalia ista, quorum tria genera nominantur, prout vel ab equo & asina, vel ab asino & equa, vel ab ipsis mulis, generentur, atque edantur. Hoc postremum uberius demonstratur, atque ostenditur, hoc pariter animal rerum omnium in origine conditum esse cum reliquis, luxque affunditur loco sacro *Gen. XXIV, 34.* Porro agitur de mulionibus publicis veterum Romanorum. Præcipuum ab istis animalibus veniens commodum est, quod multo viliori pastu alantur, quam equi, multoque majora præstent officia. Tum lecticæ, quas isti subeunt, describuntur. Hic denuo spatium aperitur eruditionem significandi, neque solum locum XII Tabularum, eo qui spectat, sed & varia loca Pandectarum, illustrandi. In censum quoque veniunt bastangarii, sive ministri ejusmodi lecticarum, a bastaga, onere, a mulis lato, sic dicti. Nec, quod de carrucis dormitoriis, de mulionibus carrucaniis, de carrucagio, deque aliis vehiculis, hic afferuntur, negligi debent. *Caput VI* in jura lecticarum, & eodem spectantium personarum, nec minus in querelas, indidem manantes, inquirit. Initium hic fit ab observatione generali, qua meditatio Cel. quondam *Titii*, quod jus male tractetur, quando de personis, rebus, atque querelis, seorsim agatur, neque in unum conjungantur omnia, probatur. Cum hac ipsa conjungitur alia in Professoris quondam pariter Lipsiensis, *Philippi*, Disputationem, *de Rhedis meritoriis*, simulque mentio fit Dissertationis Erfordiensis, *de eo, quod justum est circa aurigas.* Ipse autem rationem

nem

nem tractandi talem secutus est Noster, ut initio leges de lecticis omnes ex Jure *Justinianeo* explicaret, deinde, quid eædem habeant singulare, exequeretur. Fit autem illud non sine annotationibus, quæ laudari merentur, criticis, paragraphis novem. Tandem succedit *Caput VII*, ad emolumenta ærarii publici, statusque civilis, exponenda pertinens, atque significans, qua ratione domini reditus sine subjectorum molestia amplificari per lecticas possint; quippe cum cives singularem potius commoditatem, quam molestiam, inde habeant exspectandam. Consilium hac occasione suppeditatur, ut omnibus in civitatibus, inque ipsis pagis, instituantur lecticæ, dum & ibi sæpius reperiantur ægroti, qui alio modo non facile provehi possint, neque minus tamen templum frequentare cupiant, ut & hac ratione pastoribus insignis afferatur utilitas, quippe quibus utique concedi tale commodum debeat, quanquam male feriati locum *Matth. XXVIII, 19*, & *Marc. XVI, 15*, opponant. Cupit autem, ut sacerdoti ludique magistro præparetur utrique simul apta lectica, non tam ab hominibus, quam mulis, propter viarum crebras sordes, portanda; ut cetera prudentissimi viri desideria taceamus, quæ, quo magis calculum pleraque merentur, eo magis dolemus, dum vereri cogimur, ne propter varias difficultates vix unquam desideriorum fines sint egressura.

*ALEXANDRI POPE, EQUITIS ANGLICANI, ET Poetæ incomparabilis, Commentatio de Homine poetica, ex Anglico idiomate in Latinum translata, & carmine heroico expressa, notisque subjunctis illustrata, per JO. JOACHIMUM GOTTLOB AM-ENDE, bonarum artium Magistrum, ac Diaconum Græffenhaynensem.*

Vitembergæ, sumtibus Jo. Joach. Ahlfeldii, 1743, 4. Plag. $16\frac{1}{2}$.

Nobilitas hujus Carminis non solum ex conversione ejus Gallica, sed & ex controversiis de systematis *Popiani* ratione, apparet. Versio Gallica libera legitur præsertim in diversis

versis Commentationibus literariis & philosophicis (*Mélanges de Litterature & de Philosophie*), Londini A. 1742 duobus Voluminibus minori forma editis. Subjunctæ sunt nonnullis, quæ ibi leguntur, *Popii* lucubrationibus inprimis Epistolæ quædam philosophicæ & morales, in quibus de *Crousazii* dubiis, ad systema *Popianum* quod attinet, atque multo magis de *Warburtoni* defensionibus, certiores fieri possunt lectores. Autor quippe hujus interpretationis ipse partes *Popii* suscipere voluit; unde vel ideo istius conversio præ ceteris appellari meretur, quod mentem *Popianam* assequatur quam maxime. Neque autem, librum illum si quando evolvimus, oblivisci debemus defensionem *Crousazii* contra *Warburtonum* & *Silhouettium*, duabus Epistolis ab Anonymo quodam susceptam. Sed nos hic cancellis in nostris habitabimus. Tria sunt, quæ Interpres Venerabilis, ad Inspectoris sacrorum Portensium munus merito nuper evectus, præstitit laudabiliter. Præfatur, vertit accurate, notas subjungit. Præfatio spectat partim ad Poetam, partim ad ipsum Poetæ interpretem. De *Popio* suum facit, quod illustris *Epistolarum Judaicarum* autor, *d' Argens*, in *Epistola CXII* scribit: *Aux charmes de la Poesie l' illustre Pope joint les instructions de la plus sage Philosophie. On rencontre chez lui Homere & Platon reunis ensemble.* Quid? quod ipse addit, *Homero Popium* multis esse modis præferendum, nec minus, cum *Horatio* ac *Virgilio* si contuleris, hoc idem arbitratur. Suas cuique esse virtutes, concedit; *Popianam* tamen Musam utriusque vim complecti atque expromere; cum vero adulandi vitium illorum utrique adhæserit, id *Popium*, si quid aliud, odisse. Ipse hac de causa *Flacci Maronis*que societatem vivus mortuusque deprecatur, si verum est, quod nemo dubitat, *Popium* suamet funera condecorari voluisse memorabili illo Epitaphio, quod *Operum* ejusdem *Vol. II P. II* legitur:

*Heroes and Kings! your distance keep,*
*In peace let one poor Poet sleep,*
*Who never flatter'd Folks, like you,*
*Let Horace blush, and Virgil too.*

Quo modo inter recentiores Poetas emineat, Ill. *Voltarii* locupletissimum

pletiſſimum teſtimonium in *Lettres philoſophiques Let. XXII* confirmat: *Mr. Pope, c' eſt, je crois, le Poete le plus elegant, le plus correct, & ce, qui eſt encore beaucoup, le plus harmonieux, qu' ait en l' Angleterre.* Neque tamen etiam deſunt, quibus minus ad palatum eſt *Popius.* Mundum, quem incolimus, optimum eſſe, ſtatuit; mala ipſa ad hanc bonitatem refert; harmoniam præſtabilitam cum *Leibnitio* defendit. Talia male inprimis habent Cel. *Crouſazium,* Profeſſorem Lauſannenſem, in examine hominis *Popiani,* contra quem eum defendit *Guilielmus Warburtonus* in Legationis Moſaicæ, divinitus factæ, vindiciis. Audiatur & *Voltairius* in Epiſtolis:

*Pope eſt un ſcelerat, de qui la plume impie*
*Oſe venter de Dieu la clemence infinie,*
*Qui pretend follement, oh! le mauvais Chretien!*
*Que Dieu nous aime tous, & qu' ici tout eſt bien.*

De Poetæ interprete noſtro nos breviter agentes, dicemus, & Poetæ & interpretis eum numeros impleſſe omnes. Vel initium Carminis teſtis erit. Ita autem ille:

*Surge, age! Mæcenas, miſere quos vexat, & urget,*
*Faſtus & ambitio, cunctas res, ſpesque minutas,*
*Regibus utendas linquamus! Vix meat ultra*
*Vita hominis, quam, quod ſenſus contingit & ambit*
*Corporis, ut ſpectet, poſthæc moriatur, & abſit!*
*Hæc, age! mortalis minimum ſpectacula vitæ*
*Attentis oculis procul adſpiciamus uterque!*
*Prodigio, en! ſimilis Labyrinthus, at ordine conſtans*
*Sat certo, en! certis diſtinctus legibus error.*
*En! tibi diffuſos campos, fructus ubi, at una*
*Infelix lolium. & ſteriles dominantur avenæ?*
*Ecce! hortum vetitis tentantem perdere pomis?*
*Conjunctis animis, conjunctis paſſibus, arvum*
*Hoc longe lateque patens luſtremus eundo,*
*Quæ vel tecta latent, vel ſunt manifeſta, notantes!*
*Naturæ varios ſancto occultosque receſſus*
*Auſu rimemur! ſummum ſpectemus & imum!*
*In tenebris quicquid confuſum repit, itemque*

Ætbereis

*Aethereis cœli quicquid versatur in oris,*
*Coram sistamus, dextra solerte prehensum!*
*Queis naturæ viis, quo dirigat ordine gressus,*
*Perquisitu opus est! cursu feriamus in ipso*
*Stultitiam! mores primo videamus in ortu!*
*Si qua opus, & fas est, æquo ridebimus ore!*
*Candor, ubi patitur rerum natura, probetur*
*Integer, ac sceleris purus! Mortalibus autem*
*Divinæ gressus simul & vestigia sancta*
*Justitiæ digito monstremus vindice coram!*

Ad quæ postrema verba in annotatione subjecta hæc leguntur: *Ad hæc Poetæ verba inprimis attendendum est. Continent enim totius Carminis summam, ac finem. De homine commentatur Autor. Hominem, quid de se ipso, quidve de Deo, statuere debeat, edocere studet. Homo cum de rebus aliis, tum de sua maxime miseria, consequenter etiam de providentia divina, conqueri solet. Adeo sunt, qui, humanis tantum intenti miseriis, Dei nunc providentiam, nunc ipsam quoque existentiam, vel in dubium vocare, vel prorsus inficiari, audent. Atque his quidem & querelis, & perversis de Deo opinionibus, Poeta, cum in toto Opusculo, tum in prima hac Epistola, occurrit, Deique sanctitatem & justitiam ab his talibusque obtrectationibus vindicat. Argumenta, quibus utitur, hæc sunt. Adest mundus visibilis. Mundi structura tota, & quicquid in eo est, aliter esse posset, eoque contingens est. Mundus igitur creatus est a Deo. Deus, hunc creando mundum, mundorum omnium creavit optimum, quando Deus, nisi quod undiquaque optimum est, creare non potest. Mundus stupendam, ac prope infinitam, rerum, secum unitarum, multitudinem complectitur. Homo mundi pars est. Terram, partem mundi, si non minimam, at valde tamen exiguam, inhabitat. Viribus intelligendi finitis, & iis admodum angustis, instructus est. Itaque mundi universi compagem nec perspicere omnino, nec exactum de eadem judicium ferre, potest. Itaque naturæ suæ convenienter agit, si judicium suum suspendat, si divinæ providentiæ sese submittat, si, quam divinitus accepit, vitæ melioris spe, ac præsensione, damna sua levet,*

*vet, certo persuasus, nihil in mundo occurrere imperfectionis, nihil ἀταξίας, quin ad perfectionem & τάξιν universi faciat, & unumquodque malum particulare sit ac fiat, divino consilio, bonum generale. Peccatum ipsum, sive malum morale, culpa hominis, libertate sua abutentis, oriundum, per Dei directionem sapientissimam, cedit in bonum. Itaque, quicquid est, ex mente & intentione divina, habitoque ad universum respectu, justum est ac bonum. Secus si cogitat homo, sorte sua non contentus, perperam cogitat, Deum offendit, fastum prodit, ac rebus suis pessime consulit. Hæc systematis Popiani summa est. Hinc, quicquid duriuscule a Poeta dictum videtur, dijudicandum est. Ego quidem, hæc commemorando, non judicem & arbitrum, sed interpretem, ago.* Neque nos opus esse putamus, de omni doctissimi *Am-Ende* conatu, quem laude nemo non dignissimum judicat, copiosius hic commemorare. Lectorum quilibet velut ex hoc ungue leonem agnoscet, calculoque ipsemet suo cetera omnia probabit. Præmium quoque Vir egregius laborum suorum tale nuper, quale meritus fuerat, tulit, eidemque plures in dies fortunæ & honoris accessiones ex animo comprecamur.

## *VINCENTII VICARII, VICETINI, COLlegii Nobilium Sancti Francisci Salesii, ab ipso instituti, moderatoris, Carmina.*

Patavii, typis Seminarii, 1740, 8 maj.

Plag. 6.

Pauca sunt, quæ quidem elegantibus hisce Poematibus habemus præfanda. Continent eadem genere inprimis heroo atque elegiaco Carmina 44. Initium faciunt Eclogæ, quarum prima *Thyrsidos* querelas de obitu *Euryphiles*, conjugis, complectitur, exercitationis gratia scripta. Alterius nomen est *Anelpus*, agens de felicitate vitæ rusticæ, ac de obitu optimi adolescentis, Comitis *Vincentii a Vulpe*, qui, a patre literarum reique rusticæ studiosissimo, Comite *Julio a Vulpe*, Autori in disciplinam traditus, lento morbo absumtus interiit. Sequitur

quitur *Amyntas* in obitum Comitis *Leonardi Trissini*, qui, spectaculis quibusdam intentus, evulso repente vi ponderis veteri ferreo podio, volutus in caput, in ipso juventutis flore interiit. *Ecloga IV*, *Daphnis* nomine, memoriam meritorum defuncti præceptoris, *Jac. Giacometti*, Patavini in patrio Gymnasio morum Professoris, conservare Autor studuit. Hasce excipiunt Epistolæ, Fabulæ, Epithalamia, Gratulationes, Epigrammata, & id genus alia. In Epithalamiis *Catullum* atque *Ausonium* imitari videtur, caste tamen & caute. Alterum heroum repetit sæpiuscule versum:

*Dicite Hymen Hymenæe Hymen vos dicite Nymphæ.*

Alterum elegiacum elegis crebro superaddit:

*Dicite Hymen Hymenæe Hymen venias Hymenæe.*

Nos autem exempli loco huc transferemus Carmen numero 24, hujus exempli:

*Quid prodest, varios Lunæ te nosse labores,*
*Solis & ignotas, Pontice, scire vias?*
*Quidve, Indus nostro quam longe distet ab orbe,*
*Aut quæ in finitimos Thracia bella paret?*
*Quid juvat, argutas impellere pectine chordas,*
*Et canere ad cytharæ carmina docta sonum?*
*Quid, vel si innumeras prosternens ense catervas,*
*In patriam niveis post reveharis equis?*
*Naturæ valeant arcana, arma, atque Camœnæ,*
*Ad bene vivendum si nihil ista valent.*
*Quid tibi tot maris & terræ subiisse labores,*
*Alcide, & clavæ fortia facta tuæ?*
*Si molles inter pensa absolvisse puellas*
*Fœmineo addictum novimus imperio?*
*Quid tibi, Alexander, devictus profuit orbis,*
*Si tua tam carum vulnerat hasta caput?*
*Ergo animum regere & summi properemus, & imi;*
*Hoc primum prisci tum studuere patres;*
*Cum sine sepe forent horti, & mage dulcia quercus*
*Hyblais ferrent roscida mella favis.*

Quid

*Quid verum a falso, a turpi quid distet honestum,*
*Quærere, fac, aliis omnibus anteferas*
*Artibus ac studiis: te vita & corpore purum*
*Evehet ad superos gloria vera Deos;*
*Sub pedibusque tuis vatesque ducesque videbis,*
*Mœrentes, animum non domuisse suum.*

Inter Epigrammata hoc inprimis placet:

*Si credis, Gelli, proavum qui clara sequuntur*
*Facta, hos se atque suos nobilitare magis,*
*Nil falsi credis, splendorem quando nepotes*
*Valde augent generis dexteritate sui.*
*Quod cum ita sit, Gelli, illud te quoque credere fas est,*
*Degenerem clarum dedecorare genus.*

Sub finem adjuncta legitur Poetæ nostri Oratio in funere *Sebastiani Venerii*, Antistitis Vicetini, qua quidem, in eloquentia se libera æque versatum esse, ac in ligata, demonstrat. Ortus erat ille *Sebastianus* Venetiis ex *Veneria* gente patricia atque antiquissima, patre *Nicolao*, ædis D. *Marci* Procuratore. Cum quatuor ejus fratres summas in re publica dignitates capesserent, ipse civitatem sacram suorum votis prætulit. Antea tamen scientiam ac prudentiam itineribus juvit, fratris maxime ad Gallorum Regem & ad Imperatorem Legati comes. Inde *Clementis XI* tempore Romam profectus, domesticis statim atque intimis Prælatis annumeratus est. Cum postea *Joannes Baptista* pater purpuratus *Rubinus*, antistes Vicetinus, hoc suum munus deponeret, statim illud *Venerio* cessit. Muneri præfecto nihil magis curæ fuit ad ultimam usque ætatem, quam ne quid oves in agro præsertim pastorum vel inscitia, vel indiligentia, vel turpitudine vitæ, paterentur detrimenti, unde & nullum aut gratiæ, aut intimorum benevolentiæ, locum reliquisse dicitur. Monebat igitur sæpissime curæ suæ commissos, nunquam nimium studii ac laboris impendi defendendis a luporum impetu ovibus; immo & liberorum communem se patrem dicebat ac gerebat; utque multa paucis complectamur, ex testimonio laudantis, laude dignissimi Antistitis explevit numeros.

## *JO. MATTHIÆ GESNERI, ELOQU. ET Poeſ. in Acad. Georgia Aug. P. P. O. Acad. a Bibliotb. Seminar. Philol. & Scholar. major. Inſpector. Soc. Reg. Bruſſ. Sodalis, Carminum Libri III.*

Vratislaviæ, ſumtibus Jo. Jacobi Kornii, 1743, 8 maj.

Plag. 7.

*Plaudite, Romanos habet & Germania vates!*

Non eſt, cur longam eorum ſeriem producamus. Unus ſufficit *Geſnerus*. Quæ coram ſunt Carmina, ingenium, quo non eſt ullum præſtantius, teſtantur. Gratulamur Academiæ Gottingenſi Virum, quo & Oratore gaudet & Poeta, nec Rhetore minus, quam pangendi carminis doctore. Gratulamur excellentiſſimo Autori novam famæ acceſſionem, ex politiſſimis hiſce Carminibus certiſſime exſpectandam. Quorum Carminum quo inſigniora ſunt decora; hoc majores & Autori celeberrimo, & cariſſimo bonis omnibus *Uhlio*, alteri de conceſſa edendi venia, alteri de ipſa edendi cura ſuſcepta, gratias agimus. Ut ſigillatim de argumentis conſtet, *primus Liber* continet pietatem Academiæ Georgiæ Auguſtæ, ſive Alcaica Carmina, nomine publico ſcripta, cum *Georgius II*, Britanniæ Rex, patriam Germanicam obiret; cum *Fridericus Ludovicus*, Walliæ Princeps, cum Auguſta Gothana nuptias celebraret; cum primus nuntius de obitu *Carolinæ* Reginæ veniſſet; cum publica huic Reginæ juſta perſolverentur; cum nepos *Georgii*, Dux Cornwalliæ, naſceretur; cumque demum *Maria* filia nuptias cum *Friderico* Haſſo concelebraret. *Secundus Liber* comprehendit Strenas, ſive Calendas Januarias, *Frid. Gottbilf Marſcballo* dicto *Greiff*, Mæcenati quondam Vinarienſi, oblatas. Has inter præcipue Gryphes ſunt, in *Chreſtomathia* quoque *Pliniana n. 108* comparentes, indicatis ſimul, unde hauſerit Noſter, fontibus. Ceteræ inſcribuntur Cygni, Horti, aurea Carmina Burgundica, Ἀλεκτοροστρουθιομαχία, *Delphinus Plinianus Epiſt. IX, 30*, Malum Punicum, & Fortuna redux. Aurea nominatim Carmina,

*Pytha-*

*Pythagorica* æmulata, ſcripta erant lingua Gallica, deinceps *Marſchalli* auſpiciis condita verſu Germano *Sal. Franci*, altero in Carminum faſce, ubi & Gallica pariter leguntur. Dicuntur autem in Burgundiæ Ducis pretioſa ciſtella, ut *Homerus* olim in narthecio, ſervata fuiſſe. Pugnam paſſeris & pulli, literis *J. M. G.* ſignatam, Germanice quam converteret, dignam habuit Cel. *Gottſchedius*, in cujus Carminibus hæc legitur *pag. 667 ſeq.* Sed nos ad *Librum* Noſtri *tertium* accedimus. Habet ille miſcellanea, ſingulatim Oden ſecularem anni 1730, converſiones quasdam ex Italicis *Marini*, ad perpeſſiones *Chriſti* ſpectantibus, Soteria pro Illuſtriſſimo Heroe *Gerlaco Adolpho de Münchhauſen*, Hendecaſyllabos in Bibliothecam Vinarienſem, Epicedium in puellam primis vitæ diebus defunctam, Epithalamium, Natalitia quædam, Idyllia, Carmen in Gottingam, gratulationes, Ill. *Georg. Henr. Ayrer*, Doctori recens creato, ac ſponſo, conſecratæ, Carmen, ut & Epiſtolam, ad Cel. *Paulum Gottlieb Werlhofium*, quem ἰατροῦ φιλοσόφου καὶ φιλολόγου καὶ φιλανθρώπου titulo mactat, nec minus alia quædam, una cum laudibus *Geſneri*, ab amicis profectis, quibus calculum jure noſtrum adjicimus. Speciminis autem loco vel duo Epigrammata excerpemus. Alterum, quod compoſuit Cel. Autor in imaginem Illuſtriſſimi *Münchhuſii*, hoc eſt:

*Zopyre, dic, quis hic eſt? Aut eſt Munchhuſius, aut eſt*
*Muſarum templo pictus Apollo? Tenes.*

Alterum in amici nuptiis fudit:

*Sit tibi, quæ fauſto jungenda eſt omine virgo,*
*Sara, Rebecca, Rahel, Juno, Minerva, Venus.*
*Sed non imperioſa, nec aſtu plena, nec æſtu,*
*Rixis atque armis, perfidiaque, carens.*

Talia niſi acute & eleganter ſcripta dicas, jam demum, quid ſit eleganter & venuſte ſcribere, ignorare nos fatemur.

## *CLERICORUM REGULARIUM CONGREgationis Theatinæ, qui per Quadragesimam de suggestu S. Petronii Bononiæ in annum usque MDCCXXXV dixerunt, Elogia, Philopatriis Bononiæ Sociis conscribentibus; ad Amplissimum Clarissimumque Virum, D. JO. AUGUSTINUM TOLOTTAM, Concionatorem in eadem Basilica loquentissimum.*

Bononiæ, ex Typographia S. Thomæ Aquinatis, 1735, 4.
Plag. 3½.

Elogia hic XX reperiuntur Virorum maximam partem celebrium. Nos, ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν, paucula de singulis excerpemus. D. *Petrus Antonius de Ponte*, nobilissimis natus dynastis Neapolitanis, ex Equite Hierosolymitano Theatinus factus est A. 1590. *Paulo V* promovente Æcanæ, sive Costæ Annibalis, Antistes A. 1607 consecrabatur, legatione pariter ad *Ferdinandum* Austriacum functus. D. *Vincentius Gilberti*, Saponariæ natus apud Neapolitanos, Clericorum regularium præpositus fuit generalis, decessit, firmiore valetudine usus, A. 1656, ætatis nonagesimo quarto. D. *Placidus Filingeri*, patria Neapolitanus; infulas Mantuanas & Taurinenses oblatas refutavit, neque Præpositi generalis dignitatem assumere voluit; decessit septuagenario major Neapoli A. 1656. D. *Thomas Guindacius*, itidem apud Neapolitanos patricio genere ortus, vel puer sese A. 1611 Theatinis addixit. Tanta fuit populi ad eum audiendum proni inclinatio, ut ingenti concursu non semel auditorum humeris ad pulpita portatus fuerit, id quod a singulari modestia, gravitateque Aquinatis Angelici doctoris, quo veluti duntaxat ad dicendum utebatur, & ab assidua ejus vel invocatione, vel operum lectione, se hausisse fatebatur. Mortuus est Neapoli A. 1649, ætatis 54. D. *Franciscus Marinus*, patria Venetus, emensus non semel Italiam, huc atque illuc evocatus, magnum ubique nomen sibi peperit. D. *Ludovicus Antinorius*, patria Neapolitanus, veteri tamen gente Florentinus, inter primarios per Italiam sui temporis Oratores

tores habebatur, oratione non vehementi, sed leniore, qualem *Chrysostomus* jam olim probavit. Bononiæ in cathedra sacra dixit A. 1641, porro functurus hoc munere, nisi, grassante Neapoli populari lue, fuisset & ipse eodem morbo correptus, quo e vivis excessit A. 1656 morte & immatura, & luctuosa. D. *Thomas Moles*, adhuc puer, reluctanteque fumosis majorum imaginibus splendida apud Neapolitanos gente, Theatinis se A. 1617 adscribendum curavit. Summa Ordinis Præfectura ornatus fuisset, nisi fortiter eam recusando in alium devolvisset. D. *Placidus Carafa*, post præclara multa eloquentiæ sacræ specimina edita, Hispanorum a Rege Motulensis Antistes designabatur, quam spartam deprecatus, superiori jussu alteram Acerrarum coactus est dioecesin sacram administrare, quod ad mortem usque, seu annum 1674, peregregie fecit. D. *Franciscus Maria Caracciolus*, de principe apud Neapolitanos familia, eaque Theatinis uberrima, utpote ex qua ultra XL Clerici regulares prodierunt, affinem habuit *Carolum Carafam*, ex dynastis Rocellæ patrem purpuratum, & ab A. 1665 Legatum. D. *Augustinus Bozomus*, patre Januensi in Apulia natus, educatusque, Licii in Salentinis Clericis regularibus A. 1627 adscriptus fuit. Genere dicendi utebatur robusto virilique, & quod in animum auditoris penetrabat. Ordinis cum celebrarentur comitia, subito suorum omnium consensione suprema Præfectura decoratus est A. 1658. D. *Franciscus Maria Moles*, Neapoli A. 1637 nobilissima dudum Hispaniarum gente natus, A. 1683 denatum *Philippum Cæsarinium*, Nolanum Antistitem, quanquam æger corpusculo laboribusque fractus, excipere in munere coactus est, quod usque ad annum 1695 administravit, deinceps vero conscientia vir delicatissima oneri cessit, ac biennio post Neapoli obdormivit. D. *Jo. Baptista Arata*, ex Rapallo in ora orientali Ligustici maris oriundus, Panormi A. 1621 natus est, fratrem imitatus, Clericorum regularium institutum A. 1636 amplectebatur. Romæ tum inter curiæ patres, tum inter Ordinis majores Præsules, adscitus, demum, largiente *Alexandro VIII*, Liparensem cœtum post obitum *Francisci Aratæ*, fratris, regendum

dum accepiſſet, niſi huic muneri vitam privatam prætuliſſet. D. *Hieronymus Ventimiglia*, ex Baronibus Panormi natus A. 1644, cum eloquentia floreret, a Gallis, Italis, Hiſpanis, Germanis, expetitus, præter alios, quibus fuit auctus, honores hunc meruit ſplendidiſſimum, ut Madriti ac Viennæ titulo regii imperatoriique Oratoris ſacri mactaretur, & tam *Philippo IV*, quam *Leopoldo I*, eſſet cariſſimus. Hinc ab *Innocentio XII* Liparenſis Antiſtes conſtituebatur A. 1694. D. *Cajetanus Maria Mazzolini*, Ferrariæ nobili gente natus, Romæ diu vixit celeberrimus. D. *Petrus Cavalcante*, patria Cuſentinus, patricio ſanguine editus, a *Clemente XI* Romam arceſſitus, infulis Puteolanis ornabatur A. 1715. D. *Joſeph. Amadeus Perini*, Auguſtæ Taurinorum natus, Clericis ſe regularibus A. 1674 obſtrinxit. Hinc ad convertendos mittebatur, qua occaſione plures oblatos honores detrectavit. Obiit denique A. 1712. D. *Joſeph. Maria Brembati*, Bergomenus, ex gente patricia, Ordini ſe Clericorum regularium dedit A. 1684, atque illius ſuprema præfectura decorabatur A. 1731. D. *Antonius Maria Brembati*, alter fratrum. D. *Cajetanus Maria Brembati*, natu minimus, atque immatura morte exſtinctus. Agmen claudit, cui Commentatio dedicata fuit, D. *Jo. Auguſtinus Tolotta*. Hujus adeo vitæ ſubjunguntur ſequentia: Philopatriorum ſocietatis nomine, qui, poſt ſuos fratres, Ordinis Prædicatorum alumnos, inter cariſſimos habet Theatinos, Elogiorum extenſor, & ſocietatis conſervator perpetuus, *Alexander* J. C. Colleg. *Macchiavelli*, Publ. Leg. in Archigym. interpres, Philoſ. Platon. ſanctiſſimæ Inquiſit. Conſultor, &c. obſequentiſſime devovet. Hæc ſunt, quæ notari merentur; cetera uniuscujusque in dicendo dexteritatem fere denotant, ſed neſcio quo ſiniſtro caſu loquentia tribuatur plurimis. Stilus denique ab aurea ætate longius recedit.

---

Prodierunt haud ita pridem prelo noſtro *Miſcellaneorum Lipſienſium Novorum Voluminis II Partes ſecunda*, *tertia*, & *quarta*, quæ *Voluminis* ultima eſt; quarum argumenta proxime in his *Actis* copioſius perſequemur.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Maji Anno MDCCXLIV.*


---

*T. LIVII, PATAVINI, HISTORIARUM ab Urbe condita Libri, qui supersunt, omnes, cum Notis integris LAUR. VALLÆ, M. ANT. SABELLICI, BEATI RHENANI, SIGISM. GELENII, HENR. LORITI GLAREANI, CAR. SIGONII, FULVII URSINI, FRANC. SANCTII, J. FR. GRONOVII, TAN. FABRI, HENR. VALESII, JAC. PERIZONII, JAC. GRONOVII; excerptis PET. NANNII, JUSTI LIPSII, FR. MODII, JANI GRUTERI; nec non ineditis JANI GEBHARDI, CAR. ANDR. DUKERI, & aliorum: curante ARN. DRAKENBORCH, qui & suas Annotationes adjecit. Accedunt Supplementa deperditorum T. LIVII Librorum, a JO. FREINSHEMIO concinnata.*

*Tomus V.*

Lugduni Batavorum, apud S. Luchtmans, & Amstelodami, apud Jo. Wetstein, & A. Schoonenburg, 1743, 4 maj. Alph. 6 plag. 5.

Si nihil aliud a nobis ageretur, nisi ut, quam diligenter & erudite scriptor quisque rem ad expoliendum sumtam tractasset, pronuntiaremus, paucis verbis jam defungi possemus. Neque enim aliud quidquam haberemus dicere, præter hoc unum, ut, nos admirari, fateremur, etiam in hoc *Volumine* probatam eruditionis veteris copiam, in excutiendis comparandisque Codicibus & scriptis & editis diligentiam, in emendando elegantiam eruditamque modestiam, denique invictam in labore pertinaciam. Sed absit hoc a nobis, ut, quam rationem in superioribus *Voluminibus* secuti sumus, eam derepente relinquamus, &, cum effecerimus, ut rectius de opera *Drakenborchiana*

*kenborchiana* sentiant homines nostri, nec in jejuna variantium lectionum enumeratione consumi arbitrentur, nunc eorum favorem, & degustandi hujus *Voluminis* cupiditatem, destituamus.

Habemus autem in hoc *Volumine* omnes *Livii*, inde a *XXXVII*, *Libros*, cum aliorum, tum inprimis *Dukeri* & *Drakenborchii*, Virorum Clarissimorum, opera illustratos, & ad fidem veterum Codicum MStorum & editionum emendatos, cum suis cujusque epitomis: lacunas *Libri XLI, XLIII, XLIV*, & *XLV*, a *Freinshemio* expletas: ejusdem denique *Supplementa Liviana* a *Libro quadragesimo sexto* ad *sexagesimum*, Epitomis antiquis cuique præmissis: reliqua in sequentem *Tomum* cum *Appendice Liviana* & *Indicibus* rejecta. De Notis sic dicemus, ut primo, capite aliquo proposito, quid ei commodaverit Vir Clarissimus, commemoremus, deinde per priores *quatuor Libros* passim vagemur.

*Lib. XXXVII Cap. 19* exponitur, quo eventu *Æmilius* Proprætor cum Rege *Eumene* & Rhodiis de pace ab *Antiocho* tentata deliberarit. Ab initio *Æmilius* dicitur *habuisse* sive *concilium*, sive *consilium*. Hoc *Aldina* eamque secutæ plures habent. *Modius* autem illud induxit, unde in sequentes editiones, etiam *Gronovianas*, manavit, a quo tamen discrimen inter *concilium* & *consilium* rectissime explicatum habemus ad *Liv. XLIV, 2. Drakenborchius* recte secundum *Aldinam* pronuntiat: primo ex iis ipsis, quæ a *Gronovio l. c.* sunt constituta; deinde e Codice Moguntino, cujus maximam autoritatem esse constat. Sane non uno alio loco vidimus in *Gronoviana* superesse *concilium*, ubi ex ipsius decretis *consilium* poni debebat. Mox *Gronoviana* habet: *obsessi leges pacis accipiemus?* Ibi vocem, a *Gronovio* primum omissam, & in omnibus MStis obviam, *velut* ante *leges* restituit. Porro *Eumeni* in sententia, quam de causa proposita dicit, hæc verba tribuuntur: *cui rata ista pax erit, quam sine Consule, non ex autoritate Senatus, injussu populi Romani, peregerimus.* Hic *Gronovio* debetur *injussu*, sed e Codice MSto ductum, repudiata lectione *Aldi: non jussu.* Ea vero quoniam est a Codice Moguntino, deinde ista repetitio particulæ *non Livianæ* formæ apta, ut ad *VIII, 34, XL, 15*, notatum est, Vir Clariss. reposuit: non *ex autoritate Senatus*, non *jussu populi;* quod nobis etiam majorem vim habere videtur. Jam attentus

tentus & latine doctus lector sine dubio hærebit in verbis: *pax, quam peregerimus*, inprimis varietate Codicum MStorum monitus. Nam, ut mittamus, quod Vir Clariss. dicit, *pacem peragere* sibi nondum observatum esse: etsi latine dici posse arbitramur *peragere pacem*, tamen nihil aliud significare potest, quam perficere pacis negotium, ut ea certa & rata sit. Id autem quomodo hic locum habet, cum nulla Romanis pax rata esse & absoluta potuerit, nisi quam Senatus probasset, populusque jussisset? Itaque, cum & Codex Moguntinus, & duo Loveliani, & S. Victoris, a *Crevierio* consultus, habeant *pepigerimus*, rectissime fecit Vir Clarissimus, quod eam lectionem post *Crevierium* recepit. Sic *Scipio XXXVIII, 48*, cum Antiocho *pacem pepigisse* dicitur; verba autem *peragere* & *pangere* in MStis confundi, etiam alio loco notatum est, ad *VII, 2*. Non ita multo post dicitur *Antiochus* Adramytteum petisse, *vastatis Elaeensium primo, deinde Pergamenorum, agris*. In his lectio *vastatis* est ab *Aldo*, e Codicibus tamen scriptis sumta. Antea edebatur *vastandis*, quod in pluribus Codd. reperitur. In aliis autem est *evastandis*, quod *Modius* jam advertit. Has lectiones comparans idem ille *Modius*, judicavit, scribendum *evastatis*. Cujus judicium secutus Cel. *Drakenborchius*, in contextum recepit id verbum, haud paulo majorem vulgato vim habens, & *Antiochi* animo, ob spem pacis frustra tentatam irato, apprime conveniens, *Livio*que in hac re frequentatum. Conf. *XL, 22, XLII, 40, XLIV, 46*, &c. Porro *Antiochus* petiit *agrum opulentum*, *quem vocant Thebes campum*, *carmine Homeri nobilitatum*. Hæc verba locum fecere reprehensioni, a *Valesio* ad *Exc. Vales. pag. 13* *Livio* intentatæ; quod nuspiam *Homerus* agri hujus opulentiam celebraverit. *Livius* defenditur primum a *Vossio* ad *Melam I, 18*, hoc argumento, quod *Iliad ζ' Ection* habitasse dicatur in ὑποπλάκῳ ὑλήέσσῃ, quod ad campum Thebes pertinet; deinde a *Jac. Gronovio* in Diss. *de Voce μέγας*, ubi ostenditur, apud *Livium* haud insolens esse, ut adjectivum substantivo alii conveniat, quam cui tribuatur; (vid. *Drakenb.* ad *Liv. IV, 8*,) quam rationem Poetis inprimis solennem esse scimus: ex eo fieri, ut *nobilitatum* ponatur pro *nobilitatæ*. *J. F. Gronovius* autem huic incommodo sic medebatur, ut *nobilitatæ* legendum

diceret. Ea conjectura si probatur, *Valesiana* reprehensio concidit; meritoque hoc remedium ceteris præfertur a Viro Clarissimo, quod id etiam unus e Codicibus *Lovelianis* offert. Ceterum in loco hoc interpungendo secutus est *Crevierium* Vir Clariss. qui sic rescribendum docuit: *evastatis - - agris, relicto ibi Seleuco, filio, Adramytteum hostiliter itinere facto, petit agrum opulentum, quem vocant* &c. Statim post sic est: *Eodem Adramytteum – Æmilius & Eumenes venerunt.* *Hearnio* jam notatum est, nomen urbis a *Sigonio* deletum esse, quod faciendum judicavit etiam *Crevierius.* Sane glossema olet, nihilque culpandi sunt viri docti, quod ita senserunt. *Drakenborchius* autem, idem sentiens, tamen, quoniam in omnibus scriptis reperitur, in contexto reliquendum putavit. Hæc ille ad hoc caput unum, idemque paucorum versuum. Misimus autem ceteram lectionis varietatem, diligenter notatam; quæ vel cogitandi materiam præbere peritis, vel alibi advertendis librariorum lapsibus inservire possit: in qua re quantum adjumenti universo hoc *Drakenborchiano* labore adjunctum studiosis artis criticæ sit, alio loco dicemus. Sed, uti proposuimus, alia etiam delibemus.

Ad *Libri* ejusdem *Cap. 47* duæ sunt egregiæ *Dukeri*, Viri Cel. observationes, altera pro *Gruchio* adversus *Sigonium*, qua planissime ostenditur, quod Consul unus creatus *Fulvius*, cum ceteri Candidati centurias non explessent, postero die *Collegam dixit Cn. Manlium*, id non eam vim habere, quam in Dictatore dicendo habet, sed hanc, ut is postero die, Comitiis repetitis, a populo creatum renuntiaverit, sicuti Consul etiam interdum dicitur *creasse Consules*, quod tamen est populi, cum nihil aliud ille fecerit, quam ut creatos renuntiaret: altera adversus *Spanhemium*, qui in immortali *de Præst. & usu Num.* Opere, cum in duabus *Livii* editionibus antiquis invenisset duo *M. Fabii, Labeo & Pictor*, pro vulgato *Q. Fabii*, emendari voluit *N. Fabii*, hoc est, *Numerii.* Ut alia argumenta mittamus contra eam sententiam, certissimum hoc est, quod, cum prænomen, a *Livio* positum, debeat esse commune utrique, satis tamen constet, *Labeoni* prænomen *Quinti* fuisse. Nam id ei tribuitur constanter infra *Cap. 50, 6, Lib. XXXVIII, 39, 47,* in omnibus scriptis & editis, item in Fastis triumphalibus, deinde *Polybius* appellat Κόϊν-

τον.

*τον. Ibid. Cap. 41* in deſcriptione curruum falcatorum, qui fuere in exercitu *Antiochi*, hæc verba ſunt in vulgatis: *Cuſpides circa temonem ab jugo decem cubita exſtantes, velut cornua habebant, quibus, quicquid obvium daretur, transfigerent.* De hoc loco *Schefferus de Re vehic. II, 15*, ita exiſtimat, ut primo *decem* ad *cuſpides* referat, pro *cubita* autem legat *cubito*. In hac ſententia *Drakenborchio* recte diſplicet hoc, quod *decem* alieno loco ponantur, turbatioremque ordinem habeant verba. Neque tamen credit, cuſpides decem cubitorum longitudinem habuiſſe. Ipſe autem duplicem conjecturam proponit: primam hanc, ut legatur: *circa temonem & ab jugo;* quod etiam apud *Curtium IV, 9*, currus falcati haſtas ex temone præfixas, & gladios a jugo directos, habent. Hoc autem ſumto, *cubita* ita erunt exponenda, ut quæque cuſpis exſtiterit unius cubiti longitudine; qui modus pluralis numeri uſurpandi apud *Livium* paſſim reperitur, ut ipſe jam oſtendit ad *IV, 15, XXIX, 15*. Sin hoc non probetur, vitium erit in verbo *decem* quærendum, idque ad minorem numerum redigendum; ut ad *cubita* referri poſſit. *Xenophon* in *Cyrop. Lib. VI pag. 153* in curribus falcatis *Cyri* refert δρέπανα σιδήρεα ὡς διπήχεα πρὸς τὰς ἄξονας. Forte igitur legendum: *duo* vel *bina cubita* exſtantes. Id fit probabile hoc argumento, quod notæ numerales *X* & *II* in libris permutantur interdum. Sic IIvir pro Xvir ſcriptus erat *IX, 34*. Conf. ad *XXXVIII, 7, XLIV, 45*. Quod autem hoc modo numerus cuſpidum non exprimitur, id hoc minus debemus mirari, quod nec *Diodorus Siculus*, nec *Xenophon*, nec *Curtius*, eum prodidere. Utraque conjectura ita elegans eſt, ut nobis difficile ſit optare. Quod autem ad *XXXVIII, 24*, extr. pro *aliaque ſanctitate & gravitate vitæ* cum *Burmanno*, Viro Clariſſ. conjicit legendum *reliquaque;* in eo ipſi adſtipulari non poſſumus. Mirari aliquis poſſit, quomodo Viro in lectione *Liviana* tritiſſimo, qui omnes *Livianos* dicendi modos diligentiſſime perſecutus eſt, non in mentem venerit, *aliaque* eſſe exquiſitius, quam *reliquaque*, eumque verbi ſenſum apud *Livium* alioſque paſſim obvium eſſe. Sic *Cap. 26 velites & alia turba auxiliorum; XL, 12, ut & hoc ſuſpectum alio vitæ noſtræ tenore faceret*, qui locus eſt illi ſimillimus; *VII, 26, inter primos*

*atrox pugna fuit*, *alia multitudo* &c. Sed hæc ludibria doctiſſimo cuique memoria facit; neque ab iis quisquam ſibi ſatis cautum debet putare. Illud autem ſine dubio aut ſcribæ, aut operarum typographicarum, aut correctoris, peccatum eſt, quod ad *XXXIX, 23, pag. 344*, in Nota *Dukeriana Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus* A. U. DCXCVII patre *Claudio Marcello*, plebejæ gentis, natus dicitur, idque ex *Cic. XV Ep. Fam. 10*, & *Aſcon.* in *Div. in Verr. IV*, intelligi. Exciderunt ſine dubio poſt notas numerales verba: *Conſul fuit.* Correctoris negligentiæ etiam hoc tribuendum, quod *XXXIX, 53, 3*, in Notis dicitur *τὸ tamen* deletum eſſe, in contextu autem relictum eſt. Ceterum, quod in ſuperiori illo loco Vir Clariſſ. non probat *Manutii* conjecturam, quare ille *Marcellinus* potius, quam *Claudianus*, dici voluerit, nempe ne e *Pulchris*, aut *Neronibus*, patriciis videretur eſſe, in eo ipſi aſſentimur. Neque tamen plus conjecturæ, ab ipſo *Dukero* prolatæ, tribuimus, quam ipſe. Si neceſſe eſſet, ejus rei rationem reddere, hac potius de cauſa factum diceremus, ut a *Cn. Cornelio Lentulo Clodiano*, ex familia *Claudia* patricia in *Corneliam Lentulorum* adoptato, qui cum *L. Gellio* Conſul A. U. DCLXXX fuit, diſcerni poſſet. In *Lib. XXXVIII Cap. 29* quæritur, quid ſit *ſcutale*. Duplex eſt ſententia. Altera fundæ ſinum facit, altera habenam. Hanc *Turnebus* & *Lipſius*, illam *Glareanus*, *Marc. Donatus*, *Salmaſius*, probant, eaque Lexica obſidet. *Dukerus Lipſianam* defendit, hoc argumento, quod altera, quæ ſinum fundæ facit, non explicat, quid apud *Livium* ſit *habena non ſimplex* fundæ, & quomodo *triplex ſinus ſuturis duratus* effecerit, ut *glans velut nervo miſſa excuteretur*, quæ facile intelligantur, ſi ſcutale de habena capiatur. Fatendum eſt, hæc non ſine ſpecie opponi. Videbatur autem nobis altera ſententia ſic defendi poſſe. Primo non intelligitur, quomodo Latinis in mentem venerit, habenæ loco *ſcutalis* nomen tribuere, quod a *ſcuto* dicitur, & cui tribuendo ſimilitudo aliqua locum fecerit neceſſe eſt. Ea difficultas non exiſtit, ſi ſinum fundæ ſignificat, in quo glans ponitur. Deinde, ſi triplex e corio ſinus ſit, intelligendum eſt, fieri etiam triplicem habenam, ſuturis æque connexam, ac ſcutale, & duratam, ſingulis ſcutalibus, una cum habenis ab utra-

que

que parte, ex eodem corio fectis, ita ut tota funda triplex sit qua ratione difficultatem, a *Dukero* motam, sublatam putamus. Quodsi istæ rationes ad afferendam illam verbi vim valeant; non absurdum foret, *Lib. XLII Cap. 65* in verbis: *funda media duo funalia imparia habebat*, legere *duo scutalia*. Sequitur enim: *cum majori sinu libratum spiculum funditor habena rotaret*. *Major sinus* est *majus scutale*, & respicit ad illud, quod dixerat, *duo scutalia imparia habebat*, non ad *imparia funalia*, quæ nihil aliud esse possunt, nisi ipsæ habenæ, neque in funda locum habere possunt. Inter instrumentà luxuriæ, ex Asia Romam advecta, *Lib. XXXIX Cap. 6* memorantur etiam *plagulæ*. Ejus quoque verbi duplex interpretatio a *Turnebo* proposita est, ut sint vela, quibus lecti & lecticæ involverentur, vel intenderentur. *Torrentius* autem ad *Suetonii Tit. 10* vela, quibus fenestræ lecticarum clauderentur. Quod de velis lecticarum dicunt, probari posse, Cel. *Dukerus* putat, si satis constaret, lecticas jam tum Romæ in usu fuisse. Sed hoc incertum est, fatente *Lipsio Elect. I, 19*. Probabiliorem autem putat interpretationem de velis lectorum. Nam, cum jam olim in Asia mos fuisset, parietes velis pretiosis obtendendi, & iisdem lectos circumdandi, ut multis ostendit *Brissonius de Regn. Pers. Lib. II §. 144 seq.* illa quoque luxuria peregrina tum ab exercitu Asiatico Romam venire potuit. Itaque *plagulas* hoc loco accipit tapetas & aulæa, quæ parietibus & lectis obducebantur. *Varro* quidem apud *Nonium* voc. *Culcita*, & *Afranius* voc. *Plaga*, videntur plagulas dixisse pro veste stragula; sed ea significatio hic locum habere non potest, quia vestis stragula separatim commemoratur. Difficilis porro locus est & variis interpretationibus agitatus eodem *Libro Cap. 40* de subscriptionibus censoriis: *Patrum memoria institutum fertur, ut Censores motis senatu adscriberent notas. Catonis & aliæ quidem acerbæ orationes exstant in eos, quos aut senatorio loco movit, aut quibus equos ademit; longe gravissima in L. Quintium oratio est* &c. Difficultas maxime est in verbis primis, quæ quidam non dubitant ita interpretari, ut *Cato* subscriptionum autor fiat. Id per verborum *patrum memoria* vim probari non posse, breviter, sed accurate, docet Cel. *Dukerus*. *Drakenborchius* autem late & erudite disputat

putat contra *Gundlingium*, Halensem nuper JCtum, qui in *Gundlingianis P. XVI p. 67 seq.* improbatam a *Dukero* sententiam ornare instituit. Is originem rei retulit ad legem *Oviniam*, cujus mentio apud *Festum* in Voc. *Præteriti*, quam ille tamen in *Orchiam* mutavit, hoc argumento, quod *Oviniæ* legis nuspiam mentio exstet. Ceterum, *Catonem* autorem subscriptionum esse, inprimis probari putavit loco *Gellii IV, 20*, referentis, aliquem propter scurrilem jocum a Censore in ærarios relatum, eamque causam subscriptam esse. Eum autem Censorem *Catonem* fuisse, probavit loco *Ciceronis de Orat. II, 64*. Contra hæc Vir doctissimus ita disputat, ut primo emendationem convellat, nullo idoneo argumento nixam; cum hæc non una lex sit, cujus fuit semel tantum mentio a veteribus facta, *Ovinia* autem familia & libera republica, & sub Cæsaribus, fuerit. Ceterum, quoniam verba *Livii*: *patrum memoria*, non patiuntur, subscriptiones a *Catone* ortas, aut ejus tempore jam institutas, putare, *Gellii* autem locus eas isti ætati tribuit, eo descendit, ut, alterutrum errasse, judicet, malitque *Gellium*, quam *Livium*, ejus erroris reum agi. In his omnibus Viro Cel. libenter assentimur, existimamusque, *Gellium*, neglecta temporum ratione, de *Catonis* temporibus sequentium temporum more locutum esse per πρόληψιν, cujus etiam apud *Livium* exempla exstare scimus. In verbis autem sequentibus nobis videtur transpositio quædam verborum facta esse, & legendum: *Catonis quidem & aliæ acerbæ orationes* &c. quod esse elegantius, & ad antecedentia accommodatius, facile sentient aures Latinæ, sive interpreteris, ut vulgo fit in hoc positu, *autem*, sive, *quod ad Catonem attinet*. Argumento etiam est copula *&*, quæ in vulgari lectione plane otiosa esse videtur, non autem, si eo, quo diximus, modo legatur. Progrediemur ad *Librum XL*, qui propter difficiles, qui ibi multi sunt, nodos, & doctissimas observationes *Drakenborchii*, quasdam etiam nostras, quas in illum librum in promtu habemus, largissimam dicendi materiam præbet; sed, ne modum excedamus, pauca delibabimus. Et primo quidem in eo non assentimur Viro doctissimo, quod *Cap. 11 concocta consilia* improbat, usus etiam autoritate *Grævii*, qui ad *Ciceronis Or. pro Q. Rosc. 15* pro *concoquendum* legi volebat *coquendum*.

Ignora-

Ignorabat Vir doctus, idem verbum *Ciceroni* alio in loco *de Har. Resp. Cap. 26* reddidisse e *Franciano* Codice *Grævium*, & in eo usum esse loco e *Rosciana*, quem antea mutarat, ut monuit *Ernesti* in *Clave Cic. in h. v.* Quod in Codicum MStorum uno est *coacta*, id ortum est e compendiaria scriptura *concocta*. Ceterum istud verbum nos monet, ut alium locum *Livii* vindicemus in hoc eodem *Libro Cap. 45*: *Tempestas in Capitolio aliquot signa constravit.* Monet Cel. *Drakenborchius*, verbum *consternere* hoc sensu nuspiam occurrere, quod facile largimur, & profert conjecturam Viri docti, qui legebat *prostravit*, id quod cuivis in mentem veniat. Non dicemus pro certo, *Livium* sic scripsisse, etsi omnes Codices MSti in ea lectione consentiunt. Dicimus tantum, eum sic scribere potuisse, & verbum intelligi posse, si non sic, ut sit synonymum τȣ̃ *prosternere*, at *una*, *simul*, *prosternere*. Sic *Cicero ad Att. XII, 19*: *Balbus ad me cum Oppio conscripsit*, id est, una, eodem tempore, scripsit. Nec *Livius* ab usu hujusmodi similium verborum alienus est *X, 18*: *Tusci fere omnes consciverant bellum*, id est una, eodem tempore, decreverant. Eodem modo *I, 32*: *Senatus consensit*, *conscivit*. Quod si quis malit, *consternere* esse pro *sternere*, aut *prosternere*, ne id quidem abhorret. Nam sic *Cicero Verr. V, 4*, etiam verbum *conscribere* pro *scribere* posuit: *Nihil, quod iste Romam publice conscripserit*; quanquam *Grævius* ibi e Regio Codice legendum censet, *scripserit*, in hoc quoque verbo inconstans, quippe qui in illo loco ad *Att. XII, 19*, non hæsit, ubi tamen *conscribere* pariter atque hic *scribere* licet interpretari, & ubi usitatius dixisset, *scripsit*, neque in hoc Codices scripti, aut editi, variant, quantum e *Græviana* intelligi potest. Ceterum loca *Ciceronis* jam notata sunt in *Clave Cic.* Notus est nodus verborum *Cap. 42*: *P. Clælium Siculum inaugurarunt, qui secundo loco inauguratus erat.* Propositis *Turnebi*, *Gutherii*, *Gruchii*, & *J. F. Gronovii*, interpretationibus, quarum postremam adoptavit *Grævius* in Præf. *Tomi V. Ant. Rom.* ostendit Cel. *Dukerus*, nihilo plus ad intelligendum hunc locum *Gronovium Græviumque*, item *Gruchium*, quam *Turnebum* & *Gutherium*, attulisse.

Ceterum ipse fatetur, se nihil melius habere; nisi quod ipsi in mentem venit, tolerabiliorem sensum fore, si legatur: *inauguratus est*, hoc sensu, ut *Clœlius* velut in subsidium & secundo loco inauguratus sit. Et tamen vel sic aliquid inepti in ea lacinia remanere putat, propterea, quod vix recte *secundo loco* inauguratus dicatur, ante quem alius inauguratus non erat; &, si possit recte dici, tamen supervacuum fuerit addi, cum ex prioribus intelligatur. *Crevierius*, Vir Clarissimus, hunc nodum non solvendum, sed secandum, putabat, tota ista lacinia sublata. Sed id *Drakenborchius* recte justo audacius putat. Nobis quid de ea re videatur, alio loco dicendi facultas dabitur. Videmus enim, jam propemodum modum a nobis excessum esse.

*EPISTOLÆ FRANCISCI BARBARI, ET ALIOrum ad ipsum, ex duplici Codice MSto Brixiano, & Vaticano uno, depromtæ ab Anno Christi 1425 ad A. 1453. Præmittitur Diatriba, in duas Partes divisa, quarum prima de Francisci Barbari in Latinis & Græcis Literis præstantia, a viris doctis ejus ætatis magno in pretio habita; altera de pacis & belli artibus, quibus Franciscus Barbarus Remp. domi forisque administravit, differitur. Subsequitur ampla earum Epistolarum Mantissa ex Forojuliensibus Bibliothecæ Guarnerianæ MStis.*

Brixiæ, ex typographia Joannis Mariæ Rizzardi, 1740, fol. Alph. 12 plag. 16.

Monumentum ære perennius hic exegit *Francisco Barbaro*, Patricio Veneto, Equiti & D. *Marci* Procuratori, qui Brixiam iterum tertiumque defendit, Eminentissimus curiæ Romanæ Purpuratus, *Angelus Maria Quirinus*. De instituto, & Epistolarum *Barbari* complexu atque serie, dictum fuit succincte in his *Actis A. 1740 Mens. Febr. pag. 86 seq.* Volumen, cujus

jus recensionem aggredimur, sola constat Diatriba præliminari, eaque ultra alphabetum duodecimum exsurgit. Nemo dubitat, quin in amplissimum Historiæ literariæ & civilis campum in hac tractatione amplissima Eminentiss. Editor excurrerit. Delibabimus nonnulla ex Præfatione, collectioni Epistolarum præmissa, ac deinceps ad Diatribam ipsam nos accingemus. In Præfatione hac, qualis quantusque exstiterit *Franciscus Barbarus*, testimonio *Ludovici Fuscareni* reddit comprobatum. Adhibuit usibus suis Idem Codices MStos Brixianos duos, quorum unus est Bibliothecæ P. P. Benedictinorum S. *Euphemiæ*, alter, olim *Gelmini Veronensis*, nunc vero P. P. Oratorii S. *Philippi*, nec non Vaticanum unum. Hi tres Codices fundum collectioni Epistolarum suppeditarunt, excepta duntaxat prima, quam Museo Viri Cl. *Jacobi Facciolati* orbis eruditus debet. *Euphemianus* complectitur Epistolas 80, easque ab anno 1425 usque ad annum 1451. Oratoriensis exhibet Epistolas 64 ab anno 1437 usque ad annum 1453, quæ omnes, si quatuor tantum excipiamus, in *Euphemiano* desiderantur. Tertius, scilicet Vaticanus, continet Epistolas 123, ex quibus unam modo habet *Euphemianus*, decem autem & sex Oratoriensis. Très istos Codices exscribendos curavit Emin. Editor, Vaticanum quidem pecunia numerata, Brixianum vero utrumque opera *Joannis Ludovici Luci*, Monachi valde eruditi in *Euphemiano* eodem Cœnobio. Epistolis omnibus, quæ numerantur 267, amplam præbuerunt Mantissam Forojulienses *Guarneriana* Bibliothecæ Codices, e quibus Epistolas circiter 170, missas sibi a Patriarcha Aquilejensi, Emin. Editor collectioni suæ Appendicis loco adjecit. Editæ fuerunt jam aliquot Epistolæ *Barbari Tom. V Thes. Anecd. Bernardi Pez.* Sed hæ partem modo Oratoriensis Codicis referunt, qualem *Facciolati* etiam Codex complectitur; & duos tantum annos, una & altera excepta, respiciunt. Præterea consuluit Idem ope amicorum alios quoque Codices, Diatribæ præliminari locupletandæ perquam opportunos, nominatim Codicem Epistolarum *Ludovici Fuscareni*, tres Codices, quorum copiam officiosissime ipsi impertitus est *Jo. Franciscus Musellius*, nec non Brixianos duos, unum

Bibliothecæ P. P. Oratorii S. *Philippi*, alterum P. P. Carmelitarum S. *Mariæ*, & præterea Bergomatem unum, atque nonnullos amicorum. Progredimur nunc ad Diatribam præliminarem, ſiquidem Epiſtolarum Syllogen *alterum Volumen* demum exhibebit. Diatriba in *Partes duas* eſt diſtributa. *Prior Capitibus quatuor* conſtat. *Primo* de *Franciſci Barbari* in comparandis veteribus Codicibus cura, & facilitate, hoſce cum amicis communicandi, exponitur. *Secundo* diſſeritur de opera, a *Franciſco Barbaro* adhibita in componendis doctorum virorum diſſidiis. *Tertio* agitur de aliis *Franciſci Barbari* in doctos viros officiis. *Quarto* editi ab eodem fœtus ingenii deſcribuntur. *Pars poſterior* æque offert ſeſe quadripartitam. *Capite primo* diſſeritur de Rep. a *Franciſco Barbaro* adminiſtrata inde ab anno ætatis 21, quo Senator renuntiatus fuit, uſque ad Brixianam præfecturam, ei A. 1437 delatam. *Secundum* eſt inſcriptum de *Barbari* Brixiana per quadriennium Præfectura. *Tertio* diſſeritur de ejusdem *Barbari* geſtis, & quidem inde a Brixiana Præfectura abdicata uſque ad Forojulienſem pariter abdicatam. *Quarto* de poſtremis *Barbari* temporibus, ſcilicet de biennio, quod excurrit a ſuſcepta D. *Marci* procuratoria dignitate, uſque ad ejus obitum. Si ſingula *Capita* totidem diximus Diſſertationes, tum non eſt, quod quis, verum a nobis negligi, monere auſit. Qui hiſtoriam literarum renatarum propius laborat perſpicere, illum, non poſſumus, quin ad hæc vireta invitemus. Specimina afferemus nonnulla. Juvat re-
Pag. 2. colere animo ſubſidia, quæ *Fr. Barbarus Poggio*, Florentino, in Germania veteres Codices inveſtiganti, exhibuit, & eam, quæ inter *Poggium* & *Joannem Aretinum* fuit, amicitiam. Lubet memorare, *Poggium* in fundo turris intra monaſterium S. *Galli* inveniſſe Codicem *Quintiliani* ſalvi & incolumis, libros tres & dimidium *C Valerii Flacci Argonauticon*, & *Q. Aſconii Pediani* Ex-
5. poſitiones ſuper octo *Ciceronis* Orationibus. Juvat ex *Barbari* Epiſtola didiciſſe, *Bartholomæum de Monte Politiano* fuiſſe *Poggii* in conquirendis Codicibus adjutorem, & huic conquirendi ſtudio præterea deberi *Tertullianum*, *Lucretium*, *Silium Italicum*, *Marcellinum*, *Manilium*, Aſtronomum, *Lucium Septimium*,

*mium*, *Caprum*, *Eutychium*, *Probum*, Grammaticos. Mirum ſane, qui fieri potuerit, ut *Leonardus Aretinus* nomini hujus *Bartholomæi* in Epiſtola, ad *Poggium* ipſum data, peſſime potuerit detrahere. Ille enim *Bartholomæus* fuit Poeta eximius, & omnium pæne optimus. Nec reticendum eſt *Cincii* nomen, qui *Poggii* peregrinationem Germanicam æque fuit comitatus, qui in Epiſtola, nunc demum hic vulgata, *Franciſcum de Fiana* red- Pag. 8.
didit certiorem, in itinere illo inventos præterea fuiſſe Codices MStos *Lactantii*, ab utroque homine recognitos, *Vitruvii* de Architectura, & *Priſciani* in quædam *Virgilii* carmina. Addit: *Erat præterea in illa Bibliotheca* Monaſterii S. Galli *liber quidam ex corticibus arborum.* Et interjectis quibusdam ſententiis: *Erant in Monaſterio illo Abbas Monachique ab omni literarum cognitione alieni.* Deflet deinde Bibliothecarum Romæ ſtatum, querens: *Accedit eodem, quod multi ſacrarum Literarum Codices, multæ-* 11.
*que ſacræ ædes, eorum negligentia, qui vicem Chriſti in terris tenuerunt, exſtincti ſunt; quos eo majori odio dignos exiſtimamus, quia ab eis omnium iniquarum actionum remedia exſpectantur.* Dubitant docti, an ad *Guarinum*, Veronenſem, an ad *Joannem Aretinum*, *Poggius* memorabiles illas literas de *Quintiliano* invento ex Synodo Conſtantienſi ſcripſerit. Oſtendit autem Noſter argumentis haud unis, eas ad *Franc. Barbarum* fuiſſe ſcriptas. Hinc differit de hujus cum *Ambroſio Camal-* 14.
*dulenſi* literarum commercio, ad Codices ſecum invicem communicandos, & ad rem librariam augendam, præcipue inſtituto. Florentiæ ea ætate cura comparandorum Codicum fervebat, autoribus *Coſmo Medices*, ac *Laurentio*, ejus fratre, opera *Ambroſii* hujus & *Nicolai Florentini* ſtudioſe uſi. *Barbarus* & *Ambroſius* inter ſeſe dicuntur communicaſſe *Plutarchi Epiſtolas*, *Orationes*, a *Poggio* in Gallia inventas, *Pauſaniam*, *Pompejum Trogum*, id eſt, *Juſtinum*, ſtudio Cardinalis Piſani in Hiſpania detectum, &c. *Barbarus Ambroſio* huic Venetiis donavit duo pulcherrima volumina, Prophetas ſcilicet XVI, & opuſcula 19.
rariora *Nazianzeni*, tantoque conquirendorum Codicum ſtudio flagravit, ut de peregrinatione, in Palæſtinam una cum *Coſmo* & *Nicolao* aggredienda ſerio cogitaverit. Ipſe Græcos

Pag. 27. Codices Constantinopoli per *Franciscum Philelphum* mitti curavit. In notitiam præterea doctorum hominum Emin. Autor perducit res *Joannis Aurispæ*, non omittens operam, quam in componendis doctorum virorum controversiis *Barbarus* navavit quam diligentissime, nominatim in simultatibus *Leonardi Aretini* & *Nicolai Florentini*, hujus & *Francisci Philelphi*, hujus & *Poggii*, *Poggii* & *Guarini*, *Poggii* & *Laurentii Vallæ*, ac aliorum. Percenset mor-
58. dacia *Laurentii Vallæ* scripta in tres *Francisci Barbari* amicos, *Panhormitam*, *Facium*, & *Quirinum*. Commentatur de aliis *Barbari* in viros doctos officiis, in *Blondum Flavium Foroliviensem*, in *Georgium Trapezuntium*, quem opera sua in Italiam vocavit, civemque effecit Venetum, in *Porcelium*, Poetam, in
93. *Matthæolum Perusinum*, Academiæ Patavinæ Professorem, in *Gabrielem Concorigium*, ludimagistrum, in *Petrum Candidum Decembrium*, in *Janum Pannonium*, in *Omnibonum Leonicenum*,
109. in *Luscos*, patria Vicentinos, *Nicolaum*, *Antonium*, & *Franciscum*, in *Andream Contrarium*, Sacerdotem Venetum, in *Laurum Quirinum*, in *Thadæum Quirinum*, in *Joannem Nicolaum Salernum*, qui ejus opera Præturam Florentinam obtinuit, in *Lapum Florentinum*, aliosque. Tum vero exponit de *Barbari*
131. scriptis, seu ingenii foetibus. Bono enim literarum fato contigit, ut teneris jam annis *Barbarus* calamo minime parceret, scribens versiones quasdam, Orationes nonnullas, libellum *de re uxoria*. Ipse in *Emanuelis Chrysoloræ* schola inter illa laudis summæ ingenia exstitit, quæ prima subsellia occuparunt. Hoc duce Græca callere coepit, ac vitas *Aristidis* & *Catonis* ex
142. *Plutarcho* in Latinum convertit. Commentarios, *de re uxoria* conscriptos, *Laurentio Medices* dicavit. *Funebrem Orationem in Joanninum Conradinum*, *Venetum*, adornavit. Attulit eam Emin. Autor integram. Adjunxit *Barbari Laudationem in Albertum Guidalotum*, nec non *Proœmium* ejusdem *ad Flavii Blon-*
174. *di Italiam illustratam*. Disseruit posthæc de *Commentariis Brixiensibus*, a *Barbaro* contextis. Hæc spectant ad *Partem* Diatribes *priorem*. *Posteriori* exposuit Idem de pacis bellique ar-
193. tibus, quibus *Franc. Barbarus* rempublicam domi forisque administravit. Hic enim anno ætatis 21 Senator renuntiatus fuit.

fuit. Præfecturam Brixianam gessit ab A. 1436 per quadriennium. Forojuliensi se abdicavit A. 1449. Venetiis tandem gravissimis magistratibus muniisque adhibitus, & Procuratoris D. *Marci* dignitate auctus, diem supremum obiit A. 1454. Mortem ejus deflevit *Ludovicus Fuscarenus*, e Brixiana Prætura Ve- Pag. 541.
netias redux, in Epistola ad *Hermolaum Barbarum*, Episcopum Veronensem. Poetæ magno numero eam luxerunt. Emin. vero Cardinalis de *Barbaro* citra stili morumque barbariem ita meruit, ut hoc monumento & illi & sibi immortalitatem nominis certissimam pepererit.

## *OPERUM BERNOULLIANORUM, ET PRÆCIpue Tomi IV, Recensio continuata & finita.*

Conf. *Nova Acta Mensis Aprilis* hujus *Anni pag. 193.*

In recensendis Schediasmatibus Analyticis adhuc versamur, non de omnibus singulatim, ne rerum copia obruamur, sed de quibusdam saltem, dicturi, reliquis fugitivo, quod ajunt, oculo, & quasi per transennam, inspectis. Initium itaque facimus a methodo reducendi æquationem differentialem secundi gradus, $y^m ddy = qx^n dx^p dy^{2-p}$, supposita $ddx = 0$, omnes eas complectentem, quæ duobus solummodo terminis constant. Methodus reducendi non abludit ab *Euleriana*, quæ legitur in *Comment. Petrop. Tom. III pag. 128 seq.* vel potius una eademque est, ut dubitare haud liceat, quin proprio Marte uterque Vir Cl. ad eandem pertigerint, in quam sententiam neminem, cui Virorum candor perspectus est, non concessurum putamus. Quamvis autem *Eulerus* l. c. methodum jam ante annos complures non publicaverit solum, sed ad æquationes quoque magis compositas applicuerit; ob varias tamen, & peculiari arte factas, casuum particularium enodationes, valde delectabit intelligentes scripti *Bernoulliani* lectio, cui modus, eandem æquationem ad genus Parabolarum reducendi, subnectitur. Quæ sequuntur, ad rectificandas atque transformandas Curvas pertinent. Monstrat nimirum Vir acutissimus, quo facto longitudo Curvæ datæ per aliam, quam vulgarem, formulam

lam S. $\sqrt{(dx^2 + dy^2)}$ invenienda sit, Theoremate quodam usus, e Reptoriarum natura (quarum & ipse inventor est) petito, e cujus ad casus quosdam speciales applicatione veritates scitu non indignas, atque elegantes, elicuit; e. g. posito $x = 1$, fore S. $\frac{dx}{\sqrt{(1-x^4)}} = 3$ S. $\frac{x^4\,dx}{\sqrt{(1-x^4)}}$, ubi recordandum, S. $\frac{x^2\,dx}{\sqrt{(1-x^4)}}$ esse ordinatam Curvæ elasticæ vulgaris, & S. $\frac{dx}{\sqrt{(1-x^4)}}$ arcum, qui ordinatæ, modo dictæ, respondet. Generalius, existente $x = 1$, fore S. $\frac{dx}{\sqrt{(1-x^{2n})}} = (n+1)$ S. $\frac{x^{2n}\,dx}{\sqrt{(1-x^{2n})}}$. Porro, posita $x = a$, esse S. $\frac{dx}{\sqrt{(1-x^4)}}$ $= a\sqrt{(1-a^4)} + 3$ S. $\frac{x^4\,dx}{\sqrt{(1-x^4)}}$. Quæ de transformandis Curvis afferuntur, methodos quasdam particulares continent tam pro Curvis parabolicis & hyperbolicis in alias algebraicas, ejusdem longitudinis, transmutandis, quam pro inveniendis Curvis algebraicis, quæ, cum arcu dato Parabolæ communis, vel Circuli, conjunctæ, faciant summas, quæ integrari possint, adeoque rectam arcui composito æqualem constituant. Exhibetur quoque Curva algebraica, cujus partes proportionales sint segmentis Circuli. Posito nempe radio Circuli $= 1$, & abscissa ab ejusdem centro $= x$, si, (adscita quavis data $m$) fiat nova Curva, cujus coordinatæ sint $\pm x \mp \frac{1}{3} m x^3$, & $\frac{2m - 1 - m^2x^2}{3m^2} \sqrt{(2m - 1 - m^2x^2)}$, erunt ejusdem arcus ut S. $dx \sqrt{(1-x^2)}$, hoc est, ut segmenta inter ordinatam Circuli $\sqrt{(1-x^2)}$ & radium perpendicularem interjecta. Hæc excipit Schediasma quoddam Cyclometricum, ubi, considerando evolutionem curvæ cujusvis successive & alternatim factam, quæ in infinitum continuata Cycloides æquales & similes generat, rationem diametri circuli ad circumferentiam investigare docet Vir Clarissimus. Quadrante nimirum

nimirum Circuli loco Curvæ primitivæ (ex cujus nempe evolutione gignitur secunda, & ex hujus evolutione tertia, &c.) assumto. Sequitur solutio Problematis omnino nobilis, de linea brevissima in superficie quavis inter data duo puncta ducenda, quam sub finem anni 1728 Autor cum Cl. *Klingenstierna*, Math Prof. in Academia Upsaliensi, communicavit. Fundamentum solutionis *Bernoullianæ* in eo consistit, quod planum, per tria Curvæ quæsitæ puncta infinite propinqua transiens, (quod per analogiam Planum *osculans* dici potest,) rectum debet esse, ad planum superficiem Curvam contingens. Porro methodum suam ad alia quoque hujus indolis Problemata difficiliora accommodat *Bernoullius*, datque solutionem quæstionis satis arduæ: *Ducere in superficie data lineam Curvam, cujus in puncto quolibet planum osculans datam habeat inclinationem ad planum tangens superficiem datam in eodem puncto*, quam ad superficierum quasdam species applicat. Magnum hic videre est apparatum geometricum analyticumque, a reconditioris scientiæ amantibus non sine summa voluptate perlustrandum. Agmen analyticorum elenchtica quædam scripta claudunt, nimirum Animadversiones in *Georgii Cheynæi* Methodum Fluxionum inversam, Londini A. 1703 editam, porro Observationes in Cl. *Moivræi* animadversiones in eundem librum *Cheyneanum*, Londini A. 1704 publicatas, tandemque notationes in *E. Stonii*, Reg. Soc. Socium, libellum de Methodo fluxionum inversa, loco supplementi *Analyseos infinite parvorum* editum, qui deinceps Gallice etiam versus, & amplissima Præfatione ab homine quodam rerum haud satis gnaro instructus est. Has, quæsumus, observationes legant, qui sibi persuadent, (quod ex nostris quoque facere animadvertimus quosdam,) hos tales in excolendis methodis abstrusioribus viæ duces unice sequendos, omnemque in hisce rebus scientiam ex eorundem scriptis hauriendam esse. Quod ad *E. Stonii* Opusculum inprimis attinet, magnis præter meritum encomiis ab interprete Gallico ornatum, nescimus sane, qui fieri possit, ut Geometriæ studiosis commendetur, & studii analytici ratio hac parte ad ipsius normam exigatur. Tantam sæpe confusionem & obscuritatem,

tantamque paralogiſmorum ſegetem, in eo offendas, ut haud appareat, quomodo cum *Analyſi infinite parvorum*, in qua, ſi non plane nulli, omnino pauciſſimi tamen, errores ſunt, conjungi mereatur. Cum tandem, quæ egregie inventa in ſcientiis ſunt, Autoribus ſuis genuinis & veris aſſeri, reipublicæ literariæ interſit; hoc quoque nomine non ſpernendum obſervationes *Bernoullianæ* uſum præſtabunt. Mentio hic quoque facienda eſt fragmenti Epiſtolæ cujusdam, a *Bernoullio* ad Cl. *Croſam* ſcriptæ, hocque loco inſertæ, qua mentem ſuam de Commentario ejus in Analyſin infinite parvorum, Pariſiis A. 1721 edito, aperit, & plurimas non modo ἀκυρολογίας, ſed errores quoque, ad rem ipſam ſpectantes, in iſto Opere reprehendit. Hiſce ſuccedunt tria Schediaſmata optica, e quibus illud eminet, quod de determinandis iridibus omnium, quos volueris, ordinum inſcribitur, quæ autem omnia, cum ad reliqua properandum nobis ſit, ſicco tranſilire pede cogimur. Accedimus itaque ad illam Diſſertationum claſſem, quæ *mechanicæ* inſcribuntur, atque ob ſingularem, qua fulgent, doctrinam, uſumque in ſcientia naturali, fere præ ceteris, quæ memorentur, dignæ videntur. Agmen itaque ducit Diatribe quædam, occaſione præmii, ab Acad. Scient. Pariſienſi A. 1739 propoſiti, conſcripta, de Ergata ab incommodis, quæ in ejusdem uſu nautæ experiuntur, liberanda, vel, ſi Gallicum noſſe volueris titulum (hoc enim conſcriptum Schediaſma idiomate eſt): *Le Cabeſtan délivré des inconvéniens ordinaires par rapport à ſon uſage ſur mer.* Scopus ab Academia præfixus erat efficere, ut ne circumplicatio rudentis ſuper cylindrum vel arborem Ergatæ iteratis vicibus, utpote qua ratione multum temporis inutiliter teritur, ſed uno eodemque tractu, fieri poſſit. Quamvis autem nobis haud conſtet, qua fronte Academici hanc διάσκεψιν exceperint; nemo tamen negabit, media, hanc in rem a *Bernoullio* propoſita, (præcipue circa augmentum frictionis, quam funis in cylindrum machinæ exercet, in quo omne præſidium quærit Vir Clariſſimus,) ingenioſe excogitata, dignaque eſſe, de quorum ſucceſſu experiundo cognoſcatur. Hæc excipit ſolutio Problematis Catenarii, generaliſſime concepti, per methodum

thodum, a Cel. *Hermanno* in Phoronomia, sua propositam, quam tamen ab errore purgat & genuine applicat *Bernoullius*. Ex hac solutione perspicitur, erraſſe B. *Hermannum*, dum *l. c. pag. 46* ponit, quod *pag. 382* demonſtrare satagit, si nimirum gravitas corporum uniformis ad centrum quoddam non infinite diſſitum tendat, Catenariam fore hyperbolen æquilateram; quin potius æquatio differentialis ad Curvam ita comparata eſt, ut generaliter ejus integratio ad Quadraturam Circuli reduci haud poſſit, adeoque tantum abeſt, ut hyperbola, ut ne algebraica quidem curva, ſit. Interim tamen ſub finem hujus Diſſertationis oſtenditur, quo caſu, & ſub qua limitatione, ad hyperbolam æquilateram *Hermanni* perveniatur. Poſt interjecta quædam, (ſingula enim libare brevitati ſtudentibus haud licet,) exhibetur Problema quoddam elegans de invenienda Curva, quam deſcribit corpus (inſtar puncti conſideratum, & abſque ulla frictione motum,) in Tubo circulante, hoc eſt, qui circa axem quendam fixum, in eo ſumtum, movetur. Hujus Curvæ conſtructio ope ſpiralis Logarithmicæ ſemirectangulæ perficitur. His ſuccedunt multæ, eæque varii generis, Propoſitiones mechanico dynamicæ. Et primo quidem loco de compoſitione virium agitur; ubi Vir Cel. propoſitionem, hodie notiſſimam utiliſſimamque, (quod potentia cum duabus aliis, uni eidemque puncto applicatis, æquilibrium faciat, ſi ſit diameter parallelogrammi, cujus latera exponunt duas illas potentias, earumque directiones, & quod directio tertiæ potentiæ pariter congruat cum diametro parallelogrammi,) ex natura vectis demonſtrat, antiquorum Geometrarum, præcipue *Archimedis*, exemplum ſecutus, contra quam feciſſe conſtat recentiores, inprimis *Varignonium*, qui inverſo ordine leges vectis e compoſitione virium derivavit. Differunt nempe inter ſe compoſitio *potentiarum* & *motuum*, nec apparet, quomodo ad ſtatum perfecti æquilibrii demonſtrandum ad velocitatem quandam initialem, quod a Viris eximiis fieri ſolet, recurri poſſit. Ubi perfectiſſima quies eſt, vireſque mutuis actionibus ſeſe elidunt, ibi nullam ſane, ne infinite quidem parvam, velocitatem concipere datur. Diſſerit deinceps *Bernoullius* de Viribus



Digitized by Google

motricibus, ad vectem applicatis, & varia ſcitu digna annotat, tandemque nova ratione theoriam centri oſcillationis exinde deducit. Quo facto, de communicatione motus per vectem agit, eaque occaſione perquam eleganter & facile demonſtrat, qui fieri poſſit, ut corpus aliquod, in motu conſtitutum, omnem vim ſuam in corpus aliud quantumvis majus minusve transfundat, unde veræ æſtimationi virium vivarum, tot aliis jam demonſtrationibus munitæ, novum quoddam robur accedit, cui certe *Papinus*, ſi viveret, non poſſet non calculum ſuum adjicere, a *Leibnitio* jam olim, ut conſtat, adeo ad incitas redactus, ut, corpus quoddam cum duobus velocitatis gradibus tantundem effecturum, concederet, quantum corpus aliud, cujus maſſa prioris quadruplex foret, cum gradu celeritatis uno; unicum adhuc ſententiæ vulgaris præſidium in eo quærens, (quod ſane miſerum κρησφύγετον eſt,) quod in praxi effici nunquam poſſit, ut corpus quoddam omnem vim ſuam, vel agendi facultatem, per conflictum quendam in aliud transferat. Has obſervationes excipiunt aliæ de Centro ſpontaneo rotationis. Quod ut intelligatur, concipe, corpus aliquod quantivis voluminis, vel ſyſtema plurium corporum, inter ſeſe connexorum, a vi quadam externa impelli, animum a gravitate corporum naturali abſtrahendo; duplex tunc caſus conſiderandus eſt. Aut enim directio vis impellentis tranſit per commune centrum gravitatis ſyſtematis totius (fingere enim centrum gravitatis licet, etiamſi corpora ſtatuamus gravitatis expertia,) aut non tranſit. Priori caſu facillime patet, totum ſyſtema motu directioni vis motricis parallelo ſemper latum iri; ſecus quam accidit in poſteriori; tunc enim quælibet ſyſtematis pars reſiſtentiam inertiæ ſuæ ſecundum peculiarem ſuam directionem exercet. Hunc igitur caſum inveſtigaturus Vir acutiſſimus, concipere jubet planum horizontale, per centrum gravitatis totius ſyſtematis, (ſi grave eſſet,) tranſiens, omniaque corpuſcula ſyſtematis per rectas verticales in iſtud projicit. Sumto jam quodam puncto in hoc ipſo plano, in quo applicata ſit vis motrix, cujus directio non tranſeat per centrum gravitatis ſyſtematis, non difficile perſpicitur, planum motu quodam rotatorio actum

actum iri, eodem prorſus modo, quo ſyſtema ipſum in ſtatu ſuo naturali cietur. Hoc itaque punctum, circa quod corpuſcula, in planum horizontale projecta, circulantur, illud ipſum eſt, quod *Centrum rotationis ſpontaneum* appellat *Bernoullius*, a natura quippe ipſa, pro circumſtantiarum varietate, *ſponte* quaſi electum, nec in arbitrio noſtro poſitum. Cum vero hæc ita ſe habeant ſaltem ab initio gyrationis, ipſemet Vir egregius annotat, theoriæ hujus uſum præcipue eſſe in motibus, non adeo in longum excurrentibus, ut in tremulationibus, vibrationibus, atque oſcillationibus minimis. Quod vero notatu maxime dignum, ex quo mira naturæ, ſuperfluis rerum cauſis haud luxuriantis, ſimplicitas elucet, illud eſt, quod centrum rotationis ſpontaneum unum idemque eſſe cum centro oſcillationis totius ſyſtematis corporum circa punctum, in quo vis impellens applicatur, ceu punctum quoddam ſuſpenſionis, oſcillantis, demonſtrat *Bernoullius*. Quo facto, inſignem theoriæ hujus fœcunditatem nobili ſane exemplo declarat, cum in leges motus corporum irregularium, ſeſe mutuo percutientium, inquirit, eo nimirum caſu, (qui hactenus a nemine, quantum nos quidem ſcimus, tractatus fuit,) quo directio impulſionis per centra gravitatis corporum colliſorum non tranſit. Rem abſtruſiſſimæ indaginis eſſe, nemo eſt, quin facile animo præcipiat, qui cogitaverit, hac ratione corpora poſt impulſum haud ita latum iri, ut ſingulæ eorum particulæ deſcribant rectas inter ſe parallelas, ſed *cum rotatione quadam* motum conjunctum eſſe, qua quidem in re totius negotii cardo vertitur. Nos temperare nobis haud potuimus, quin hoc præcipue loco ſagacitatem *Bernoullianam* miraremur, qua Vir egregius inveſtigationem velocitatis, quacum corpus percuſſum incipit rotari, ad caſum vulgarem de colliſione duorum corporum centrali reduxit. Nec minus placuit digreſſio aſtronomico-phyſica, tractationi huic continuo ſubjuncta, eidemque innixa, de motibus Planetarum diurno & annuo, quorum mutuam relationem atque nexum aptiſſime repeti poſſe ex primitiva potentiæ motricis applicatione, Vir Cl. exiſtimat, cujus directio niſi per centrum gravitatis Planetæ, (cujuscunque demum fi-

guræ esse statuatur,) transeat, non possunt non motus progressivus & rotatorius conjunctim produci; ut plane intelligatur, non temere a natura rationem horum motuum ad se invicem esse stabilitam. Re omni ad numeros revocata, hanc propositionem exstruxit: *Si globus aliquis, terram repræsentans, confectus ex materia homogenea, quiescens primo, postea in motum agitetur a vi motrice, applicata perpendiculariter ad distantiam a centro, quæ sit sesquicentesima pars radii; globus hic duos inde motus acquisiturus est, unum progressivum, alterum circulantem, qui accurate satis respondebunt motibus annuo & diurno Telluris.* In Planeta Martis punctum applicationis vis motricis primitivæ distat ab ejusdem centro quantitate $\frac{1}{418}$ *R*, in Jove quantitate $\frac{7}{19}$ *R*, ubi *R* significat semidiametrum Planetarum respective. Distantia centri spontanei rotationis primitivæ in globo Telluris est $\frac{4400}{73}$ *R*, in Marte $\frac{41930}{501}$ *R*, & in Jove $\frac{11}{10}$ *R*, quæ ultima profecto mira videri potest. De reliquis autem Planetis nihil definivit Autor, cum de motu eorum nil certi constet, & speciatim de Venere adhuc sub judice lis sit. At vero quantocyus pergendum est nobis, qui jam incidimus in Diatriben de corporum aquæ insidentium oscillationibus, iisque tam lateralibus, quam verticalibus, ubi bina Problemata egregia solvuntur de inveniendo Pendulo simplici, quod oscillationes faciat, corpori, vel ad latus, (qui casus est difficillimus,) vel in altum, oscillanti, synchronas. Quæ quæstiones, (quarum primam, ceu maxime arduam, *Bernoullio* proposuit Cl. *Eulerus*, ipseque solvit, quamvis solutionem hactenus non publicaverit,) uti prorsus novæ sunt, ita singularem quoque in solvendo artem deposcunt, nihilque magis ad proferenda scientiæ pomœria optandum, quam ut diversis methodis unum idemque hujus generis Problema enodetur. Idem omnino pronuntiandum de Schediasmatibus sequentibus, in quibus videre est solutiones quæstionum eximiarum de Oscillationibus corporum, super immobili superficie titubantium, de Pendulis luxatis, sympathicis,

pathicis, multifilibusque. Ut intelligas, quid rei Pendulum luxatum sit, finge systema quoddam corporum, in centro gravitatis affixum virgæ rigidæ, cujus altera extremitas vel alligata sit filo flexili, vel alii iterum virgæ inflexili ope articulationis cujusdam commissa, ut hæ duæ virgæ in angulum inflecti possint. Suspendantur jam virgæ, inter se connexæ altera extremitate, e puncto quodam fixo, systemaque corporum in motum concitari intelligatur; habebitur, quod *Bernoullius pendulum luxatum* vocat. *Sympathicorum* vero nomen tribuit binis pendulis, a communi quodam corpore gravi agitatis, ita ut unum sine altero moveri non possit. Concipe corpus figuræ cujuscunque, per cujus centrum gravitatis trajecta sit linea rigida horizontalis, vel paxillus quidam tenuissimus, utraque sua extremitate alligatus filo verticali, e puncto fixo suspenso, vel eum in modum, quo in pendulis luxatis, commissus virgæ rigidæ, verticaliter erectæ. Sint vero longitudines filorum verticalium, & partes paxilli, ab utraque parte centri gravitatis corporis inæquales, fingaturque, paxillum paululum e situ suo dimoveri, ita tamen, ut semper maneat in plano verticali, in quo sunt fila; facile percipitur, motum quendam oscillatorium in hoc plano genitum iri, lineamque horizontalem reciprocationes quasdam serræ instar facturam esse, fila vero verticalia, utpote a casu communi in motum concitata, jure optimo sympathica vocari. Pendulorum vero *multifilium* nomine nihil aliud *Bernoullius* intelligit, nisi filum flexile, non uno, sed pluribus pendusculis, onustum, atque oscillatorio motu latum. Quod ultimum Problema alia quoque ratione ab ingeniosissimo ejus Filio, *Daniele*, nec non a Cl. *Eulero* in Comment. Petrop. pertractatum fuit. In solutione quæstionum de Oscillationibus corporum titubantium, pendulorum luxatorum & sympathicorum, rem ad considerationem vectis & centri rotationis spontanei reduxit Vir acutissimus; ultimam vero de pendulis multifilibus methodo plane alia, ac Viri modo laudati, extricavit. Casum istum, quo filum oscillat cum duobus ponderibus inæqualibus, quorum alterum medio loco inter punctum suspensionis & extremitatem collocatur, generaliori, quam huc usque factum,

ctum, ratione solvit, non excursionibus solum quam minimis, & quæ pro infinite parvis haberi possunt, sed majoribus ad libitum, consideratis. Quo facto, ideam solutionis pro pendulis trifilibus, quadrifilibus, vel quomodocunque multifilibus, pandit, positis nimirum oscillationibus quam minimis. Quin geminum adhuc, a priori plane diversum, solvendi modum e locupletissima penu sua Vir eximius depromit, de quibus autem omnibus, ne præstitutos limites egrediamur, copiosius dicere haud licet. Sequitur solutio Problematis statico-dynamici minime vulgaris: Dato nimirum Triangulo rectangulo non gravi, cujus singulis lateribus (quæ politissima supponuntur,) adhæreant corpora itidem non gravia, ponatur, corpori hypotenusæ incumbenti vim motricem applicari, idque in directione ad hypotenusam normali, quo fiat, ut Triangulum continuo incipiat retropelli, & tria quoque corpora, eidem adjuncta, loca sua mutent; quæritur lex accelerationis tam Trianguli, quam singulorum corporum, ipsi adjunctorum, si quidem intelligatur Triangulum & corpora haud aliter, quam motu in unoquoque sibi semper parallelo, ferri posse. Quod cum expedivit *Bernoullius*, aliud quoddam Problema huic affine, de descensu corporis gravis super hypotenusa Trianguli rectanguli mobilis super plano horizontali immobili, quod jam olim in Comment. Petrop. Tom. V resolverat, ulterius perficit, rem nempe generaliter concipiendo, & loco hypotenusæ rectilineæ curvam quamvis assumendo. Inter cetera, quæ sequuntur, Virum Cel. in Problemate Ballistico minutatim enodando singulari prorsus diligentia versatum esse, conspicimus, quod ita habet: Data velocitate initiali alicujus mobilis gravis in altum explosi, in medio uniformiter denso: quæritur altitudo, ad quam adscendit, nec non tempus, quod tam in adscensum, quam in descensum, impendit. Concipit autem medium uniformiter densum, tanquam constans ex corpusculis æqualibus & elasticis, per spatium æqualibus interstitiolis a se invicem disseminatis, cujus naturæ aerem nostrum esse, pro valde probabili habet. Hoc supposito, invenit, globum e. g. ferreum, in linea horizontali per spatium moveri debere, quod diametrum ejus 3700 vicibus

cibus superet, ut ab aeris resistentia amittat dimidium velocitatis suæ initialis. Porro comprobavit veritatem paradoxi, quod globus in aere uniformiter resistente sursum explosus, quamvis infinita velocitate, tempus tamen non nisi finitum impendat per totam altitudinem, ad quam adscendere potest. Deinceps investigaturus descensum ex altitudine, ad quam corpus pervenerat, invenit, nunquam accidere posse, ut globus recidendo velocitatem suam initialem recuperet, etiamsi in infinitum descenderet; porro, velocitatem terminalem, seu maximam, *ad quam non*, (hoc est, eam, ad quam globus recidens tandem data quavis quantitate propius accedit, nunquam tamen plene eandem assequitur,) demonstravit, se habere ad initialem, quacum explosus est, proxime ut 61 ad 80. Ex quibus speciminibus facile de præstantia hujus tractationis judicari poterit. Variata enim ad libitum altitudine, ad quam globus explosus in vacuo pertingere posset, semper hac methodo erui poterunt altitudo adscensus ejusdem in medio resistente, nec non tempora adscensus descensusque respondentia; quæ omnia si in tabellam referantur, eandem consulendo, ex observato tempore, quo globus projectus in terram recidit, definiri poterit, quousque adscenderit, & quantum temporis tam adscendendo, quam descendendo, insumserit. Hæc excipiunt aliæ quædam meditationes ingeniosissimæ, ad resistentiam medii spectantes, quas inter valde notari meretur ultima, eademque Gallice scripta, de Pendulo composito, quod agitatur in medio resistente, qua Vir Cel. typum calculi exhibet, ad velocitatem penduli rectilinei, duobus corporibus sphæricis onusti, in medio, quod in ratione velocitatis duplicata resistit, determinandam, adornandi, nec non considerationes quasdam de centro oscillationis horum pendulorum subjicit. Si pendulum synchronum in vacuo oscillari debeat, res facilis omnino est; sin vero in eodem medio resistente Problema esse indeterminatum, observat Vir acutissimus, cum longitudo penduli synchroni a quantitate materiæ, a volumine globi, adeoque & ab intensitate resistentiæ, dependeat.

Hisce ita perlustratis, tandem nova sese oculis nostris



Google

offert, eaque auro contra carior, *Theoria Hydraulicæ*, tot inventis *Bernoullianis* quasi colophonem, & supremum præstantiæ apicem, imponens. Nemo est rerum intelligens, quem fugiat, quantis difficultatibus obsepta sit universa de motu fluidorum doctrina, adeo, ut perspicaciam summorum Geometrarum hactenus eluserit. Quicquid enim de ea memoriæ proditum est, aut sola experientia, aut principiis parum firmis, nititur. Soli Filio Autoris dignissimo, *Danieli*, licuit esse tam felici, ut post irritos aliorum conatus nodos hosce benigniori sidere solvere aggrederetur, conscripto hanc in rem eruditissimo *Hydrodynamices* Opere, editisque Dissertationibus aliquot, Commentariis Acad. Petrop. insertis. Notum vero est, Virum Clarissimum totam suam theoriam doctrinæ virium vivarum, earumque conservationi, superstruxisse; qua quidem in re Cel. Parentem ipsum præeuntem habuit; quod vero principium, licet verissimum, & exemplis quamplurimis evictum, non satis tamen directum est, ut taceamus, esse adhuc quamplurimos, inter Anglos præsertim, qui de veritate principii non solum dubitent, sed eam omni conatu infringere laborent. Qua de re maxime de methodo quadam genuina & directa anquisivit Noster, omnique contentione id egit, ut theoriam motus fluidorum ex solis principiis dynamicis, a nemine non concessis, erueret, postque longiusculam meditationem anno jam 1729 voti compos factus, Dissertationem hancce conscripsit, æternum & cedro dignum opus. Eam autem in *duas partes* dispescit, quarum *prima* de motu aquarum per vasa & canales cylindricos, ex pluribus tubis cylindricis, sibi invicem adaptatis, conflatos, agit, adeoque fundamenta totius doctrinæ hydraulicæ continet; *altera* vero methodum exhibet directam & universalem, solvendi omnia Problemata hydraulica, quæcunque de aquis, per canales cujuscunque figuræ fluentibus, proponi possunt. Nostrum est, qui ad finem properamus, indolem ingeniosissimæ methodi brevibus indicare, & quasi eminus monstrare. Detur itaque canalis ex tubo cylindrico ampliori, cujus fundo insertus sit angustior, conflatus, ut secum invicem communicent; sit is constanter plenus liquore homogeneo,

Digitized by Google

geneo, qui per se nullius sit gravitatis, sed a parte orificii amplioris a data vi motrice urgeatur; & quæratur lex accelerationis, qua liquor per canalem profluet. Ante omnia jam constat ac ἐξαγώνιον est, dum liquor e cylindro ampliori in angustiorem illabitur, velocitatem ejus mutatum iri in ratione amplitudinum reciproca; cum vero natura nullibi saltum faciat, sed ab una mutatione ad aliam per omnes gradus intermedios, (licet in quibusdam casibus promtissime, ut percipi vix possit,) transire consueverit, oppido liquet, hanc quoque celeritatis mutationem gradatim fieri, atque adeo, si liquor motu parallelo fluat, partes ejusdem, orificio angustiori proximas, per tractum saltem quam minimum paulatim accelerari, donec ipso ingressus in tubum arctiorem momento velocitas debitum mutationis gradum nacta sit. Unde porro consequitur id, quod in tota hac disquisitione principem obtinet locum, ejusdemque arx est: ante orificium scilicet angustius *gurgitem* quendam formari, successive coarctandum, per quem liquor a primo accelerationis suæ momento usque ad ultimum labi debet, dum interea portio liquoris quam minima in quiete perpetua permanet. Quem gurgitem (significanter omnino ita dictum) cum Autores huc usque tanquam rem nullius momenti plane neglexerint; nulla patuit via ad principia pure dynamica hic in usum recte vocanda. Quamvis enim gurges respectu totius massæ fluidæ quasi infinite exiguus sit; vis tamen, in gurgite liquorem accelerans, & debitam tandem velocitatis mutationem producens, finitæ magnitudinis est. Dictis enim, amplitudine tubi majoris $= b$, angustioris $= m$, velocitate in tubo arctiori $= v$, erit vis ad accelerationem dictam requisita $= \frac{bb - mm}{2b} vv$, hoc est, finitæ omnino magnitudinis, ceu *Bernoullius* statim ab initio demonstrat. Ex qua formula simul patet, unam eandemque vim requiri, quæcunque sit curva, gurgitem terminans, cum ejusdem latitudo in ea non insit. Si, continuante liquoris fluxu, $v$ maneat constans, perspicuum est, totam vim motricem, quæ liquorem urget, impendi in gurgitem

 confer-

conſervandum; qua igitur dicta $= p$, erit, $p = \frac{bb - mm}{2b} vv$. Ex quo facile conficit Vir acutiſſimus, ſi vas cylindricum amplius, aqua jugiter plenum, & verticaliter erectum, cujus altitudo ſit $= a$, communicet inferius cum tubo cylindrico arctiore, (retentis ſymbolis prioribus,) velocitatem aquæ effluentis quam citiſſime convergere ad eam, quæ debita ſit altitudini $\frac{bb}{bb - mm} a$. Quodſi igitur $m$ ſit quam minima reſpectu ipſius $b$, erit altitudo velocitati aquæ effluentis debita $= \frac{bb}{bb} a = a$, quem ſolum caſum huc usque aſſecuti ſunt Geometræ. En igitur principium iſtud, cujus ope Hydraulica principiis mechanicis, iisque vulgaribus, ſubjicitur; cui vero copioſius explicando immorari nec volumus, nec poſſumus quoque, quibus alias tota Diſſertatio huc transſcribenda eſſet. Interim notatu digniſſimum adhuc eſt, formationem gurgitis non eſſe conjunctam cum diſpendio virium vivarum ſenſibili, reſpectu ad eas habito, quæ in tota maſſa aquea inſunt; unde intelligitur, cur theoria virium vivarum tuto & ſine periculo erroris in hydraulicis applicari poſſit, id quod Vir Cel. in quibusdam caſibus ipſo facto comprobat. Qui, cum in *prima* hac Diſſertationis *parte* vim principii ſui in determinando motu fluidorum per canales in diverſis ſtatibus oſtendiſſet, *parte ſecunda* non modo univerſalem Problemata hydraulica ſolvendi methodum communicat, egregiisque ſpeciminibus illuſtrat, ſed inprimis quoque nobiliſſimam pariter ac intricatiſſimam quæſtionem de preſſionibus, quas a liquore transfluente latera canalis ſuſtinent, in omni liquoris ſtatu, adeo plene & perſpicue enodat, ut, quid hac in re deſiderari amplius poſſit, vix appareat. De quo invento ſane præſtantiſſimo, eſt, cur ſibi impenſe gratuletur orbis eruditus, nec ulla unquam conticeſcat ætas. Verum vel tandem manum de tabula.

*HENRICI DE COCCEII, SACRÆ REGIÆ MAjeſtati*

*jestati Borussicæ quondam a Consiliis sanctioribus, & in Ill. Viadrina Antecessoris primarii, Grotius illustratus, seu Commentarii ad Hugonis Grotii de Jure belli & pacis Libros III, in quibus Jus naturæ ac gentium, item Juris publici præcipua, explicantur. Adduntur Annotationes Autoris ex postrema ejus ante obitum cura. In Commentario id præcipue agitur, ut Grotius ex ipso Grotio illustretur, defectus circa principia Grotiana notentur, & vera Juris naturæ principia, inprimis quatenus ad interpretationem Juris Romani pertinent, proponantur. Accedunt Observationes S. DE C. H. F.*

*Tomus I.*

Wratislaviæ, sumtibus Jo. Jac. Kornii, 1744, fol. Alph. 8 plag. 9.

Interesse humani generis, jus illud, quod inter populos plures, aut populorum rectores, intercedit, ex certis ac indubitatis principiis erui ac deduci, nemo est, qui negaverit. Cum enim una sit hominum natura, una ratio, una ratiocinandi facultas, eaque omnibus hominibus, sana ratione utentibus, communis; non possunt non conclusiones, inde deductæ, communes esse, quas, si *de jure suo cuique tribuendo* agant, *legum naturæ* nomine venire, propalam est. Quæ cum ita sint, facile decidi poterit quæstio, *num juris naturalis præcepta sub demonstrationem cadant*, quam alii, si non plane negare, at dubiam saltem reddere, sunt conati. Quod vero eadem res non omnibus ex voto successerit, id potius hominibus, ea demonstrare conantibus, quam ipsi scientiæ longe præstantissimæ, erit adscribendum. Nostrum non est, eorum texere catalogum, qui vel integris Systematibus, vel Compendiis, artem hanc tradendi periculum fecerunt. Sufficiat in præsentia, nominasse *Hugonem Grotium*, seculi sui Phœnicem, cujus *de Jure belli & pacis Libri tres*, ex quo prodierunt, non solum privatorum hominum, sed & integrorum populorum, applausu sunt excepti, varios-

que, ut fieri solet, nacti sunt Commentatores, quorum multi laudem merentur, neuter vero effecit, ut dici non possit, quod dictum prius non sit. Egregium exemplum habemus Viri Perillustris ac desideratissimi, *Henrici de Coccеii*, Potent. Pruſſor. Regis quondam a Consiliis sanctioribus, inque Viadrina Antecessoris primarii, Commentarios in hunc librum, quorum publicationem debemus Perill. Autoris Filio Illustrissimo, *Samueli de Cocceii*, Potentissimi Prussorum Regis Ministro status intimo, Tribunaliumque Præsidi supremo, de quo verissima sunt, quæ nuper Cel. *Gesnerus* ejus imagini adscripserat:

*Arbiter ingeniis datus, artibus, ac virtuti,*
*Ingenio princeps, virtute atque artibus idem,*
*Mortales inter delubrum tale colebat.*

Rubrum libri est: *Grotius illustratus Henrici de Cocceii*, cui quippe Commentarii debentur; magna tamen pars Operis debetur industriæ Illustrissimi, quem modo nominavimus, Viri, qui ubique fere addidit observationes, *Additionum* nomine insignitas, quæ asteriscis ab ipsis Commentariis sunt
Præfat. distinctæ. In *Prolegomenis* veterum Philosophorum sententiæ
Proleg. *de jure naturæ*, *ejusque existentia*, colliguntur. *Quatuor ju-*
§. 3. *ra universalia*, quibus *Grotii* opus innititur, nimirum 1) *jus*
Proleg. *naturæ sociale*, 2) *jus naturæ laxius sumtum*, 3) *jus gentium*
§. 8 - 17. *voluntarium*, ac denique 4) *jus divinum universale*, (quod
Lib. I triplex fingit, jus *Adamiticum*, *Noachicum*, ac Evangelii legem,)
Cap. 1 secundum mentem Autoris explicantur non solum ac illustrantur,
§. 9 - 17. verum quoque refutantur simul. *Socialitatem* non esse princi-
Lib. I pium juris naturæ, & doctrinam de intrinseca ejus bonitate,
Cap. 1 adeoque de immutabilitate juris naturalis, periculosam admo-
§. 10 seq. dum esse, late probatur. Proponitur vero simul aliud principium, illudque in *voluntate Dei* constituitur, per quam de-
Lib. I claravit, *jus suum cuique esse tribuendum*. Quod ad *bella* atti-
Cap. 2. net, eorum origo ex naturæ rationibus demonstratur, dubia-
Lib. I que, ex Evangelii præceptis desumta, solvuntur. Ad distinctio-
Cap. 3. nem in *publicum* (quod jure gentium *solenne* est,) & *minus solenne* quod attinet, ea latius examinando refutatur. Ubi cir-
§. 5. ca originem summæ potestatis, ejusque jura, multa disputantur

tur erudite solideque: nimirum, quæ sit *summa potestas*; in Pag. 238.
quibus locis, rebus, personis, & causis, sit fundata; penes po- §. 5.
pulum realis quædam potestas an sit; ubi nova ratione proba- pag. 223.
tur, legem regiam, per quam omne jus populi in Imperato- §. 7.
res Romanos translatum fuerit, exstitisse nunquam. Quam pag. 243.
*de regno patrimoniali Grotius* sententiam proposuerat, ea exa- §. 8.
minando rejicitur, demonstratione insuper addita, quod tale pag. 252.
non fuerit Ægyptiacum regnum. Quæ de tutela Regum dici §. 12.
possunt, ea late tradita reperies *§. 15 pag. 291.* De synedrio agit pag. 270.
*§. 20 pag. 308*, de avtonomia vero Judæorum, ejusve amissio-
ne, id est, de ablatione sceptri de tribu Juda, singularia multa tra-
dita reperies *Lib. I Cap. 4 §. 7 pag. 350.* Curiosa quoque Lib. I
multa habet Dissertatio *de jure regis ejecti*, & *de administra-* Cap. 4
*tione usurpatoris regii, ac utriusque effectu. Libro II Cap. 1* §. 15.
termini ponuntur defensioni necessariæ, quæ *belli privati* no- pag. 364.
mine *Grotio* venit. *Capite 2* dominiorum demonstratur ori- §. 3.
go, ubi probatur simul, nullo fundamento niti eorum senten-
tiam, qui volunt, res ab initio fuisse communes, dominiaque
hominum voluntate demum orta esse, ex quo facultas occu-
pandi singulis obtigerit. Vera ergo erit contraria huic senten-
tia, puta, dominia a natura esse immediate, quæ late proba-
tur, insimul variæ deciduntur quæstiones, veluti, num mare Cap. 2
possit occupari; rerum ad amicos pertinentium occupatio num §. 3.
& quando sit licita; num transitus jure naturæ debeatur; fig- Cap. 5
mentum vero eorum, qui tradunt, jus illud pristinum com- §. 8.
mune reviviscere vel ex *necessitate*, vel ex *innoxia utilitate*, §. 10.
rationibus haud contemnendis exploditur. *Tertio Capite* jus §. 13 seq.
occupandi ex ipsis naturæ principiis demonstratur, ex quo, §. 6. 13.
quænam res occupari non possint, prono alveo fluit. Quæ- §. 1 seq.
stionem propositam haud incelebrem, num limes imperii per §. 4.
alluvionem alveive derelictionem mutetur, ibidem denotatam
atque decisam videmus. Paucis interjectis, refellitur doctrina
de *dominio generali*, quod præter imperium ex occupatione §. 19.
acquiri, *Grotio* erat persuasum. Ad *præscriptionem* jam deve-
niamus, cui *quartum Caput* destinatum videmus; quam non
ex præsumta oriri derelictione, cum jure hominum naturali ra-
tione

Digitized by Google

tione præscriptione non tollantur, eleganter demonstratur, quæstione insuper mota ac decisa, num pater derelictione, aliave sua dispositione, jus, liberis, vel jam natis, vel demum nascituris, quæsitum, possit auferre. In *quinto Capite* multa occurrunt non ubivis obvia: veluti, 1) male jus, quod ex statu hominum oritur, referri ad jura in re, evidentissime probatur; 2) ori-
§. 12. go patriæ ac maritalis potestatis nova ratione deducitur; 3) di-
Pag. 585. vortia jure naturæ licita esse, nec a Servatore improbari, pro-
588. batur; 4) ratio nuptiarum prohibitarum demonstratur: ubi novis simul rationibus evincitur, nec *Abrahamum* sororis, nec
§. 15. amitæ maritum fuisse *Amramum*; 5) polygamiam atque concubitum jure naturæ non improbari, asseritur, explicata simul differentia Juris Romani inter uxorem & concubinam.
§. 17. Denique rationem redditam videmus, cur pluralitas suffragiorum in collegiis debeat obtinere; si vero inter se dissentiant, quomodo sint computanda. *Sexto Capite* proponuntur quæstiones celebres, num imperium, vel saltem ejus pars, regalia,
§. 14. domania, &c. alienentur recte. In fine, testamenta jure naturæ esse nulla, indeque talem dispositionem alienationis speciem non esse, ostenditur. Quæ *septimo Capite* tractantur, maximi momenti sunt; inquiritur enim ibi in originem successionis tum rerum
§. 6. privatarum, tum regnorum. A §. *1* ad *12* demonstratur, jus succedendi privatum non oriri ex jure alendi, nedum ex surrogatione in jus occupandi, sed ex jure familiæ. Dein exponitur ratio, cur liberi, etiam legitimati per subsequens matrimonium, non vero ex concubinis nati, vel spurii, succedant
§. 12. parenti; quæque juris repræsentationis sit origo. Ad successionem in regnis quod attinet, *Grotius*, regnum esse vel patrimoniale, vel ex voluntate populi delatum, asseruerat: quæ distinctio multis in medium adductis argumentis refellitur. Sed & demonstratur, jure naturæ hæreditariam successionem in regnis locum non habere, (quam Autor secundum graduum proximitatem fieri, & fœminas quoque post masculos admitti, putat,) sed natura successionem esse linealem, solisque deferri masculis. Hæc quasi per lancem saturam enarrata sufficere poterunt ad demonstrandum, plurima notatu digna vel plane nova, vel quæ

Digitized by Google

quæ novis naturæ rationibus fulciantur, in præstantissimis hisce Commentariis, eorumque additionibus, ubique occurrere, ex quorum lectione nemo nisi doctior redibit. Nihil igitur vehementius optamus, quam ut *alter Tomus*, qui prela jam exercet, propediem in dias luminis auras exeat, quem proinde avidissime exspectamus.

DE CROSTACEI ET DEGLI ALTERI MARINI CORPI, che si truovano su' monti, Libri due di ANTON-LAZZARO MORO.

hoc est,

*DE CRUSTACEIS ANIMALIBUS, ET aliis corporibus marinis, quæ in montibus deprehenduntur, Libri duo, Autore ANTONIO LAZARO MORO.*

Venetiis, apud Stephanum Monti, 1740, 4 maj.
Alph. 2 plag. 10, Tab. æn. 8.

Disquisitio telluris non eruditorum meditationibus, sed maxime observationibus, sæpius repetitis, & continuatis, perficitur. Phænomena sola, caute observata, & inter se comparata, difficili huic doctrinæ lucem affundunt, & fictas Physicorum hypotheses sæpius refellunt. Celeberrimus hujus Operis Autor in disquirenda Telluris natura maxime quidem ad phænomena respexit, crustacea animalia, & alia marina corpora, in diversis montibus, eorumque stratis, reperta, examinavit, & non sua tantum, sed aliorum quoque, observata, hac de re collecta, in indagatione veritatis adhibuit. Totum Opus in *duos Libros* divisit, quorum *primum* in theoriam Telluris, a variis Autoribus, inprimis a *Burneto* & *Woodwardo*, stabilitam, inquirit, in *altero* vero sententiam suam exponit, & observationibus & experientiis confirmat. *Libri primi Caput primum* introductionem sistit. *Caput 2* vero rem pertractandam accuratius definit. Quæstionem enim primariam ponit, quænam fuerit occasio, qua corpora marina sub montes deducta fuerint. Ex hac igitur pendentem aliam quæstionem tractare debuit, qualis fuerit origo

insularum, montium, & omnium stratorum terræ, superficiei telluris vicinorum. *Cap. 3* varias Autorum sententias recenset, & inter omnes duas inprimis refellere conatur, quarum prima asserit, naturales inundationes maris, montes corporibus, in mari productis, replevisse, quæ post aquarum regressum remanserunt; altera vero diluvium universale tanquam caussum harum mutationum assumit. Licet enim eædem a Cel. *Vallisnierio* jam fuerint destructæ; tamen novis quodammodo argumentis rem hanc petractare videtur. *Cap. 4*, diluvium a caussis naturalibus non productum fuisse, asserit, ideoque corporum marinorum transitum in montes ei adscribi haud posse. A *Cap. 5* ad *9* *Burneti* sententiam de diluvio exponit & refellit, &, postquam *Cap. 10* veram ideam de quantitate aquarum, in universali diluvio delapsarum, ex sacra Scriptura assumsit, & globum totum teraqueum usque ad summitatem altissimorum montium, & paulo ultra, aquis cinctum fuisse, exposuit, immensam molem quodammodo definire suscipit, & inde a *Cap. 11* usque ad *16* ulterius *Burnetianum* systema destruere conatur. A *Cap. 17* ad *23* Systema *Woodwardi* eodem modo examinat & refellit, & in sequentibus hujus libri *Capitibus* usque ad *29* alias Autorum sententias de translatione corporum marinorum in montes disquirit. De his vero controversiis longius differere supersedemus, jam sententiam Autoris, *Libro secundo* propositam & stabilitam, Lectoribus nostris exposituri. *Cap. 1* methodum, in præsenti disquisitione assumtam, proponit, docens scilicet, se per observationes collectas ostendere velle quomodo quædam marina corpora in montes deducta fuerint, & hinc concludere, reliqua etiam corpora eodem modo fuisse transportata. *Cap. 2* observationem *Condilli*, ad *Vallisnierium* transmissam, refert, qua ostenditur, in Archipelago prope insulam Santorini A. 1707 rupem quandam fluctuantem in mari apparuisse, navi, naufragium passæ, similem, quæ sub variis mutationibus, cum terræ motu & montibus ignivomis alias conjunctis, a mense Martio usque ad Octobrem ita quidem increfceret, ut novam insulam sisteret, quæ, ex abysso elevata, circuitum trium milliarium Italicorum, & altitudinem qua-

quadraginta pedum, obtineret. Hæc vero insula, ut ex observationibus P. *Goree* cognoscimus, A. 1708 sex milliaria Anglica in circuitu habuit, & usque ad annum 1711 ulterius novis accessionibus aucta fuit. *Cap. 3* alteram observationem de novo monte, prope Pozzuolam A. 1538 orto, adducit, qui quidem cum terræ motu, exhalationibus & igne erumpente, magnam saxorum & cinerum vim undique dispergebat, & pagos vicinos destruebat, ipse vero post tantas mutationes tria milliaria in circuitu complectebatur. His observationibus *Cap. 4* alias circa Vesuvium, & *Cap. 5* circa Ætnam, factas subjungit. Exponendo nunc novam suam sententiam circa quæstionem propositam, eam sequenti propositioni includit: Animalia & vegetabilia marina, quorum exuviæ, vel relictæ partes, hodie adhuc supra montes, & in iisdem, deprehenduntur, in aquis marinis nata & nutrita, & tunc demum, quando montes supra superficiem maris elevati apparuerunt, in illa loca, ubi hodie petrefacta inveniuntur, ejecta fuerunt. Hæc sententia a variis quidem prolata videtur; Autor vero ob accuratam & experientiis illustratam explicationem novam pronuntiat. *Cap. 6* ex similitudine corporum marinorum & petrefactorum perfecta, illos errare, ostendit, qui, corpora in gremio terræ lusu quodam naturæ efficta fuisse, asserunt; *Fabii Columnæ* experimentum, cum glossopetris Melitensibus institutum, adducit, quæ, in igne calcinatæ, in cineres, quales a partibus animalium impetrantur, a lapidibus calcinatis diversos, mutatæ fuerunt; tandem quoque *Woodwardi* experientias apponit. *Cap. 7* per novam insulam in Archipelago ortam commonstrat, marina corpora montibus fuisse immista, cum turbulenti motus insulam ex mari elevarent. Ne vero præter hanc nullæ aliæ suppetere observationes videantur, *Cap. 8* ex *Plinio*, *Strabone*, & aliis scriptoribus, similes mutationes indicantur, quæ, licet non tam accurate descriptæ fuerint, tamen phænomena terræ motus, semper conjuncta habuerunt, ita, ut eo modo non tantum insulæ novæ formatæ, sed & aliæ insulæ cum terra continente conjunctæ fuerint. *Cap. 9* Autor varia fabulosa, de ortu insularum in Poetis narrata, exponit, & ad similem mutationem provocat; *Capite*

vero *10* ad similem productionem omnium insularum concludit. Sunt quidem haud pauci, qui tales mutationes in minoribus insulis & scopulis, non autem in majoribus, concedunt; hi vero insulas ipsas non satis disquisiverunt, ut ad convenientiam majorum cum minoribus concludere possent, quod argumentum a *Strabone*, jam prolatum, ulterius declarat, & non tantum ad insulas varias, sed *Cap. 11* eodem modo ad montes omnes telluris præcipue ignivomos, extendit. Ne vero hæc tantum ficta videantur, *Cap. 12* ex situ montium & ex stratis, similem fuisse montium ortum, ostendit. Proponit igitur structuram montium, a Cel. *Vallisnierio* descriptam, & sigillatim omnia phænomena adducta ex sententia sua, quod nimirum ignis subterraneus omnes has mutationes produxerit, declarare annititur. Semper quoque attendit ad distinctionem montium in primarios, qui magnam lapidum molem sistunt, & secundarios, qui ex diversis stratis diversimode compositis oriuntur. Illi a vi terræ motuum ex undis marinis elevati fuerunt; hi vero arenam, cineres, mineralia varia, corpora marina, aliaque naturalia, ex montibus primariis vomitu expulsa, in stratis disposita sistunt. Ex his itaque *Cap. 13* strata varia, in planitie posita, & montibus juncta, explicat, ex quibus non tantum expositum montium ortum ulterius declarat, sed simul ostendit, quomodo marina corpora his misceri potuerint. Strata enim in planitie ad montes ignivomos proxima ipsi argumento sunt, similem stratorum productionem in aliis terris a montibus ignivomis, nunc remotis, statui posse, &, licet planities multæ ampliores inveniantur, tamen, a minori ad majus in rebus his physicis conclusionem omnino valere, arbitratur. *Cap. 14, 15, 16, & 17,* varias objectiones suæ sententiæ contrarias proponit & refellit. In sequentibus vero ad explicationem variorum phænomenorum progreditur, quæ per ipsius hypothesin melius, quam per alias, explicari possunt; e. g. *Cap. 18* disquirit, cur in quibusdam montibus, nec in aliis, corpora marina inveniantur; *Cap. 19,* cur alii montes in superficie, alii in interioribus stratis, corpora marina contineant. Has & alias quæstiones usque ad *Cap. 28* ingeniose & diligenter disquirit. Tandem

*Cap. 29*

*Cap.* 29 sententiam suam in compendio exponit, summam dictorum ex observatis colligit, & ita ad primas mutationes regreditur. Quæ meditatio, cum primaria tractationis suæ momenta complectatur, brevissimis exponenda erit. Globus noster teraqueus, cum primum a Deo creatus existeret, aquam ubique circumfusam habuit, dulcem, nec multum supra solidi superficiem eminentem. Hæc solidi superficies saxa ostendebat, qualia in mari inveniuntur, & a *Marsillio* essentiale solum dicuntur. Tertio creationis die superficies solida, per ignis vim & terræ motum elevata, supra aquarum superficiem erumpebat, & montes formabantur, qui, ignis subterranei violentia fissi, humum, sabulum, salia, bitumina, sulphura, & ex his mixta alia corpora, evomebant. Materia hæc expulsa, instar fluminum mota, partim in aere libero subsistebat, partim sub aquas circumfusas descendebat; salia & bitumina mari salsedinem amaram conciliabant, & ita quoque accidentale maris solum, a *Marsillio* ita dictum, producebatur. Interim vel ipsi montes primarii similem materiam denuo evomebant, vel a latere eorum secundario oriebantur, & strata diversa terræ jam formata novis obtegebant. Ex quibus omnibus profunditas maris, tractus montium, insularum novarum formatio, & formatarum conjunctio cum terra continenti, explicari potest. Quo facto, vegetabilia & animalia producta fuerunt. Montes vero hinc inde simili modo evomebant materiam terrestrem, superficies terræ marisque profunditas augebantur, & aquæ marinæ magis magisque salsedine imbuebantur. His ipsis quoque mutationibus animalia & vegetabilia varia, inprimis marina, stratis terræ immiscebantur. Sed, cum etiam successu temporis terræ cultæ elevatione novorum montium subverterentur, varia corpora naturalia & artefacta, in ruinis illis submersa, in stratis terræ invenita sunt. Cel. Autor in hac tractatione quidem a cognitis superficiei telluris mutationibus ad incognitas concludit, varias Autorum observationes, suæ sententiæ faventes, erudite exponit, nexum doctrinarum aptum & facilem ostendit, & difficillimam telluris theoriam egregie declarat; dubitamus tamen, an terræ motus, & materiæ ex ignivomis



Digitized by Google

vomis montibus oriundæ, per ſtrata varia diſperſæ, omnes mutationes telluris explicare poſſint. Cauſam quidem concurrentem & ſociam fuiſſe, nemo negabit, at vero primariam & ſolam fuiſſe, ex teſtimoniis Hiſtoricorum minime probari poterit, ideoque ſola analogia & concluſio a minori ad majus ad rem hanc declarandam vix ſufficiet. Cum tamen impoſſibile videatur, in re hac ardua, & longius a ſenſibus noſtris remota, omnes errores evitare; in his exponendis ſufficit omnino, phænomena cognita allegare, explicare, & ulteriori Phyſicorum diſquiſitioni permittere.

## Hiſtorie der natürlichen Gottesgelahrheit, ꝛc.

hoc eſt,

## *THEOLOGIÆ NATURALIS HISTORIA, A PRIma mundi ætate ad noſtra uſque tempora deſcripta, a JO. ACHAT. FELICE BIELCKIO, Philoſ. Mag.*

## *Partes II.*

Lipſiæ & Cellæ, apud Georg. Conrad. Gſellium, 1742, 4.
P. I Alph. 1 plag. 15, P. II plag. 15.

Grave & jucundum ſibi legunt ſcribendi argumentum, qui de ingenii humani viribus & ſtudiis, eorumque fatis atque fortuna, diſſerere inſtituunt; in quo genere librorum cum ponenda ſit hæc Theologiæ naturalis hiſtoria, non eſt timendum Clariſſimo Autori, ut lectores inveniat æquos ſuo conatui, & labori applaudentes. Juſto ut procedat ordine, *tres* conſtituit univerſæ tractionis *Partes*, quarum *prima de origine & conſtitutione Theologiæ naturalis ab orbe condito ad Chriſtum natum* agit, *altera ejusdem Theologiæ conditionem a nato Chriſto uſque ad emendationem ſacrorum, a Luthero factam*, ſiſtit, *tertia* denique, *qualis eadem ab emendatione illa ſacrorum ad noſtra usque tempora fuerit, & nunc ſit*, definit. Exhibet hanc rerum ſeriem, quæ præmittitur huic *Volumini*, duas priores complectenti partes, *introductio*, *de Theologia naturali generatim* exponens,
§. 1. ponens, ac primo loco monens, verum illud ac indubitatum, eſſe Deum, a ſummis viris & Philoſophis adſtructum, hic ſupponi,

ſupponi, tum vero etiam exiſtentiam non minus, quam præ- §. 4. 5.
ſtantiam, hujus diſciplinæ commonſtrans, quæ cum Ill. *Wolffio* Pag. 2.
ſcientia de Deo, Deique natura & operibus, ex principiis ſanæ
rationis ſolide demonſtrata, habetur, miſſaque illa de ſpiriti-
bus ac geniis, quos angelos vocant, doctrina, naturalis non 3.
prætermittitur Dei cultus & religio, cujus, veluti partis practi-
cæ Theologiæ naturalis, aliqua in hoc libro paſſim adjecta eſt
commemoratio. His præmiſſis, ipſa ſequitur rei tractatio, ejus-
que *Partis, duobus Capitibus* abſolvendæ, *Caput I, de Hebræo-
rum naturali Theologia* inſcriptum, quo illa a primis huma- 14.
ni generis parentibus, incolisque terrarum orbis primis, repe-
titur, quos *Moſis* commemorat hiſtoria ſacra, miſeram vero
illam fuiſſe in gente Hebræorum, nefanda idololatria ac ſuper- 30. 31.
ſtitione ſæpius polluta, vixque unum atque alterum calluiſſe
illam, ex ſectis celebrioribus Phariſæorum, Sadducæorum, & 34.
Eſſæorum, quin & Cabbala, oſtendit. Differit *Cap. II de Theo-* 39.
*logia naturali inter gentes profanas, tribus* diſtinctis *Sectionibus,*
quarum *prima* ſpectat Aſiæ & Africæ populos, Chaldæos, Per-
ſas, Phœnices, Indos, & Ægyptios, inprimis Chaldæorum
Perſarumque *Zoroaſtrem*, ejusque oracula, Phœnicum *San-* 41. 60.
*choniathonem*, Indorum *Confucium*, Ægyptiorum ſapientiam, 71. 78.
in toto terrarum orbe celebratam, celebrisque nominis Phi- 81.
loſophos, *Thaletem, Pythagoram, Platonem*, alioſque, ad ſe
vocantem & allicientem, quorum quidem ingenii fœda ſuper-
ſtitione detrita minus recte de Theologiæ naturalis præceptis
& doctrinis ſenſiſſe videntur; neque meliora in ea edocti fue-
runt, qui cum Græcis *Sectione* hujus *Capitis ſecunda* comparent, 98.
Celtæ, rectiora tamen Græci, ſi a fabuloſa illorum Philoſophia 103.
receſſeris, verique nominis Philoſophos, eorumque ſcholas, in-
tuearis, quorum ex Ionica ſchola *Thales*, Mileſius, autor, *Ana-* 106. 118.
*xagoras*, emendator & inſtaurator ejus, cum *Archelao* & *So-* 121. 122.
*crate*, ejusdemque diſcipulis, ſcilicet *Ariſtippo*, Cyrenaicæ ſcho- 138.
læ magiſtro, *Euclide*, Megaricæ principe, *Phædone*, Eleaticæ, 140. 144.
*Platone*, Academicæ primæ, *Arceſila*, aliisque, Academicæ me- 146. 147.
diæ, *Carneade* & *Clitomacho*, Academicæ novæ, *Ariſtotele*, Pe- 168.
ripateticæ, *Antiſthene*, Cynicæ, *Zenone*, Stoicæ, ducibus; 169.
tum

Digitized by Google

Pag. 184. tum vero etiam ex Italica schola *Pythagoras*, cum discipulis,
187. *Xenophane*, Eleaticæ scholæ doctore primo, *Leucippo*, ejus-
207. 235. dem instauratore, *Heraclito*, scholam sui nominis relinquente,
238. & exinde provenientem Epicuræam, *Pyrrhone*, &, qui secuti
247. sunt eum, aliis, quorum Theologia naturalis, & dogmatica, & mo-
252. ralis, breviter delineatur, denique vero demonstratur, quam va-
257. 277. na, quamque irrita, plerorumque de Deo, Deique natura, scien-
284. tia fuerit, & quam vere in illos congruat divi *Pauli* illud *Rom. I*:
Rom. I. Γνόντες τὸν Θεὸν, ὐκ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν. Perti-
285. net idem ad Romanos, quorum *Sectione tertia* conspicitur
288. Theologia naturalis, qui sequentes quidem ac frequentantes celebriores Græcorum scholas, eorum tamen in Philosophia stu-
299. dium vix adæquarunt, multo minus superarunt unquam, certe non illis ante Christum natum Seculis. Ex his vero facile cuivis esse intellectu existimamus, qualis scientiæ de Deo rebusque divinis naturalis sequenti post Christum natum ævo ad tempora usque emendationis sacrorum D. *Lutheri* fuerit conditio, id quod *Parte II* hujus *Libri* expenditur, & *duobus* absolvitur *Capitibus*. *Primum* quidem cum *Judæorum*, tum *ethnicorum*, considerat illorum temporum Theologiam naturalem, quæ, in utroque hominum genere mediis quasi in tenebris la-
P. II. tuisse, & profunda quadam caligine mersa, videtur illo tempo-
Pag. 2. re, quo natus est salutis humanæ instaurator optimus, nec clariore luce longo temporis & annorum intervallo collustrata.
4. 31. Neque enim vel ante commemoratis addicti scholis, vel novam,
32. *Potamone* autore, condentes eclecticam Philosophi ad emendandam augendamve hanc disciplinam multum attulerunt, quod
40. quidem, si vel ipsos hujus scholæ Philosophos, sive Theolo-
49. 50. 51. giam ipsorum naturalem, & præcipua de Deo & divina natura,
59. 62. 65. de origine mundi, de animo, ejusque natura, de geniis, eorum-
66. que potentia & officio, de providentia & fato, de unitione
71. 73. animi nostri cum Deo, curatius spectes, magis apparebit. Cum
78. vero lucem offundunt rationi revelationis divinæ dogmata, idque inter characteres religionis veræ habeatur & cœlestis veri-

tatis

tatis ſignum, quo non tollit, ſed confirmat, emendat, illuſtrat, auget Theologiam naturalem, hominumque de Deo rebusque divinis, ratione ſana duce, acquiſitam notitiam ſcientiamque, meliori uſa eſt fortuna in cœtu Chriſtianorum ſacro Theologia naturalis, quod *Caput II* hujus *Partis II, duabus Sectionibus* diſtinctum, *una* de primis Chriſtianorum doctoribus, quos Pa- Pag. 79.
tres nominamus, *altera* de ſequioris ævi illorum magiſtris, qui 110.
Scholaſtici dicuntur, exponente, fuſius docet. Primorum doctrinæ de Chriſto ſacræ præconum erant Philoſophiæ hoſtes alii, 80.
alii vero ejus amatores & propugnatores. Ab hoſtibus Philo- 81.
ſophiæ quid poterat ad Theologiam naturalem pertinens proficiſci, niſi quod inſciis & invitis excidiſſet? Amicis vero ejus non poterat non placere Philoſophia, de Deo rebusque divinis diſſerens, qua vehementer & ita quidem delectabantur, ut 82.
prorſus divinam illam exiſtimarent, eaque ad confutandos ſu- 85.
perſtitioſorum hominum errores quam maxime uterentur; quanquam aliqui eorum falſis, quibus Theologia naturalis re- 107.
pugnat, faverent ſententiis. Irruente deinde Seculis recentioribus barbarie & craſſa in ſtudiis literariis & philoſophicis ignorantia, ſua ſede turbante ſapientiam rerumque humanarum ac divinarum ſcientiam, vixque artibus ſic dictis trivialibus & quadrivialibus relinquente locum, nulla fere erat Theologiæ naturalis notitia & cultura, quæ, ſi *Joannem Scotum*, ſive *Erigenam*, Seculo IX, *Ruſcellinum*, Seculo XI, & *Thoman de A-* 110.
*quino*, Seculo XIII celebrem, exceperis, vix ulli innotuiſſe cen- 113.
ſetur. Supereſt *tertia* hujus libri *Pars*, conditionem Theologiæ naturalis ab eo inde tempore, quo priſcum ſacris nitorem reſtituere ſuſcepit *Lutherus*, ad noſtram uſque ætatem *quinque Capitibus* complectens, ſed quæ nondum luce publica donata eſt. Enumerabit *Cap. I tribus Sectionibus tres ordines* eorum, qui me- P. I.
thodo ſyſtematica Theologiam naturalem conſignarunt, & *primus* Pag. 8. 10.
quidem ordo illorum eſt Autorum, qui naturalem Theologiam ſeparatim expoſuerunt, *ſecundus* iſtorum, qui eam cum Metaphyſica conjunctam exhibuerunt, eorum denique *tertius*, qui Theologiam naturalem & divinam, ſive revelatam, conjunctim



Digitized by Google

ediderunt. Recensebit *Cap. II* Autores, singularia Theologiæ naturalis capita pertractantes, quorum *ordines tres tribus Sectionibus* leguntur, aliquorum, existentiam Dei probantium, aliorum, hanc vel illam divinarum virtutum explicantium, illorum denique, qui disceptasse reperiuntur circa doctrinam de bonitate & providentia divina. Describet *Cap. III* singularium gentium, aut personarum, illam de Deo rebusque divinis scientiam; nominabit *Cap. IV* scriptores, contra Atheos cum generatim *Sectione prima*, tum speciatim *Sectione secunda*, differentes; proferet denique *Cap. V* cum defectus Theologiæ naturalis, tum libros, Naturalistarum errores confutantes. Separatim prodibit hæc *tertia* & præcipua *Pars* hujus Historiæ, si prioribus, quas recensuimus, non defuerit lectorum plausus & exoptatus favor. Non est improbandum Clarissimi Autoris consilium, quo ad scribendum animum contulit, deesse ratus rei literariæ librum, qui Theologiæ naturalis historiam separatim atque ex instituto exponeret; quanquam idem persecuti sint argumentum Viri doctissimi, vel universæ Philosophiæ cum historiam, tum institutionem, contexentes, vel Theologiam, autore Deo inter homines receptam, resque ad eam pertinentes singulari studio atque ingenio docentes. Horum studiose legit vestigia Clariss. Autor, ex horum, veluti fontibus, hausit libris, atque in suos, quod ad rem suam pertinebat, derivavit rivulos, ut gravioribus in rebus, & ad ipsam Theologiam naturalem spectantibus, passim allatis, redire ad illos liceat lectoribus, plura desiderantibus. Ceterum laudandus est ordo & scribendi methodus, laudanda est Autoris Clariss. modestia, maturitatem operi a virilibus annis ingeniique exercitatione promittens, laudandum denique ipsum laboris præmium, non aliud, nisi *Antonii* illud, quæsitum, ita ipsi descriptum:

P. I pag. 6.

Præf. pag. 3.

*Discussi, fateor, sectas Antonius omnes,*
*Plurima quæsivi, per singula quæque cucurri;*
*Sed nihil inveni melius, quam credere Christo.*

Teutsch-Lateinisches Wörterbuch, rc.

hoc est,

hoc est,

*GERMANICUM ÆQUE AC LATINUM LEXIcon JOANNIS LEONH. FRISCHII.*
*Pars posterior.*

Berolini, sumtibus Nicolai, 1742, 4.
Alph. 3 plag. 6½.

Laudavimus merito jam anno superiori Autoris laudatissimi, nuper placide exstincti, conatum, laudibus nostris superiorem, quo & utilitati & gloriæ nationis Germanicæ ipse adeo consuluit, ut exteris in hac quoque eruditionis parte palmam simus dubiam reddituri. Subjecit Vir Cel. Lexico Germanico Lexicon Latinum satis copiosum, in quo geographica, medica, chimica, juridica, ac theologica, vocabula æque ac consueta exhibentur. Dabimus ex utroque Lexico nonnihil speciminis. *Nabe* vocatur Pag. 3. a nostris modiolus rotæ, qui circa axem vertitur. Originem vocis Autor solide arcessit ex *nabel*, umbilico; *nabe* vero congruit voci *ὀμφαλὸς* & umbilicus. Insectis distincte dignoscendis Vir Cel. multum dedit operæ. Hac notitia egregie in hoc Opere usus fuit. Dabimus exemplum. Nostri cicindelam, seu lampyrida, vocant *Nachtmücke*. Ad hanc vocem addit Noster, marem instar bruchi noctu volitare, fœmellam humi repere. *Nycticoracem*, qui hirundo est, noctu vigilans, interdiu dor- 4.
miens, hirundine diurna duplo major, scienter describit. Ad vocem *Nachtgesang* annotamus, cantum carronicum & monasticum illum, nocti proximum, appellari vulgo *completorium*. Vocem *Nachtschicht* exponit per laborem fossorum in metallifodinis nocturnum. Addimus, metallifossoribus Hercinicis *Schicht* idem esse ac cessationem a labore, & *Schicht machen* laborem intermittere. Glossopetras Vir Cel. reputat pro car- 9.
chariæ dentibus. Vocem *Natter* derivat ex *ene Otter*, hanc vero ex *Eiter*, seu *Eittar*, id est, veneno. Grata est divisio 21.
sextariorum salinæ Halensis. Ad vocem *Nol-bruder* annotamus, ea appellatione in Comitatu Hoja illum designari, qui rebus venereis immodice dat operam. Ratio denominationis facile ex Autore innotescit. Ad vocem *Pagen* succurrit memoriæ

 signifi-

significatus, in agro Luneburgico tritus, ubi rustici equum ma-
Pag. 37. rem vocant *Pagen*. Differentiam Autor attulit inter *Panier* &
*Fahnen*, seu inter *vexillum quadratum* & *signum*. Autorita-
46. tem vocis *Petschafft* repudiavit, significans, vocem *Petschier*
esse Bohemicam *Petschet*, quæ *annulum signatorium* notat. Vo-
cem *Pistole*, quæ aureum Gallicum, seu Hispanicum, 5 Thale-
60. ros valentem, notat, deducit ex urbe Tusca *Pistoria*. Deside-
ramus vocem *plampe* pro acinace, seu gladio magno. *Picken*
est alicubi idem ac clanculum furari. *Rabat* est vox etiam
mercatorum arithmetica. Pro *reuten*, *rotten*, eruendo, Sa-
xones inferiores adhibent *roën*, *rüen*. Inde appellantur variæ
123. villæ, e. g. *Rüden*, *Salzrüden*, &c. Vitulum marinum, *Robbe*,
accurate descripsit Autor. De vase musico *Rotte* docte com-
161. mentatus est. Vocem *Schameluc*, quæ togam muliebrem de-
notat, deducit ex voce Arabica שמל, *vestiendi* notionem in-
dicante, addens, hunc vestitum a Turcis in Hungariam, ac
inde ad Germanos, transiisse. Vocem *Spenel*, quæ aciculam
notat capitatam, peringeniose ex *spinula* arcessit, respiciens ad
297. *Tacitum de M. G. Cap. 17.* Et quid multa? Commendat sese
Lexicon hoc usquequaque. Exhibet enim rerum obscuriorum
definitiones, ex regno Physicorum triplici breves observatio-
nes, rituum medii ævi notitiam solidam, licet succincte descri-
ptam, difficiliorum vocum felicissimas originationes. Redolet
sane officinam *Phidiæ* hoc Opus, ad quod concinnandum &
expoliendum tot anni excubuerunt, peritissimusque accessit &
exercitatus magister.

TRAITE' DES FINANCES ET DE LA FAUSSE MONnoie des Romains, auquel on a joint une Dissertation sur la maniére de discerner les Medailles antiques d'avec les Contrefaites,

id est,

## *TRACTATIO DE PECUNIIS PUBLICIS ac adulterina moneta Romanorum; cui accessit Dissertatio de ratione discernendi Numismata antiqua a fictis.*

Parisiis,

Parisiis, apud Briassonum, 1740, 8.
Plag. 15½.

Complectitur volumen omne Præfationem, seu introductionem, tractationem ipsam de pecunia Romanorum, ac eorum numis adulterinis, præter adjectam Dissertationem. *Colbertus* olim jam id negotii dederat viro erudito, ut de eo argumento exponeret. Eruditi illius viri tractatio tandem aliquando exit in lucem, nomen vero Autoris istius latet. *Romulus* Vejis devictis septem ademit pagos seu castella ad Tiberim, salinis exceptis, indulgens eis inducias ad centum annos. *Tullus Hostilius* Sabinis devictis imperavit multam pecuniariam. *Anco Marcio* visum est exigere a Volscis reparationem damni, numis æstimatam. *Tarquinius Priscus* incolas Collatiæ, Sabinorum loci, jussit multam solvere pecuniariam. *Assibus scorteis* Romani ante *Numam* fuerunt usi, factis ex terra cocta & corio, quibus exigua nota erat inserta. *Numa* cœpit adhibere numum æneum, quo merces fuerunt ad pondus permutatæ. Rex *Tullus* jussit monetam fieri ahenam, eamque insigniri imagine bovis, aut ovis, quæ usum præbuit Romæ usque ad annum U. C. 485, quo numi argentei fieri cœperunt. Post 62 inde annos numus quoque ex auro adornatus. Consules noluit amplius onerari cura Quæsturæ *Valerius Publicola*, ac duos constituit Quæstores, qui ærario publico, in ædem *Saturni* translato, præessent. Constitit ærarium partim ex tributis ordinariis, partim ex auro imperatæ vicesimæ, ex venditis mancipiis comparatæ. Inde innotuit *aurum vicesimarium*, quod necessitatibus reipublicæ fuit reservatum. *Cæsar* hoc ærarium diripuit, ac opes, inibi inventas, adhibuit bello adversus *Pompejum* gerendo. Duces bellici olim huic ærario intulerunt manubias prædasque, ab hoste receptas. Tandem militi victori quoque pars earum cessit. Per tria secula miles Romanus munia obiit suis ipsius impensis. Anno autem U. C. 352 duo obeli in diem militi ut darentur, cives Romani omnes tributi genus novum pependerunt, equiti autem cesserunt in diem sex obeli. Antea equiti equus sumtu publico fuit concessus. Ex hoc autem tempore eques sibi ipse eum paravit. Ærarium ex præda non solum, sed etiam ex vicesima pecuniæ, ex manci-

piis paratæ, coaluit. Paulo ante *Pompejum* reditus annui Romanorum, in ærarium collecti, jam creverant ad 50 milliones drachmarum, ſeu quinque millia myriadum, id eſt, 25000000 libras Pariſienſes. At *Pompejus* ærarium adeo locupletavit terris reditibusque novis acquiſitis, ut illi intulerit 800000 myriadas drachmarum. *Auguſtus* ærarium opulentiſſimum *Tiberio* reliquit, ſcilicet vicies ac ſepties H. S. ſeu 200 millionibus librarum Pariſienſium refertum. *Caligula* vim pecuniarum tantam non toto vertente anno abſumſit. Ditaverat idem *Auguſtus* fiſcos ſuos, e quibus moriens nonnullis juſſit dari legata. Imperatores nonnulli imperarunt provinciis variis oleum, equos, texta, lardum, frumentum, ut ſuppeditaret, quod Romæ diſtribui poſſet, cum annonæ caritas & fames ingrueret. Hæc fuſius in Introductione ediſſeruntur. Tractatio ipſa continet *Capita ſex & viginti*. En illa. *Primo* exponitur de fundo dominatus Romanorum, ejusque reditibus. *Secundo* agitur de tributo ac terris, tributo pendendo obnoxiis; *tertio* de oneribus diverſis, præter tributa præſtandis; *quarto* de capitatione, ſeu de cenſu, viritim ſolvendo; *quinto* de publicatione bonorum fiſci cauſa, & multis; *ſexto* de criminibus, quibus pœna fiſci fuit juncta; *ſeptimo* de bonis caducis, ſucceſſionibus, legatis; *octavo* de bonis vacuefactis, a peregrino relictis, &c. *nono* de pecuniis, quæ ex mercibus ac victu veſtituque
Pag. 115. ærario obvenerunt; *decimo* de compluribus aliis jurium ſpeciebus publice lucroſis, de viceſima ex teſtamentis & mancipiis, de centeſima ex venditis mercibus, commeatibus, bonisque, quæ moveri, vel minus moveri, queunt; *undecimo* de denariis ac tributis ex hoſte & præda bellica; *duodecimo* de
128. numis, qui ex fœderatorum miſſu redibant; *decimo tertio* de donis muneribusque gratuitis; *decimo quarto* de tributis extraordinariis; *decimo quinto* de ſale, fodinis, mari, fluviis, & theſauris, unde ærario nonnihil obtigit; *decimo ſexto* de commodatis ac mutuo; *decimo ſeptimo* de exactionibus Romano-
169. rum peregrinis; *decimo nono* de modis levandi & ſublevandi exhauſtos. *Undeviceſimo* inſtituitur comparatio inter Romanorum ac Galliæ reditus pecuniarios. *Viceſimo* apparent Epiſcopi Romanorum, reditibus publicis invigilantes, vulgo Quæſtores.

ſtores. *Viceſimo primo* de eorum adminiſtratoribus agitur, qui- Pag. 187.
bus erat nomen *Palatinis*, ac *Comitibus largitionum* in Oriente, Ægypto, Thracia, ac Macedonia, vocatis vulgo *Perfectiſſimis* & *Rationalibus*, nec non de dignationis publicæ ſignis ac appellationibus illuſtrium, ſpectabilium, clariſſimorum, perfectiſſimorum, & egregiorum, de Comitibus commerciorum, ſeu ne- 191.
gotiatoribus, Comitibus auri, de rationalibus & procuratoribus Cæſaris, de Comitibus veſtiariis, de rei privatæ magiſtris, de procuratoribus gynæceorum, baphiorum, monetarum, ac 195.
de præpoſitis baſtagarum, id eſt, onerum transferendi res Principis & publicas, de procuratoribus linificiorum. Ea, quæ *Capite 22* enarrantur, alibi haud facile leguntur. Differitur hic de ſcriniariis undecim, ſeu de redituum pecuniariorum receptaculis. Primo erat nomen *ſcrinii canonum*, ſeu tributorum, ex auro conſtantium. Præerat ei *Perfectiſſimus*. Secundo erat nomen *Ducenarii*. Tertio præerat *Centenarius*. Qui Quæſtoris erant ab Epiſtolis, vocati fuerunt *Epiſtolares*. Scrinium ſecundum dici ſolebat *tabularium*, cui aderant tabelliones, & præerat *primicerius*, titulo Perfectiſſimi ornatus. Scriniarium tertium continuit *Numerarios*. Quartum continuit maſſam auri rudis, & primicerium maſſæ cum ſuo Perfectiſſimo, Tertiocerio, Quartocerio, aliisque adminiſtratoribus. Quin- 199.
tum fuit vocatum *ſcrinium auri ad reſponſum*. Sexto res veſtiaria fuit comprehenſa. Septimo fuit nomen *ſcrinii ab argento*, continenti vaſa Imperatoris argentea. In octavo parabantur ex auro annuli, & ex argento numi, dicti *milliarenſes*. In nono ſcrinio numerus rerum, ex auro & argento factarum, 202.
præter *vaſcularios*, *argentarios*, & *barbaricarios*, aſſervatus fuit. In decimo ſcrinio acta & judicia Quæſtoris in literas relata ſunt. Undecimo præerant *Mittendarii*, qui urgebant Proconſules ac Proconſules ad tributa mittenda, vectigalia, & publica, viarum curam & itinerum rationem habebant, ac veredaria publica dirigebant quaquaverſus. *Capite 23* Autor de Comite rerum privatarum Imperatoris diſſeruit, quem *Severus* inſtituit. *Capite 24* de Præfectis, huic Comiti ſubmiſſis, expoſuit. Quo- 206.
rum numero adſcripti fuere *Palatini* quidam, de quibus *Cap. 25*. *Capite* poſtremo univerſi recenſentur viri, quorum vigilantiæ

Digitized by Google

lantiæ reditus Romanorum pecuniarii fuerunt olim demandati. In Dissertatione adjecta egregiæ traduntur regulæ, quibus numi Romanorum genuini a recentibus ac effictis feliciter discerni possunt. Inseruntur passim ea, quæ sunt rarioris commatis, & ad inventos numos præstantiores genuinos pertinent. Digna est hæc Dissertatio, quæ *Joberto* Latine reddito in usum communem subjungatur.

A DISSERTATION CONCERNING THE ORIGIN of Printing in England, &c.

hoc est,

*DISSERTATIO DE ORIGINE ARTIS TYPOgraphicæ in Anglia, ostendens, inductam & exercitam esse a nostro populari Guilielmo Caxton in Monasterio occidentali, nec, ut quidam credunt, ab externo, & quidem Oxoniæ. Autore CONYERSIO MIDDLETONO, Theol. D. principe Bibliopola Universitatis Cantabrigiensis.*

Cantabrigiæ, typis expressum pro W. Thurlbourn, 1735, 4 maj. Plag. $5\frac{1}{2}$.

Primum Autor ait, scriptores Anglos credidisse, *Caxtonum* per occasionem mercaturæ in Batavia, Flandria, & Germania, didicisse artem typographicam, & exercuisse in Abbatia Westmonasteriensi, A. 1471, donec liber repertus sit Oxoniæ, A. 1468 editus, qui *Caxtono* dubium reddiderit primum artis exercitium. Sed Autor & librum illum, & monumentum aliud, opinioni vetustissimæ contrarium, variis modis refellit. Demonstrat enim plurimis exemplis, libros multos antiquiorem annum editionis profiteri, quam illi re vera expressi sint. Præsertim autem testimoniis antiquissimis primam typographicæ artis invectionem in Angliam *Caxtono* vindicat, v. g. *Stowii* in Descriptione Londini, *Trusselii*, *Richardi Bakeri*, *Howellii*, *Jo. Lelandi*, *Henr. Whartoni*. Adduntur hisce argumenta, ex rudibus literis, neglectione ordinandarum paginarum, defectu signaturarum, literis initialibus, petita. Illud autem eximium est indicium vetustatis librorum quorundam *Caxtoni*, quod, penna & atramento illos scriptos esse, negat. Hoc enim monitum in vetustissimo quoque libro legitur. Mortuus est A. 1494 decrepitus. Enarrat deinde Autor libros, a *Caxtono* expressos, qui in Bibliotheca Cantabrigiensi supersint. Ex quibus *pag.* 28 profert librum Latinum, *Crede mihi* dictum, per quem refellitur communis opinio, *Caxtonum* tantum Anglicos libros edere voluisse.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*
*Calendis Junii Anno MDCCXLIV.*
*Pars I.*

## *JACOBI ZANONII RARIORUM STIRpium Historia, ex parte olim edita, nunc centum plus Tabulis, ex commentariis Autoris, ab ejusdem Nepotibus ampliata. Opus universum digessit, Latine reddidit, suppplevitque, CAJETANUS MONTIUS, Phil. et Med. Doct. Colleg. Lect. Publ.*

Bononiæ, ex typographia Lælii a Vulpe, 1742, fol. Alph. 2 plag. 16, Tab. æn. 185.

*Jacobus Zanonius*, Myropola & horti publici Bononiensis præfectus, A. 1615 Montecchii, oppido florentissimo in agro Regiensi, natus, a prima infantia florum & herbarum amore captus, & inprimis studio botanico delectatus fuit, cum viginti annos natus Bononiam commigraret, & in *Bartholomæi Ambrosini*, qui herbarum scientiam profitebatur, disciplinam se traderet. Hic enim brevi tempore sic profecit, ut vicesimo septimo ætatis anno horti publici custodia eidem committeretur. Qua re excitatus, provincias vicinas peragravit, optimas stirpes ubique conquisivit, & paulo post, cum pharmaceuticam officinam instrueret, horti publici administrationi privati curam adjunxit. Non tantum igitur ab illis doctoribus, qui stirpes in horto Bononiensi demonstrabant, sed & ab aliis Italiæ & totius Europæ Botanicis, maxime colebatur. Hisce rebus effectum est, ut multas praeclarasque stirpes haberet,

beret, partim incognitas & novas, partim haud satis diligenter exploratas, quarum ipse historiam conscribere aggressus, figuris delineatis, æneisque tabulis incisis, suas adjunxit descriptiones. Primam Historiæ suæ partem, Italico sermone conscriptam, octoginta tabulis instructam, *Zanonius*, annos natus sexaginta, Bononiæ A. 1675 in folio edidit, eamque vectigalium præfectis nuncupavit; quo facto, senatus Bononiensis eum ejusque posteros civitate in perpetuum donavit. Ipse autem, *Peregrino* filio rei domesticae cura permissa, quod reliquum ætatis erat, in literis agere constituerat, alteramque Historiæ suæ Partem conficere maturabat, quam ut Latine scriberet, utque etiam primam in eandem linguam verteret, amici per literas hortabantur. Sed ætatis jam ingravescentis incommoda operi perficiendo obstiterunt, & ipse A. 1682 sexagesimo septimo ætatis anno obiit. Hæc, quæ jam brevissimis exposuimus, Editor in vita Cl. *Zanonii*, huic Operi præmissa, fusius declaravit, pluraque alia addidit, quæ ad nostrum institutum non adeo prope spectant. In Præfatione vero & consilium Autoris in hoc Opere instruendo, & quæ circa hanc editionem monenda sunt, explicavit. *Zanonius* triplicem finem spectavit, nempe ut imagines & descriptiones stirpium, ad eam diem incognitarum, traderet, deinde ut alias, nomine tantum recensitas, vel confusius propositas, accuratius exequeretur, postremo ut suas conjecturas de quibusdam *Theophrasti* & *Dioscoridis* plantis aperiret. Ducentas fere pro his omnibus Tabulas incidi in æs jussit, easque ita distribuit, ut octoginta, descriptionibus additis, unico Volumine complecteretur, ceteras alteri reservaret Operis Parti, cujus editionem mors Autoris et *Peregrini*, filii, tam diu remorata est, dum nepotes de his omnibus in lucem edendis deliberarent. Huic vero consilio occasionem dedit *Guilielmus Sherardus*, Britannus, qui A. 1716 & Tabulas & Commentarios Autoris relictos, diligenter inspectos, sic probavit, ut paratum se esse ostenderet, si Nepotibus ita libuisset, proprio ære omnia coemere, in Anglia hæc, vel Batavia, editurus. Sed Nepotes in patria propriis impensis prodire librum maluerunt, licet hoc ipso in sex & viginti annos dilata fuerit editio, donec

nec Cel. *Montius* in partem operis vocatus fuit, cui hoc muneris Nepotes *Zanonii* dederunt, ut brevem singulis Tabulis historiam adjungeret, sive ex Autoris ipsius schedis, sive ex propriis observationibus, confectam. Cum autem liber, hac ratione scriptus, a primo, quem Autor ediderat, nimium distare, ac ferme non ejusdem operis pars esse, videretur; Tabulas quoque veteris Historiæ, eadem ratione explicatas, ceteris adjungere, ac universum Opus Latine scribere, ut exteris quoque commune esse posset, visum fuit. Quilibet igitur intelligit, Cl. Editorem multa in hoc Opere præstitisse, quæ in commodum rei herbariæ cedunt, & a nobis brevissime indicanda sunt.

De ordine in plantis distribuendis haud adeo laboravit, sed easdem secundum seriem, ut ajunt, alphabeticam disposuit, qui ordo, etsi minime naturalis, parumque ad doctrinam idoneus, percommodus tamen est paucas tantum stirpes describentibus, ut *Dillenius* in *Horto Elthamensi* ostendit. Nomina haud pauca mutavit, sive quod non eadem essent Latina & Italica, sive quod appellationibus quibusdam, apud veteres usitatis, his temporibus vix uti liceat. Talem igitur habuit delectum nominum, ut recentiorum Botanicorum, præsertim *Tournefortii*, sequeretur regulas. Vocabula inusitata ac nova nulla prorsus fecit, ac vix unquam herbæ cuipiam ejusmodi tribuit nomen, quo non antea ab aliquo ex Botanicis superioribus nuncupata esset. Quædam etiam Cel. *Linnæi* nomina libenter assumsisset, nisi hujus scripta, Opere jam disposito, ad Editorem pervenissent. In describendis plantis subtilem quandam & accuratam enumerationem partium neglexit, quia descriptiones longiores raro obscuritate carent, & partium varietates, ab accidentalibus causis oriundæ, vix satis indicari queunt. *Dioscorides* interpretationes non ea verborum ac sententiarum copia retulit, qua Autor usus erat, sed opiniones tantum indicavit & causas, quibus commotus, a reliquorum interpretum sententia discessit. Descriptionibus varia probatissimorum Autorum synonyma addidit, cum variæ plantæ novæ, in veteri Historia expositæ, nunc ab aliis quoque descriptæ inveniantur. Hoc vero ab Autoris laude nihil detrahit, inprimis cum multæ plantæ, li-



Digitized by Google

cet novæ non ſint, tamen accurate & affabre delineatæ in his *Zanonii* Tabulis ſiſtantur. Monemus tamen, hoc tantum concedi poſſe, ſi habitum plantæ ſpectes; ratione enim floris & fructus, tanquam partium plantæ eſſentialium, multæ Tabulæ imperfectæ & obſcuræ exhibentur. Indicarum ſtirpium imagines & deſcriptiones, hinc inde interſperſæ, *Matthæum a S. Joſepho*, Carmelitanum Excalceatum, Autorem agnoſcunt, de cujus vita, rebus geſtis, omnique ſtudiorum ratione, brevem Commentariolum procemio adjecit. In his vero perficiendis Cel. *Montius* non tantum omnem Autoris ſupellectilem botanicam, quæ ex multis voluminibus conſtabat, & Cel. Botanicorum ad *Zanonium* datas literas, diſquiſivit, ſed magno quoque uſui fuit collectio plantarum ſatis copioſa, quam parens ejus, *Joſephus Montius*, magno ſtudio conquiſiverat, & exſiccatam conſervaverat, cum quibus, & aliis plurimis plantis, in horto publico Bononienſi virentibus, obſervationes exhibendas contulit. Hæc itaque plantarum hiſtoria, attentione Botanicorum omnino digna, merita Cel. *Zanonii* extollit, & inſignem rei herbariæ peritiam Cl. Editoris abunde demonſtrat.

## *DECAS EPISTOLARUM, QUAS, DESUMTIS plerumque earum argumentis ex Vaticanæ Bibliothecæ MStis, ad eam luſtrandam de more quotannis Brixia accedens, ſolivagas antea emiſerat ejusdem Præfectus S. R. E. Cardinalis Bibliothecarius.*

Romæ, excudebant Nicolaus & Marcus Palearini, 1743, 4. Alph. 1.

Denuo magna cum lætitia & voluptate incidimus in Eminentiſſimi Purpurati *Angeli Mariæ Quirini* Epiſtolas, quibus Charites omnes decus conciliarunt incomparabile, Phœbusque ſuum immiſit ſplendorem. Præmittitur Decadi Dedicatio Sylloges, *Joanni Paulo* Abbati *Bignonio*, Regii in Galliis Conſilii Decano, Regiæque Pariſienſis Bibliothecæ jam diu ſummo Præfecto, conſecratæ. Ex ea diſcimus præter res alias, Emin. Autorem

Autorem a tertiis nuptiis fuisse alienum, ideoque Brixiano ab Episcopatu noluisse avelli. Adjicitur Epistola brevior, qua idem Clerum Populumque Brixianum docet, quanto amore ad utrumque adhærescat, & quam studiose Episcopatum Patavinum, nuper sibi oblatum, fuerit deprecatus. Quantum ad Epistolas attinet ipsas, eæ missæ, seu destinatæ potius ex parte, fuerunt 1) D. *Bernardo Montfauconio*, 2) P. Præsidi Generali Congreg. S. *Mauri*, 3) *Alexio Symmacho Mazochio*, 4) *Claudio de Boze*, 5) *Mazochio* eidem, 6) D. *Cypriano Benagliæ*, 7) *Apostolo Zeno*, 8) *Antonio Francisco Gorio*, 9) *Alexio Symmacho Mazochio*, & 10) D. *Joanni Chrysostomo Trombellio*. Prima *Montfauconium* haud invenit amplius viventem. Quæ ratio nos impulit, ut *destinandi* vocabulum adhiberemus. Singulis hisce literis si nomen fructuum rei bibliothecariæ imposuerimus, fortassis haud fallemur. Decerpemus ex viridario hoc perpauca pro instituto nostro. Ex *Epistola prima* perspicitur, Emin. Virum cum *Montfauconio* olim Florentiæ in consuetudinem venisse, ac in San-Germanensi Cœnobio Parisiis binos annos contubernio & illius & sodalium perfruitum esse; Epistolas *Platonis* MStas in Vaticana versasse, ac duas hujus, ad *Dionysium* datas, exscripsisse, quas tamen olim librarius ex longiori *Platonis* ad *Dionysium* excerpserat, ac in duas dissecuerat. Differit deinde de reliquis *Platonis* Epistolis, & in has passim commentatur, *Serranique* & *Henrici Stephani* nævos abstergit. Notat B. *Joannem Albertum Fabricium*, qui *Leonardi Aretini* labores ne verbo quidem indicavit; ac *Marsilium Ficinum* ejusdem negligentiæ coarguit. Significaverat *Ægidius Menagius*, Epistolam *Platonis* sextam videri supposititiam, eo quod certum pro sanctæ Triadis mysterio testimonium inde soleat depromi. Secus sentit Noster. *Epistolam secundam* dedit ad Reverendiss. Præsidem generalem Congregationis Benedictinæ S. *Mauri*. Initio deplorat *Montfauconii* excessum. Tum vero locos ex *Platone* decerpit *de Deo*, quos Patres ecclesiæ primæ magno in pretio habuerunt. Sunt illi potissimum tres. Primus habetur in *Platonis Ep. 2*, secundus in *Ep. 6*, tertius in *Timæo*. Primus in Epistola, ad *Dionysium* scripta, legitur hunc in modum:

Pag. 19. 23.

 Περὶ

Περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐςὶ καὶ ἐκείνε ἕνεκα πάντα· καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν, δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα. *Ficinus* ſubodoratus eſt, indicari patrem creatorem, mentem ſeu complexum rationum, quæ ſequuntur ideas, & animam mundi. Nec tamen inficiandum eſt, primæ Eccleſiæ Patres locum hunc de Trinitatis myſterio accepiſſe. Nominamus *Clementem Alexan-*
Pag. 7. *drinum* in *Protreptico ad Gentes*, *Athenagoram* in *Legatione pro Chriſtianis*, *Cyrillum*, Archiep. Alexandrinum, *Lib. I contra Julianum*, *Theodoretum Lib. II Curat. Græc. Affect.* Ex *Origenis contra Celſum Lib. VI* cognoſcitur, eum *Platonis* locum ab eodem *Celſo* fuiſſe tanto in pretio habitum, ut is minime dubitaverit affirmare, ſublimem de Deo doctrinam Chriſtianos accepiſſe ex philoſophicis *Platonis* commentationibus. Subjicit *Origenes*, Prophetas *Platone* eſſe antiquiores, eosque de eo argumento tradidiſſe multo graviora. *Juſtinus* quoque ad eum *Platonis* locum alludit in *Apologia* priori, quam Editores Oxonienſes reddiderunt poſteriorem. Locus ſecundus *Ægidio Menagio* tam clarum de Trinitatis myſterio teſtimonium complexus eſſe videtur, ut ipſe, eum a Chriſtianis cum Epiſtola ſexta integra ſuppoſitum fuiſſe, exiſtimaverit. Genuinam eſſe eam, Emin. Autor merito cenſet, largitus, *Clementem Alexandrinum* verba hujus loci haud enuntiaſſe κατὰ λέξιν. *Origenes Lib. VI adverſus Celſum* illa curate recitavit, addens, *Celſum* perperam data opera diſſimulaſſe id, quod *Plato* ſcripſerit de Filio Dei Verbo in Epiſtola ad *Hermiam* & *Coriſcum*. *Cyrillus Alexandrinus Lib. VIII contra Julianum* & *Theodoretus*,
10. Cyri Epiſcopus, ſextam illam *Platonis* Epiſtolam eodem laudarunt ſcopo. Epiſtolam *Platonis* XIII, quam pro ſpuria habuerunt *Leonardus Aretinus*, *Marſilius Ficinus*, *Joannes Serranus*, Autor ſummus genuinam pronuntiat, ratus tamen, moveri aliquam in contrarium poſſe ſuſpicionem. Tandem ex *Timæo* locum *de univerſi creatione* recitat, ſtatim prooemio conjunctum. Comparat verba *Ciceronis* Latina, *de Univerſitate* inſcripta, cum *Platonis* Græco contextu. Locus *Platonis* legitur *pag. 526 F. edit. Lugdun. 1590 fol.* Oſtendit, pro verbis: τέτων

Digitized by Google

*τέτων δὲ ὑπαρχόντων ἄυ καὶ πᾶσα ἀνάγκη τόνδε τὸν κόσμον εἰκόνα τινὸς εἶναι· μέγισόν ἐςι* - - - legendum esse, quantum ad ultima attinet, *εἰκόνα τινὸς εἶναι μεγίςȣ* - - ut sensus sit: *Ex quo efficitur, hunc, quem cernimus, mundum simu-* Pag. 16.
*lacrum esse alicujus, maximi utique, quod inde ortum trahat origo universi, sicut naturæ consentaneum est.* Sunt hæc verba loci ejus postrema, quem *Clemens Alexandrinus Strom. V*, *Justinus Martyr* in *Cohortatione ad Græcos*, in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, & *Apologia prima*, *Theodoretus* in *Sermone de Materia*, & *Lib. I contra Julianum Cyrillus*, laudarunt. Tres illos *Platonis* locos præterea laudavit *Eusebius Cæsariensis* in libris *Præp. Evang.* & quidem secundum *XI, 20, XIII, 14*; primum *XIII, 14*, usus verbis Epistolæ XIII *Platonis*; tertium vero *XI, 29, 31*. Cum vero Emin. Autor hæc copiosius demonstrasset, *Augustini Steuchi*, Eugubini, insigne opus, *de perenni Philosophia* inscriptum, celebravit, decessoris quippe sui
in Vaticanæ Bibliothecæ præfectura. Quæstionem, an *Plato* 23.
philosophemata sua *Mosaicis* literis debeat, ex professo quidem haud edisserit; laudat tamen *Leonardum Aretinum*, qui ad eam respondit affirmando, ratus, minori probabilitate *Montfauconium* Therapevtas pro Christianis reputasse. Si huic argumento inhærere nostrum esset, *Joannis Clerici*, *Huetii*, *Cudworthi*, & ad eum commentati Ven. *Jo. Laur. Moshemii*, sententias propius inspiceremus. At procedendum nobis est ad Epistolam Emin. Autoris tertiam, quæ ad *Alexium Symmachum Mazochium*, Canonicum Neapolitanum, & Regium sacræ Scripturæ Interpretem, data fuit, qua ille hujus *Schediasma de antiquis Corcyræ nominibus*, typis editum, sibique inscriptum, laudat, existimans tamen, ea nomina non ex Orientali, sed Græca, lingua originem habere. Diximus de Schediasmate illo, ac ad illud responsione, *A. 1743 Mens. April. pag. 229 seq.* Quarta scripta fuit ad doctissimum & clarissimum Virum, *Claudium de Boze*, perpetuum Secretarium Gallicæ Regiæ Academiæ Inscriptionum & Bonarum Literarum, qua Emin. Purpuratus de binis veteribus tabellis, quibus potitus fuit ipse omnino prospere, seu Diptychis, disserit. Primum spectavit ad *Paulum II*, Pont.

Digitized by Google

Pont. Max. dum adhuc Cardinalis S. *Marci* fuit appellatus. Al-
Pag. 4. terum est *Severini Boetii*, quod Brixiæ ostenditur, & quo nihil in eo genere est antiquius. Rogat ipse & orat exteros, ac cummaxime Gallos, ut *Antonio Francisco Gorio* suppeditent apparatum, huc spectantem, de Diptychis omnibus, quotquot exstant, ex professo Commentarios daturo. Succurrit hoc loco nobis famæ memoria, dictitantis, Cel. *Joannem Davidem Kœlerum*, Professorem Gottingæ intra Saxoniam inferiorem terrasque Electorales Brunsuico-Luneburgicas, bonis avibus in æde S. S. *Simonis* & *Judæ* detexisse Goslariæ Diptychon quoddam & rarum & satis antiquum. Pro *Gorio* adjumenta & accessiones dum Emin. Autor omnes eruditos orat, hæc adjungit: *Nec inutilem desiderio meo futuram spero Samuelis Hermanni Reimari, Hamburg. publici Professoris, nec illam Friderici Ottonis Menckenii, Lipsiensium Actorum Editoris, Operam, quorum utrumque haud raro pro ea, qua pollent, literatura studiis meis amanter favisse, ingenue profiteor. Hi omnes, quo utilius diligentiam suam in id operis conferant, evolvere minime negligent Philippi Bonarotii Opus, inscriptum, Osservazioni sopra tre Dittici antichi d' Avorio, ex quo certiores fient, quænam sint ea hujusce generis monumenta, quæ typis jam evulgata reperiuntur, quamque amplum ea præbeant literariæ supellectili incre-*
6. *mentum.* Tabellas suas ipse deinceps vocat Diptychon. Nam, licet seorsim singulæ jaceant in capsulis æreis, affabre adornatis, ac proinde iis nexibus careant, quibus passim binæ unius Diptychi partes invicem junguntur; tamen par earundem materia, par magnitudo, par figura, par operis elegantia, par denique argumentum, nullam dubitandi ansam, ipsius judicio, relinquunt, quin olim & ipsæ nexus illos prætulerint, posteaque arculis suis, auro & cælamine distinctis, fuerint aptatæ, ut, dono traditæ, ex recenti etiam ornatu splendidiores evaderent. Addit idem posthæc judicia de eisdem haud una. Primum est Academiæ Regiæ Gallicæ Inscriptionum & Bonarum Literarum; secundum *Antonii Francisci Gorii*; tertium Ill.
12. *Scipionis Maffeji*; quartum *Ludovici Antonii Muratorii*; quintum *Joannis Francisci Baldini*. Diptycho illi, quod *Petro*

*Petro* Cardinali *Barbo*, qui *Pauli II* postea assumsit nomen, dono fuit datum, hæc inscripta sunt:



✠ PETRVS . H
ERVS . MEVS
EST . VENET
IS . GENROS
VS . ALVMNV
S . BARBVS . C
ARDO . SACER
TVVS . ET. V
INCENTIA . PR
AESVL . HORV
M . OPERVM . I
NGENIIS . MI
RO . OBLECT
ATVS . AMORE.

Pag. 23.

Quoniam vero alterius tabellæ pars extima parem & ipsa lami-
nam præ se fert, at nudam prorsus & vacuam; Emin. Autor
locum vacuum hac epigraphe occupavit: *Ille ego, qui Plati-
nam compressi, dente maligno Carpentem mores, Paule secunde,
tuos, Laudavique tuum studium permulta parandi, Quæ tibi
præclaræ sisteret artis opus, Hic modo composui signa hæc pro-
prio aere coemta, Congrua quod libro tegmina visa meo.* Ver- 25.
ba facit deinde de Diptycho insigni, quod Brixiæ possidet il-
lustris *Barbisonia* familia. Ipsum æri incisum exhibet *Tomus
XXVIII Ephemeridum erudit. Italiæ.* Ad Consulem *Manlium
Boethium,* qui in Fastis ad A. 510 legitur, spectat illud. Di-
ptychi verba sunt hæc: NAR MANL BOETHIVS UC &
INL. in parte, quæ figuram *Boethii* Consulis repræsentat. In
altera, quæ eundem exhibet stantem, apparent hæc: EXPPPVS
ECCONS ORD & PATRIC. Quid sibi velint siglæ *Nar* &
*expppus ec*, latet adhuc intra penetralia Vestæ. *Philippus a
Turre,* Præsul olim Adriensis, conatus fuit eas exponere. At, 27.

fundamento expositionem ejus superstructam esse ruinoso, Emin. Autor ostendit. *Epistola quinta* idem denuo *Alexium Symmachum Mazochium* compellavit. Differit in ea de Codice MSto *Chisianæ* Bibliothecæ, qui quatuor Prophetas majores, ex *Origenianis Hexaplis* Græce & accurate exscriptos, complectitur, auro contra carior. *Jeremias* ibi primum inter quatuor Prophetas locum occupat. Edidit hic *Caput* ejus *XXXIII* Emin. Autor integrum. *Hexaplaris* vero textus ille præter obelos & asteriscos *Origenianos* exhibet notas etiam marginales, quæ lectiones, ex *Aquilæ* & *Symmachi* versionibus, seu aliunde, depromtas, præferunt. Ab *inciso 14* usque ad finem *Capitis XXXIII* decurrentia verba in Codicibus LXX vulgo desiderantur, & ex *Theodotione* exhiberi solent, id quod etiam ex recentissima Cel. *Joannis Jacobi Breitingeri* editione patescit. Utinam *Breitingero* hic Codex ad manus fuisset, ut illam lacunam explere potuisset genuina LXXvirali versione! Sed damnum illud resarsit Emin. Cardinalis, addens, ætate *Hieronymi* jam singulis fere Codicibus LXX ea, quæ sub asteriscis sunt, fuisse inserta. *Epistolam sextam* idem dicavit D. *Cypriano Benagliæ*, Abbati & Præsidi generali Congregationis Casinensis. Indicat hic, in Patavini Seminarii Typographeo iterum formis publicis describi præstantissimum *Benedicti XIV* Opus *de Servorum Dei beatificatione & Beatorum canonizatione*, multis accessionibus locupletatum. Differit in ea ex professo de apparitione *Faustini* & *Jovitæ*, adversus *Nicolaum Picininum*, Mediolanensium copiarum imperatorem, qui Brixiam dira obsidione premebat, facta, & indubiis documentis, studio suo recens detectis, comprobata. Documenta illa sunt binæ literæ *Ludovici Fuscareni*, ad S. *Laurentium Justinum*, Patriarcham Venetiarum, 14 tantum annis post obsidionem illam solutam datæ. Obtinuit Emin. Autor precibus suis a *Benedicto XIV*, P. M. ut patrocinium, apparitione illa Brixiæ obsessæ præstitum, in Officio Brixiano rite planeque in posterum commemoretur. Decurrit deinde ad vim argumenti, quod vocant negativum, propius inspiciendam. Subjungit nonnihil de Codice quodam membranaceo maximæ formæ, magnæque molis, ac præstantissimo,

(Marginal notes: "Pag. 4." beside the line "tur, auro contra carior."; "7." beside the line "pius inspiciendam.")

ftantiffimo, qui Concordiam Canonum, & Canones ipfos, complectitur, ac in Vaticana affervatur. Eum *Joannes Baroccius*, Pag. 104 Epifcopus Bergomenfis, *Petro Barbo*, Cardinali, dedit dono, poftquam exfcribendum curaverat ex alio longe vetuftiori, quem ævo pene confumtum in ejusdem Ecclefiæ tabulario nactus fuerat. Codex ifte ex venerandæ antiquitatis fonte exhibet *Crefconii* & *Dionyfii Exigui* collectiones & copiofas valde mantiffas, unde lucem accipere poffunt, quæcunque in *Bibliotheca Juris Can. veteris*, fcilicet in ejus Præfationibus, feu a *Chriftophoro Juftello*, feu ab *Henrico*, hujus filio, & *Guilielmo Voello*, difcuffa reperiuntur de Codicibus Canonum Ecclefiæ univerfæ. Potiffimam Codicis partem efficit *Dionyfii Exigui* opus. Quæ in *Barocciano* Codice exftant Romanorum Pontificum Epiftolæ, a *Dionyfio* collectæ, incipiunt a *Siricio*, & definunt in *Anaftafio II.* Codex definit in libro *Auguftini de Ecclefiafticis regulis*. Benedictini Patres *Tom. VIII Operum Auguftini*, feu in ejus *Appendice pag. 75*, haud fecus ac Lovanienfes Theologi, librum illum *Auguftino* abjudicarunt, eo quod haud memoretur in eo mentio peccati originalis, aut baptifmatis infantium in peccatorum remiffionem, aut *Pelagii*. Verum in hoc Codice Capitula illa, quæ in editis exftant, omiffis duobus poftremis, hoc unico clauduntur. *Contra Pelagium. Nam tria funt, ut fcitis, quæ maxime adverfus eos Catholica defendit Ecclefia, quorum & unum, gratiam Dei non fecundum merita noftra dari, quoniam Dei dona funt, & Dei gratia conferuntur etiam merita juftorum univerfa. Alterum eft, in quantacunque juftitia fine quolibetcunque peccato in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium eft, obnoxium nafci hominem peccato primi hominis & vinculo damnationis obftrictum, nifi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione folvatur.* Refellitur hac particula, ex aliis Codicibus dilapfa, cenfura Lovanienfium. Codex vero *Baroccianus* defcriptus fuit A. 1461 in gratiam Cardinalis *Barbi*, poftea dicti in Pontificatu *Pauli fecundi*. Intelligitur hinc, *Paulum II* rei literariæ faviffe juxta ac *Joannem Baroccium*, Epifcopum Bergami, ac tandem Patriarcham Venetiarum, qui Codicem illum in tabulario Bergamenfis ecclefiæ invenerat.



Digitized by Google

*Epistola VII* scripta est ad Cl. *Apostolum Zenum*, jam pridem Poetam & Historicum Cæsareum. Celebrat in ea Emin. Autor Cl. *Dominici Georgii* librum de *Nicolai V* Pontificis vita, recens evulgatum, ac præcipue *Disquisitionem*, calci subjectam, *de patrocinio, quod ille Pontifex literis & literatis benignissime impendit.* Exhibet deinde accessiones aliquot libro suo Emin. Autor, quem inscripsit *Monumenta Literaturæ Episcoporum Venetæ ditionis, qui Francisci Barbari ætate floruerunt.* Pleræque ad *Eugenium*, Pontificem, spectant. *Epistola VIII* inscripta est Cl. *Antonio Francisco Gorio*, Historiæ in Athenæo Florentino Professori, atque complectitur Cl. *Baldini* sententiam de Diptycho altero, quod epigraphe caret, ne quid de Cl. *Joannis Lamii* expositione dicamus. Videtur Emin. Purpuratus haud obscure in sententiam & *Lamii* hujus, & Cl. *Jacobi Facciolati*, qui
Pag. 11. consentiunt, *Paridem* & *Helenam* in Diptycho inveniri, idque ex *Ovidii Heroidibus* illustrarunt, descendisse. *Epistola nona* est eadem ac *quinta.* Ultima, quæ Decadem concludit, spectat ad Reverendiss. P. D. *Joannem Chrysostomum Trombelli*, Canonicum regularem Congregationis Rhenanæ, & S. Salvatoris Bononiæ Abbatem, exhibens catalogum operum quorundam *Dominici de Dominicis*, Torcellani primum, deinde Brixiani, Episcopi, ex Vaticana concinnatum. Adjiciuntur quatuor loci ex scriptis *Dominici*, unde de vitæ munerumque ejus rationibus judicari potest. Subjecta tandem est huic Decadi recensio summæ harum *X Epistolarum*, nostra, quam hic damus, & longior & elaboratior. Si quid & nobis liceat hic tandem adjicere, id omne positum erit in justissimo, licet arente, præconio, quod ingenio Emin. Viri copioso lucidoque, gravitati ejus, nunquam a comitate distractæ, incomparabili modestiæ, scitissimæ dissentiendi, & dissentientes componendi, laudandique merentes, arti, scripturæ, limpidissimi fluminis more profluenti, reliquisque summi literatoris virtutibus, non solum nos debemus, sed ipsa etiam debebit & præstabit indubie grata posteritas, ad quam vel aliqua hujus ætatis cura & memoria transmittetur, nisi ipsa malit appellari surda & absurda.

INTRO-

*INTRODUCTIO IN HISTORIAM EVANGELII, Seculo XVI passim per Europam renovati, doctrinæque reformatæ. Accedunt varia, quibus ipsa historia & res literaria illustratur, monumenta, Autore DANIELE GERDESIO, Theol. D. & Prof. Ord. Academ. Groning. Omlandicæ h. t. Rectore, Societ. Scient. Reg. Berol. Membro.*

Groningæ, apud Hajonem Spandaw, prostant & Bremæ, apud H. W. Rump, 1744, 4.

Alph. 3 plag. 8.

Licet nobis tandem ita felicibus esse, ut Opus multorum votis expetitum, felicibus auspiciis nunc tandem editum, possimus his tabulis publice indicare. Has equidem jam curas, dum in vivis esset, volvebat vir, ob insignia in rem literariam & sacram merita immortali memoria dignus, *Theod. Hasæus*; sed, quoniam fatum præmaturum ipsum oppressit, moli huic humeros subdidit Vir, multa doctrina insignis, qui dudum inter præcipuos fœderati Belgii Theologos nomen profitetur, ac multis egregiis scriptis, ætatem laturis, celebritatem est consecutus, *Daniel Gerdesius*, Theologus quondam Teutoburgensis, nunc Groninganus, qui quoniam ab eruditione, judicio, ac subsidiis, abunde est instructus, multum sibi respublica literaria in hoc genere ab eo promittere potest. Præsens volumen in *duas* divisum est *Partes*. *Prior* historiam inchoatæ sacrorum instaurationis, *posterior* monumenta, huc spectantia, complectitur. Historiam persequitur ad annum usque 1525, & potissimum occupatur in enarrandis præparationibus ac occasionibus, quæ tanto operi viam muniverunt, ac describendis vitis magnorum virorum, qui nulli operæ pepercerunt, quo doctrinæ studia, per aliquot Secula proculcata, revocarentur, ac religio ab errorum atque superstitionis sordibus repurgaretur, quique et literis & emendationi sacrorum faverunt, quorum etiam, saltem præcipuorum, *Wesseli* scilicet, *Gansfortii*, *Lutheri*, *Zuinglii*, *Oecolampadii*, *Erasmi*, *Sickingii*, *Mercu-*

*rini de Gattinaria*, effigies affabre & nitide expressas exhibet, quibus impudentissimum istum schedularum venialium institorem *Tetzelium* immiscet. Filum recensionis historicæ legentes, præcipua momenta carptim breviterque perstringemus, quo Lectoris judicium instruamus.

Ad *præparationes* refert inventionem *typographiæ*, & literarum παλιγγενεσίαν. Typographiæ, cujus beneficio doctrina repurgata citius spargi, ac priscorum Patrum scripta ex claustrorum repagulis in lucem proferri, potuerunt, primordia
Pag. 1-8. Harlemensibus, perfectionem Moguntinis, deberi, asseverat. Ad literas restituendas plurimum contulerunt Græci exules, qui Græcas literas in Italia docuerunt, unde illæ una cum reliquis scientiis ad alias, itemque alias, gentes demigrarunt. *Franc. Ximenes*, Ecclesiæ Romanæ Purpuratus, Academiam Complutensem, in qua linguæ Græcæ doctori lautius, ac reliquis professoribus, stipendium constituit, erigendo, ac Biblia polyglotta A. 1515 publicando, doctrinæ emergenti opitulatus est, &
17. viam ad religionis emendationem stravit. Summi Principes eruditioni bene cupere incipiebant. Ex hisce eminent *Maximilianus I* Augustus, qui in Comitiis Vormatiensibus A. 1495 sanxit, ut Principum Electorum quisque in terra sua Academiam conderet, *Franciscus I*, Galliæ, *Henricus VIII*, Angliæ, *Alphonsus*, Arragoniæ, Reges, Principes Medicæi, *Hercules*, Ferrariensis, *Rupertus*, Palatinus, *Fridericus Sapiens*, alii, ipse
20-22. quoque *Leo X*, Medicæis oriundus. Scientiis melior facies per præstantissimos quosque viros est induta, nec Pontificii diffiteri audent, literas renascentes mutationem aliquam religionis invexisse. Sacrorum emendationem efflagitabant incredibilis morum corruptio, inquinatissima tum summorum Pontificum, tum reliquorum hominum ecclesiasticorum, vita, itemque cras-
22-38. sissima ignorantia, de qua passim in Conciliis querelæ sunt institutæ. Civitatem Christianam a capite ad calcem misere fœdatam esse, jam ante illud tempus communis *Valdensium* ac *Albigiensium* querela fuit, indignissimum in modum propterea variis miseriarum generibus excruciatorum, *Jo. Wiclefi*, itemque *Jo. Hussi* & *Hieronymi Pragensis*, qui non alia de causa rogo sunt addicti,

addicti, quam quod nævos curiæ ac ecclesiæ Romanæ nimium retegebant. *Pag. 41* notat Autor, in Collegio *Emmanuelis* Cantabrigiensi versionem oraculorum divinorum Anglicanam, ex vulgata adornatam, asservari, in qua illi tantum libri habeantur, quos Judæi & nos tales agnoscimus. Inde ad illos cursum flectit, qui sua doctrina, & rectiori de religione sensu, eminuerunt, ac *auroram* quasi *renascentis doctrinæ sacræ* fecerunt. Quos inter fulgent *Jo. Wesselus*, sive *Basilius*, dictus *Gansfortius*, qui, ut doctrina sua pluribus profuit, ita in plerisque fidei dogmatibus ab opinionibus cœtus Pontificii discessionem fecit. In urbe Groningana *Henricus Stuurmann*, Franciscani famulitii sodalis, A. 1469 emendationem hominum, sacris operantium, strenue ursit, & autoritate magistratus effecit, ut illi in ordinem redigerentur, pariterque *Tilemannus* aliquis de *merito Christi*, unico salutis fundamento, multis saniora inculcavit. In Italia *Hier. Savanarola* in perditos curiæ Romanæ mores ore intrepido est invectus, licet res hæc ipsi infeliciter admodum cesserit; quod ipsum etiam gravi oratione in Concilio *Laterano* fecit *Jo. Franc. Picus*, Comes *Mirandulanus*. De instante ecclesiæ emendatione passim edita sunt vaticinia. De illo *Hussi* subdubitat Cel. Autor, cum ante *Bugenhagium* in exequiis *Lutheri* de eo nil quidquam sit inauditum; tractum tamen ex scriptis *Hussi*, qui se haud raro *anseri* comparaverit, & numum pii veritatis testis, cui verba illa fatidica sunt insculpta, ante *Lutheri* & *Zuinglii* ævum cusum fuisse, censuit eruditissimus *Schottus*. In hunc censum veniunt prædictiones *Jo. Hilteni*, A. 1516 *initium inclinationis Pontificiæ potentiæ* fore præcinentis, *Andr. Prolis*, somnium *Frid. Myconii*, vaticinium *Rod. Langii*, somnium *Friderici*, Principis Electoris, cui tamen narrationi, quoniam scriptores coævi nullam ejus faciunt mentionem, & hanc demum in medium attulit *Matth. Hoeus*, Theologus Sec. XVII, prætereaque hoc somnium cum aliis, in Scriptura Sacra, vel alibi, memoratis, componi nequit, post *Heumannum* non temere fidem adhibendam esse, Autor censet. *Crucem visam Friderico* & *Joanni*, Ducibus Saxoniæ, forsitan naturam *parheliorum* & *paraselenarum* imitatam fuisse, unde *Fridericus* ex rerum præsentium initiis

Pag. 38-43. 43-47. 47-48. 50.

initiis de domus Saxonicæ fatis prudenter aliquid præſagire potuerit. Hinc ſtatum imperiorum, regnorum, principatuum,
Pag. 50-59. rerumque publicarum, qualis ille ab initio Seculi XVI per omnem Europam fuit, luſtrat, &, quo animo Principes atque magiſtratus in religionem fuerint affecti, demonſtrat. Potiſſimum, ut pedem ad Reformationis occaſionem promoveat, multus eſt in deſcribendis moribus *Leonis X*, qui eruditis quidem favebat, nec a doctrina deſtitutus erat, at ſua in religionem levitate, incredibili ambitione, inaudito luxu, in o-
59-74. mnium voculas incurrit. Multam is auri argentique vim decoxerat, ſplendidiſſima palatia, templum, *Petro* dicatum, exſtruere decreverat, indies novi ſumtus, iidemque immenſi, requirebantur, ut modus emungendi pecuniam novus excogitandus eſſet. Itum igitur eſt ad nundinationem ſchedularum venialium, ac illa credita fuit hominibus, quibus frons ac religio erat nulla, contra impudentia oris tanta, ut merces ſuas impudentiſſime omnibus commendarent, ac inde ſtupendas opes colligerent, quarum haud exiguam partem in cauponis
74-81. ac luſtris diſſipabant. Quæ res cum merito Chriſti derogaret multum, veræ reſipiſcentiæ obicem poneret, plebem ſacram exhauriret; multi quidem de eo acriter ſunt conqueſti, ſed nemo unus eſt inventus, qui tanto fervore, tantaque conſtantia ac doctrina, obviam huic malo ire ſuſtineret, quanta quidem *Martinus Lutherus*. Cum enim *Jo. Tetzelius* Juterboci prope Vitembergam merces ſuas promercales exponeret; divinus ille vir primum privatim ſuos monuit, ne a vaferrimo iſto impoſtore fucum ſibi fieri paterentur, inde ad *Albertum Moguntinum*, *Hieronymum*, *Brandenburgenſem*, & forte etiam *Martisburgenſem*, Præſules, ſcripſit, ut libidinem iſtam reprimerent, tandem poſitiones ſuas adverſus nundinationem iſtam
81-91. prid. Cal. Nov. A. 1517 publice affigendas curavit. Adverſarii criminabantur, *Lutherum* ad facinus hoc exſtimulatum fuiſſe partim gloriæ ſtudio, & quo ab aula Romana, a qua neglectus eſſet, ſe ulciſceretur, partim incenſum a *Jo. Staupitio*, qui, adeo lucroſam provinciam Auguſtinianis ſuis præreptam fuiſſe, ægre tulerit, partim quo *Friderico* Saxoni placeret,

Digitized by Google

placeret, qui in *Albertum*, totamque domum Brandenburgicam, ob illius florem, invidiæ ſtimulis ductus fuerit; ſed illa omnia ita diluit, ut, quid adhuc calumniis prætexerent illi, non ha- Pag. 91-
berent. Hæc primordia Reformationis in Saxonia fuerunt. 99.
Apud Helvetios tandem ſuperiori tempore ſuperſtitioni ac corruptioni ſe oppoſuerunt, variosque errores notaverunt, *Jo. Geislerus*, dictus *Keiſerberger*, Seculo XV, & *Thom. Wittenbachius* ſub initium Seculi XVI, ex cujus ſchola prodierunt *Huldr. Zuinglius* & *Leo Judæ*, quorum ille, de natura juſtificationis ex Epiſtolis *Paulinis* ac antiquæ eccleſiæ Patribus, de Chriſti ſatisfactione plenaria, aliisque graviſſimis doctrinæ revelatæ capitibus, rectius edoctus, auditores ſuos ad meritum Chriſti agnoſcendum, idemque illud amplectendum, duxit. Hanc doctrinam cum propoſuerit ante, quam *Lutheri* nomen in regionibus Helvetiorum innotuerit, colligit Noſter, *utrosque heroas a Deo ſuſcitatos, atque ad ingens opus ſuſcipiendum divina virtute inſtructos fuiſſe, nec ex compacto egiſſe*. Conſentientes habuit 99-106.
viros eximios, *Leonem Judæ*, *Conr. Pellicanum*, *Wolfg. Franc. Capitonem*, *Jo. Oecolampadium*, qui ſocias illi manus præbuerunt, quorum vitas, ſtudiorum rationem, ac molitiones in religionis doctrina purganda ac defendenda, Autor explanat. Per illos 106-121.
igitur cum læta Reformationis initia facta eſſent ab emendatione ſalutaris doctrinæ, rejectis hominum inventis, ex ſacris literis unice petendæ, exponit, qua ratione libertatem eccleſiæ publice aſſertum iverint Helvetii. Pontifex *Leo X*, cauſatus ſtructuram ædis *Petro* ſacræ, monachum Franciſcanum, *Bernhardinum Sanſonium*, ad illos cum pleniſſima poteſtate, ſic dictas *indulgentias* venum dandi, ablegaverat, quarum vim cum intolerabili faſtu atque inſolentia jactitaret, ſe illi non unus ex ſacrorum adminiſtris, maxime vero *Henr. Bullingerus* A. 1519, nihil veritus atrocem vultum ac ineptas m. ıas thraſonici iſtius mangonis, ſe oppoſuit, Tigurini ipſum aditu urbis excluſerunt, deque ejus inſano auſu apud Pontificem ſunt queſti. His dictis, conſectarii inſtar docet, quantum *Zuinglio*, quantumque *Luthero*, debeat eccleſia in ſacrorum emendatione, & quid cuique privum atque peculiare ſit adſcribendum. Hinc ad 121-131.



Digitized by Google

*Lutherum* redit. Theses ipsius per omnem Europam brevi spargebantur, ac inde diversa hominum, prouti affecti erant, judicia sequebantur. Pars *Luthero* adversabantur, pars institutum ejus non quidem improbabant, sed ob adversariorum potentiam male metuebant. *Tetzelius* cum ipso in arenam disputatoriam descendebat, eundemque scriptis lacessebat, cui *Lutherus* respondit. Disputationis præcipua momenta profe-
Pag. 131-138. runtur. Aliorum studia singularem in modum profuerunt, licet cœtus Romani societati nondum omnino valedixerint, nec eorum, qui primi ad emendanda sacra accesserant, instituto omni ex parte annuerint, quorum res memoratu dignas percenset, *Joannis* scilicet *Reuchlini*, *Des. Erasmi*, *Jo. Staupitii*, *Ulrici Hütteni*, *Franc. Sickingii*, *Bilib. Pirckhaymeri*, *Jac. Fabri Stapulensis*, *Guil. Budæi*, *Thom. Mori*, *Jac. Wimphelingii*, *Petr. Mosellani*, *B. Rhenani*, *Mercurini de Gattinaria*, ex quibus pauca, quæ præ aliis memorabilia sunt, excerpemus. Li-
141-145. tes *Reuchlini*, quæ ipsi de Judæorum libris cum *Pfefferkornio* ac Theologis Coloniensibus intercesserunt, justo ordine enarrat. *Erasmus* Nov. Test. Græci editione fundamentum omnis Reformationis primus jecisse, ac illius normam publicasse, videtur. Patrum scriptis divulgando insignem utilitatem attulit. Invectivis suis salsis ac ingeniosis, quibus corruptelas, ignorantiam, & ineptias sui temporis, Monachorum maxime atque Scholasticorum, depexas probe dedit, multum damni Pontifici Romano attulit. Librum de *libero arbitrio* ex animo non scripsit, suasorem atque adjutorem *Ludov. Berum* nactus. *Jo. Staupitius Lutherum* non semel afflictum labantemque erexit, consilio juvit & confirmavit, post malevolorum culpa alienior ab ipso factus, sed ante obitum eidem est reconciliatus; nunquam quidem aperte doctrinæ emendatæ accessit, illius tamen
145-157. causam clam, *Nicodemi* instar, promovit. *Ulricus Huttenus*, libertatis Germanicæ vindex acerrimus, anno jamdum 1517 aculeatas ad *Leonem* dedit literas, quibus animum ipsius adeo exacerbavit, ut de vita tutus non esset; doctrinam etiam *Lutheri* diversis scriptis fortiter propugnavit. *Franc. van Sickingen*, heros incomparabilis, virorum eruditorum, præcipue *Lutheri*, ac

Digitized by Google

ac veritatis, per ipsum restitutæ, fautor, puriorum sacrorum doctoribus, ab hostibus suis divexatis, ac in exilium actis, tutum in arce sua Ebernburgo receptaculum præbuit, atque publicum religionis cultum in terris ad pristinam simplicitatem atque splendorem revocavit. A. 1523 in obsidione arcis suæ Landstein fortiter decertans, globo tormentario ictus, occubuit. *Bilib. Pirckheymerus*, orbis literati & patriæ ingens decus, lætitia quidem multa, ob veritatem in dies magis prorumpentem, exultavit, a se tamen impetrare non potuit, ut emendata sacra profitentibus se aperte adjungeret. Pars contentionis illius, quæ de sacra cœna inter *Lutherum* & *Oecolampadium* post est agitata, esse voluit. *Jac. Faber*, cum veritati, in apricum productæ, cederet, ob hostium truculentiam ad *Margaretham*, Navarrenam, confugere necesse habuit, apud quam ad extremam usque senectutem tutus delituit. Ultimos illius ad Reginam sermones falsi revincendos non esse, quod *Belius* fecit, Summe Venerandus Autor recte judicat. *Thom. Morus* ægre quidem monachorum ignaviam ac ignorantiam, pravosque seculi sui mores, ferebat, infensus tamen fuit *Luthero*, ejusque sociis, quorum haud paucos, si non supplicio afficiendos, saltem in carcerem compingendos, curavit. *Guil. Budæus* non alienus quidem erat ab religione puriori, sed tamen in consociatione cœtus Pontificii ad vitæ finem permansit. *Jac. Wimphelingius* monachorum inscitiam ac superbiam mordacibus scriptis perstrinxit, hæreseos propterea apud *Julium II* postulatus, a qua tamen post immunis est declaratus; religionis dissidio orto se immiscere noluit, secessum potius quærens, in quo placide exspiravit. *Petrus Mosellanus* Reformationi bene quidem cupiit, ad exemplum tamen *Erasmi* extra partes positus mansit. *Beatus Rhenanus* necessitatem emendationis sacrorum perspexit, ac abusus, qui invaluerant, taxavit, nulli tamen ex Reformatoribus se speciatim associavit. *Mercurinus de Gattinaria*, primis apud *Carolum V* dignitatibus fulgens, consiliis suis id effecit, ne Augustus duri quid in religionis emendatæ professores statueret. Ante Comitia Augustana aperta dixisse fertur, *se nihil magis in votis habere, quam ut*

Pag. 157-167. 167-172. 172-186. 186-195.

*Dux Elector Saxoniæ, sociique conjuncti, constanter in Evangelii professione pergant, & persistant, ac Concilium pium & liberum*
Pag. 195- *urgeant.* Sed hinc ad *Lutherum* se recipit. *Leonis* incuria fe-
204. cit, ne religionis negotium in herba fuerit suffocatum, inde, periculum animadvertens, *Gabrieli Veneto*, Augustinianorum promagistro, in mandatis dedit, ut illud quam celerrime conficeretur. Causam etiam curiæ Romanæ *Sylvester Prieras, Eccius*, & *Jo. Hoogstratus*, contra *Lutherum* egerunt, quem non tam rationibus, quam conviciis, obruerunt. Præter viam quædam inspergit de reformatione Heidelbergensi post *Lutheri* dissertationem, in Augustinianorum conventu d. 26 April. A. 1518
204-214. habitam. Domum redux scripta sibi adversaria examinanda sumsit, &, quoniam *Sylvester* potentiam Pontificis nimium ampliaverat, etiam de illius autoritate disputari est cœptum; adhuc tamen *Lutherus* modestia omni in *Leonem* est usus, seque illius judicio submisit. A disputationibus scholasticis res venit ad curam Imp. *Maximiliani*, qui super illa consuluit *Leonem*, seque illius sententia, quicquid decreverit, staturum esse recepit. *Lutherus* Romam citatur, sed intercedit Septemvir Saxoniæ, itemque Academia Vitembergensis; igitur *Cajetano*, Purpurato, negotium hoc creditur, cui quidem *Lutherus* se Augustæ Vindelicorum stitit. Quoniam autem ipsum erroris convincere non poterat, & propterea *Lutherum* immitius tractabat, hic *a Pontifice minus recte informato ad rectius informatum*, &, cum hac ratione nihil proficeret, *ad liberi Concilii judicium*, provocavit. *Miltitius*, A. 1519 in Saxoniam missus, in congressu cum *Luthero* haud levia favoris sui in eum documenta dedit, eaque de causa *Leoni* non usquequaque fecit
214-237. satis. Progressurus ad colloquium Lipsiense, hoc ipso anno celebratum, vitas virorum doctorum ac piorum, quorum auxilio Reformationis opus est promotum, persequitur, *Andr.* scilicet *Bodensteinii, Ge. Spalatini, Phil. Melanchthonis, Wen-*
237-249. *cesl. Lincci, Jo. Bugenhagii*, & *Justi Jonæ*. Lipsiense colloquium, A. 1519 inter *Eccium, Lutherum*, & *Carolostadium*, institutum, a d. 27 Jun. ad d. 15 Jul. est protractum, eo cum successu, ut præsentium pluribus de veritate doctrinæ *Lutheri* persuaderetur.

Digitized by Google

deretur. Apud Helvetios inde ab A. 1519 doctrina emendata læta faciebat incrementa. [a] *Zuinglius* cum collegis, in rebus divinis verbi divini effatis unice standum esse, contendebat, cumque Constantiensis antistes apud senatum Tigurinum de rerum renovatione quiritaretur, *Zuinglius* causam suam multa cum moderatione est tutatus, nec quidquam per tumultum, nec perturbate, gessit. Monachi contra, Dominicani maxime, hujus doctrinam pro concione invidiose traducere, eamque ut impiam & profanam detestari, quorum clamoribus ut finem faceret magistratus, ad d. 29 Jan. A. 1523 colloquium indixit, ad illudque Constantiensem Præsulem invitavit, ut vel ipse adesset, vel aliquem suo nomine mitteret. Confluit ingens hominum turba, Episcopus mittit *Fabrum*, sed, dissertandi campo aperto, cum *Faber* vel tergiversaretur, vel ea proferret, quæ ad rem minus faciebant, nec quisquam præterea prodire auderet, a senatu est sancitum, *ut, traditionibus hominum missis, Evangelium pure doceatur e Veteris & Novi Testamenti libris.* A Tigurinis reformatio ad reliquos pagos se protendebat, quorum aliqui mutationem illam limis adspiciebant oculis, ac *Zuinglio* indignabantur adeo, ut mortem ei minitarentur. Inde Missa est abrogata, & imagines e templis sublatæ; qua in re cum nonnulli quædam per inconsultam temeritatem molirentur, A. 1523 d. 26 Sept. de novo conventus est convocatus, ad quem ex universa Helvetia ultra 900 homines convolarunt. Disputationis capita erant de *tollendis imaginibus*, ac *Missa abroganda*, sed, qui ex adversa parte aderant, illam vel refugiebant, vel nihil solidi afferebant; hinc, quæ in superiori consessu decreta erant, de novo firmabantur. Enimvero adversarii novas querelas movebant. Hinc rursus A. 1524 d. 13 & 14 Jan. colloquium est indictum, ut de *Missa, imaginibus, & invocatione Sanctorum*, disputaretur; verum illi de novo causam deserebant, vel eadem lyra oberrabant, vel prorsus conticescebant, vel forum excipiebant; quare priori decreto senatus inhæsit, ac imagines publica autoritate templis sunt elatæ. Quid dehinc Tigurini reliquis pagis, Lucernæ d. 26 Jan. congregatis, deque sacrorum mutatione per legatos conque-

Pag. 249-261. 261-289. 289-294.



Digitized by Google

conquerentibus, responderint, quibus criminationibus *Zuinglius* ob nuptias, cum vidua opulenta d. 2 April. A. 1524 conciliatas, fuerit laceratus, qualemque sese in controversiis cum Anabaptistis, A. 1525 in apertum prodeuntibus, gesserit, qua ratione illorum pervicacia, cedere nescia, fuerit repressa, & quid ipsi atque *Leoni Judæ* cum scriba senatus de *transsubstantiatione* intercesserit, quidque de somnii, quod sibi per quietem oblatum esse dixit *Zuinglius*, verbis sit censendum, cum illa multi sinistre accipiant, accurate perscribit. Ultimo illo colloquio, d. 11 April. A. 1525 habito, Missa publico edicto est proscripta, in illiusque locum sacræ cœnæ administratio secundum sententiam Christi est instituta, quæ d. 13, 14, & 16 Aprilis, adeoque ipso Paschatos die, in magno hominum
Pag. 294-326. concursu pie & cum multis cerimoniis, quas S. Rev. Autor describit, est celebrata. Reliquum anni datum est versioni oraculorum divinorum Vet. Test. in Helvetiorum dialectum. Adornata illa est ex Germanica *Lutheri*, iis tantum emendatis, quæ vel ab Ebraico exemplari deflectere videbantur,
326-328. vel quæ cum idiomate Helvetico minus convenire censebant. Hæc sunt, quæ ex elegantissimo hoc Opere enotare, e re nostra & Lectorum esse judicavimus. Totis animis precamur, ut supremum Numen Cel. Autori vitam, valetudinem, ac otium, largiri velit, quo tam arduum laborem, faustis auspiciis cœptum, prosequi, eundemque ad finem perducere, possit. Dictio est nativa, rebusque accommodata, sed ejus inæqualitatem hoc defendit, quod ad exemplum *Usserii* & *Hottingeri* verbis aliorum, ad fidem majorem faciendam, maluerit uti, quam suis. Charta & typi sunt nitidi, typographorum mendæ studiose sublatæ, ut illarum non ita multæ supersint. In sequenti *Volumine* historiam ad A. 1530 pertexet, quod ut quantocyus prodire jubeat, eruditissimum Autorem publico nomine rogitamus. Utilius opus lectoribus evadet, si quidem Index reliquis *Voluminibus* fuerit subjunctus.

Documenta, calci adjecta, vel ex manu exaratis exemplaribus primitus exhibentur, vel ex majoribus operibus depromuntur, vel rariora facta typis iterantur, numero 24, quorum

Digitized by Google

quorum tantum titulos exscribemus: 1) *Tractatus de ruina ecclesiæ planctu*, Seculi XV fœtus; 2) *Erasmi Epistola* ad *Capitonem de renascentibus Sec. XVI literis*; 3) *Frid. Myconii querela de corrupto ecclesiæ statu*; 4) Ejusd. *Epistola ad Paul. Eberum de primordiis emendatæ religionis*; 5) *Ægidii Viterbiensis Oratio, habita in Synodo Lateranensi A. 1512*; 6) *Appellatio Universitatis Parisiensis adversus concordata Bononiensia A. 1517*; 7) *Indulgentiarum, a Tetzelio & Sansonio venditarum, quædam exemplaria*; 8) *Maximiliani Imp. Edicta duo, indulgentias spectantia*; 9) *Alberti Moguntini summaria instructio in causa indulgentiarum*; 10) *Facultatis Parisiensis decretum adversus indulgentias*; 11) *D. Mart. Lutheri Theses adversus easdem*; 12) *Wolfg. Fabric. Capitonis Epistola de suscipienda & maturanda ecclesiæ reformatione*; 13) *Leonis X, P. Diplomata II ad Cajetanum*; 14) *Leonis X Bulla contra errores M. Lutheri & sequacium*; 15) *Val. a Tetteleben Epistola ad Albertum Moguntinum*; 16) *Jo. Oecolampadii Epistola ad Casp. Hedionem responsoria*; 17) *Bilib. Pirckheymeri Epistola ad Hadrianum VI de motibus, in Germania per Dominicanos excitatis*; 18) *Mart. Buceri Relatio ad B. Rhenanum de disputatione Heidelbergensi*; 19) *Petr. Mosellani Epistola ad Jul. Pflugium de disputatione Lipsiensi, A. 1519 habita*; 20) *Ph. Melanchthonis Epistola ad Jo. Oecolampadium de eodem*; 21) *Huldr. Zuinglii Epistola ad Erasm. Fabricium de actis legationis, ad Tigurinos missæ d. 7 April. A. 1522*; 22) Ejusdem *Conclusiones 67, in Synodo Tigurina d. 29 Jan. A. 1523 ventilatæ*; 23) *Corn. Honii, Batavi, Epistola de sensu institutionis sacræ cœnæ*; 24) *Eucharistiæ apud Tigurinos celebrandæ formula.*

## *CORNELII TRIOEN, MEDICINÆ DOCtoris, Observationum medico-chirurgicarum Fasciculus,*

**Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Eyk, 1743, 4 maj. Plag. 20, Tab. æn. 13.**

**Recte quidem, sed pluribus fere, quam opus erat, verbis, Cl. Autor in Præfatione edisserit, ad dijudicandos curandosque**

que morbos in theoreticarum, ut vocant, diſciplinarum cognitione non ſatis eſſe præſidii, id quod nemo prudentiorum putavit unquam, quemadmodum nec propterea præſtantiſſimum illarum uſum in pragmatica æque Medicina, ac Chirurgia, in dubium vocare licet. Ad obſervationum itaque, quas omnium ſeculorum Medici maximis laudibus extulerunt, cumulum Noſter ex ſua etiam experientia hunc adjecturus faſciculum, non pauca nobis ſingularia, magnique momenti, enarravit. Utplurimum autem morborum exempla ſimpliciter tantum ſine multis ratiociniis exponit; utinam vero etiam ſine multis verborum ambagibus, quandoquidem ubique fuſius & circumducta oratione res perſequitur, quas omnino ſtrictius nervoſiusve tradere e re fuiſſet. Neque tamen propterea in quibuslibet ea reperies, quæ ad rem penitius intelligendam pertinent, ut obſervationes ubivis completæ dici mereantur. In cauſas morborum rarius inquirit, nec medicationis rationem reddere ſolet. Interdum tamen monet quædam, quæ utrique rei inſerviunt. Aliquando morbi tantum hiſtoria & decurſus, nonnunquam vero & quid ars contra eam valuerit, annotatur. Interim non contemnendas has Obſervationes, ſed ſolerti ingenio in ſuccum ſanguinemque vertendas eſſe, diligentior libri lectio oſtendet. Ceterum fere conjicias, Autorem in curandis morbis, quam deſcribendis, fuiſſe feliciorem. Neque enim omnis, qua utitur, tractandi ratio ſatis concinna eſt, nec dictio utcunque tolerabilis, ut potius, ſive vocabulorum notiones, ſive ſtructuram, ſive loquendi formulas, ſpectes, non unius generis ſordibus inquinetur, ſenſumque ipſum implicet admodum & turbet. Ut ad Obſervationes ipſas pro-
**Pag. 1. 2.** pius accedamus, in earum ſerie explicantur catalepſis, venæ-
**3. 6.** ſectione curata, rara diabetes cura, per halecem nimirum &
**7.** vinum Rhenanum, atrophia ſanata, calculus gemellus ultro ex-
**11. 13.** cretus, peripnevmonia levi mania judicata, iliaca paſſio apo-
**14.** ſtemate judicata, iliaci morbi ſanati hiſtoria, leucophlegmati-
**15.** cus inopinata criſi aſſertus, paraphrenitis gelida curata, per-
**18. 23.** tinax ab aſſumto borace morbus, hydrocephalus, alvi per
**25. 26.** tres fere menſes adſtricti hiſtoria, urinarum ſuppreſſionis ſtu-
pendum

Digitized by Google

pendum exemplum, virgo ſcilicet, per undecim annos quartana
laborans, quindecim menſium intervallo nullas reddidit uri-
nas, pes tripodis puerulo in cantho oculi minori caſu infi- Pag. 29.
xus, aſelli lac non omnibus conveniens, prodigioſa lupia, 30.
ſteatomatis ad medium cruralis arteriæ internæ in femore cæ- 32.
ſura, pertuſæ calvariæ curatio, vulnus memorabile ſclope- 34.
to inflictum, pudendagræ curatio, fragmenti oſſis frontis lue 38.
venerea ſeparati exemplum ſingulare, fragmenti oſſis bre- 40. 41.
gmatis ulcere ſordido ſeparati hiſtoria, inferioris maxillæ con- 43.
ſpicua ſeparatio, hæmorrhagia uterina ſedecim per annos per- 44.
ſeverans, capillitii plica, capitellum ſedis, vulvæ lapſu intru- 45.
ſum, ancillæ alterutrum vulvæ fiſſum labellum, inteſtina tenu- 46.
ia ano excreta. Anus nimirum ſeptuaginta & octo annos nata, 49.
ictu inopinato a fortiori ruſtico percuſſa, reſupina in lumbos 51. 52.
procumbit. Poſt de infandis torminibus, & prolapſu quo- 53.
dam circa muliebria, queritur. Re tamen accuratius explorata, ad minimum totius inteſtinorum tenuium tertiam partem ex ano propendere conſtitit, muliere poſt nauſeam, vomitum, motusque convulſivos atrociſſimos, inteſtinorumque ſphacelum, eodem adhuc die exſtincta. Autor noſter conjicit, antecedentem exulcerationem partium, quæ rectum inteſtinum intra limites ſuos coercent, rupturam, vel ſimile quid, huic anſam dediſſe malo, & hac ſemita inteſtina excreta fuiſſe, cum perinæum fuerit integerrimum. Utinam licuiſſet cadaver poſt mortem incidere, ut res hoc modo in clariſſimam protracta fuiſſet
lucem. Porro inter has obſervationes referuntur excreſcentia 55.
varicoſa in inteſtino recto, ani fiſtulæ, in vulvam hiantis, hiſto- 58.
riæ duæ, ani clauſi hiſtoriæ, remora quædam alvinis fecibus in- 59. 61.
jecta, excrementa alvina ſectione ano ſubmota, dextri oculi 62.
orbitæ fractura, vaginæ uterinæ calloſitas, partui repagulum 63.
parans, partus cæſareo proximi hiſtoria, quæ ita ſe habet: Mu- 64.
lier quædam, geſtationis tempore ſolito præterlapſo, licet quam vehementiſſime parturiverit, nullam tamen enixa prolem, ægerrime febre, doloribus circa hypochondria, ventriſque torminibus, deinde aphthis, aliiſque diris ſymptomatibus, laboravit,

donec in gibba abdominis regione superius ad umbilicum se prodiderint vesiculæ quædam, gangrænæ futuræ præsagia, quibus ruptis, ingens humorum prodiit copia, ac funiculi umbilicalis portio siderata summo cum foetore, infausti rei augurio, fuit. Postquam deinceps sinistra foetus manus ad cubiti flexum per integumenta corporis communia, jam gangræna & putredine squalida, sibi exitum quæsiverat; Noster, foetum extracturus, sub exporrecta ejus manu brachioque, sinistræ suæ abdomini ingerit sibi conductorem indicem, ac validissimo scalpello primum corporis integumenta discindit, mox musculos, tandem peritonæum, pertundit, hacque sectione peracta inuncta oleo raparum manum immittit vulneri, unumque & alterum extrahit pedem, posthæc utrumque brachium, postremo autem totum non mediocris magnitudinis, & foetentem, integrum tamen, eximit cæsonem. Sed progrediamur ad reliquas
Pag. 70. observationes, inter quas & obveniunt pessus ob uteri lapsum
per septendecim annos gestatus, e vulva extractus, molarum
causæ indagatio, in qua Noster existimat, eas nunc sine prægresso coitu generari, eo scilicet modo, ut ovum sterile, ex ovario dimissum, suis floccis uteri tunicis appositum, incrementa capiat, & postea in molam degeneret, & idcirco a virginibus etiam atque viduis sine ulla labis suspicione excludi queant, nunc vero a secundinis, foetu, per abortum excluso, relictis, concrescere, sarcomatis indolem acquirere, nec ulla cavitate, quæ in mola, ab ovo sterili exorta, observetur, in-
77. 80. structum esse, porro hydropis ovarii historia, exulcerati
90. 92. perinæi historia, ulceris fistulosi pertinacissimi historia, herpe-
94. tis esthiomeni, sive corrosivi, exemplum memorabile, tumor
96. oculi & palpebræ cancrosus, lentis crystallinæ ex oculo expul-
98. sio, conspicui tumoris, superveniente gangræna in foetidum
99. ulcus conversi, historia, ulceris cum labiis duris, oris inversis,
101. 103. & vix credibili intumescentia, exemplum, insignis tumoris car-
105 seq. cinomatosi, e variis tuberculis conglomerati, cæsura, varia spinæ
125. ventosæ exempla, & animadversiones in illam, meticeria *Celsi*,
134. anchyle, sive anchylosis, ejusque discrimina, hydropis articulorum

TAB. II ad

Fig. I.






Pag. 138.
141.
137.

TAB. II
Fig. 1.

Pag. 70. c

77. 80. fi
90. 92. p
94. t
96. o
98. fi
99. u
101. 103. &
105 seq. ci
125. v
134. a

culorum quatuor exempla, funesti pedis sphaceli genu transgredientis historia, sphaceli dirissimi exemplum, alius sphaceli curati historia, & denique linguæ stupendæ magnitudinis facultatisque exemplum. Ex his observationibus nonnullæ iconibus illustrantur, quæ, elegantissime in æs incisæ, non secus ac chartæ typorumque nitor, librum hunc non mediocriter commendant. Pag. 138. 141. 137.

## *SOLUTIO PROBLEMATIS, IN NOV. ACTOrum Erud. Mense Novembri A. 1743 propositi, Autore LEONH. EULERO.*

1. Quamvis hoc Problema ad methodum tangentium inversam, jam pridem satis pertractatam & excultam, pertinere videatur; tamen ob plurimas insignes proprietates, quæ de Curvis, Problemati satisfacientibus, in ipsa propositione sunt commemoratæ, dignum profecto haberi debet, ad quod solvendum Geometræ studium atque operam impendant. Est enim plane singularis indolis, quod non solum innumerabiles Curvæ algebraicæ solutioni inserviant, sed etiam quilibet linearum ordo unicam curvam satisfacientem suppeditet. Circa reliquas Curvas satisfacientes notabile quoque est, quod eæ ad duas classes referantur, quarum altera constructionem ope quadraturæ circuli postulat, altera vero per nullas solitas quadraturas perfici queat. Hujusmodi autem Problemata inprimis sunt attentione digna, propterea quod eorum solutio plerumque cum non contemnenda finium analyseos amplificatione soleat esse conjuncta. Problema igitur, cujus solutionem hic exponam, huc redit: *Invenire lineam curvam AMB, in cujus axe AB duo dentur ejusmodi puncta C & D, ut, ductis inde ad quodvis peripheriæ punctum M rectis CM & DM, areæ ACM ex puncto C resectæ perpetuo sint proportionales angulis ADM, ad alterum punctum D formatis.* TAB. II Fig. 1.

2. Ad hoc Problema solvendum ponatur distantia punctorum $CD = a$, ac, demisso ex puncto $M$ ad axem $AB$ perpendiculo $MP$, vocentur coordinatæ $DP = x$, $PM = y$. Ponatur

tur $\frac{x}{y} = t$, erit $t$ cotangens, seu $\frac{1}{t}$ tangens anguli $ADM$ posito sinu toto $= 1$. Hinc ipse angulus erit $= \int \frac{-dt}{1+tt}$. Deinde, si ponatur $AP = p$, erit area $APM = \int y dp$, ad quam si addatur triangulum $CPM = \frac{1}{2}(x-a)y$, habebitur area $ACM = \int y dp + \frac{1}{2} xy - \frac{1}{2} ay$. Cum vero sit $p + x =$ const. $AD$, erit $dp + dx = 0$, ideoque $dp = -dx$. Quoniam igitur area $ACM$ debet esse proportionalis angulo $ADM$, ponatur ad homogeneitatem conservandam $ACM = \frac{1}{2} cc. ADM$. quod in symbolis dat:

$$\int y dp + \tfrac{1}{2} xy - \tfrac{1}{2} ay = \tfrac{1}{2} cc \int \frac{-dt}{1+tt},$$

quæ differentiata dabit ob $dp = -dx$ hanc æquationem:

$$-ydx + xdy - ady = \frac{-ccdt}{1+tt}.$$

3. Variatis ergo signis, habebimus hanc æquationem, in qua solutio Problematis continebitur:

$$ydx - xdy + ady = \frac{ccdt}{1+tt};$$

in qua, etsi tres insunt variabiles, $x$, $y$, & $t$, tamen ope æquationis ante assumtæ $\frac{x}{y} = t$, una pro lubitu eliminabitur. Commodissime autem ejicietur $x$, ope æquationis $x = ty$, quæ dat $dx = tdy + ydt$, unde emerget hæc æquatio:

$$ady + yydt = \frac{ccdt}{1+tt}.$$

Quæ cum ad formam famosæ æquationis *Riccatianæ* sit referenda, omnia quoque artificia, quæ in illius resolutione sunt adhibita, hic in usum vocari debent.

4. Integratio atque constructio hujus æquationis potissimum pendet a ratione, quam constantes $a$ & $c$ inter se tenent. Facile

Facile autem, qui in æquatione *Riccatiana* resolvenda elaboraverit, agnoscet, in æquatione hic inventa innumerabiles curvas tam algebraicas, quam transcendentes, contineri. Quo autem illas primum facilius eruere queam, transformo æquationem differentialem inventam in aliam differentialem secundi gradus, ponendo $y = \frac{adz}{zdt}$, & sumto elemento $dt$ constante, superior æquatio transmutabitur in hanc:

$$aaddz = \frac{cczdt^2}{1+tt} \text{ seu } aaddz(1+tt) = cczdt^2.$$

5. Hæc æquatio jam istud habet commodum, ut variabilis $z$ unica tantum dimensio in ea occurrat, quæ conditio perquam est idonea ad valorem ipsius $z$ per seriem infinitam eruendum, id quod sequenti modo efficio. Ponatur:

$$z = f + gt + \alpha t^2 + \beta t^3 + \gamma t^4 + \delta t^5 + \varepsilon t^6 + \zeta t^7 + \&c.$$

eritque bis differentiando

$$\frac{ddz}{dt^2} = 2\alpha + 6\beta t + 12\gamma t^2 + 20\delta t^3 + 30\varepsilon t^4 + 42\zeta t^5 + \&c.$$

Cum igitur sit $ccz = \frac{aaddz}{dt^2} + \frac{aattddz}{dt^2}$, erit

$$ccf + ccgt + cc\alpha t^2 + cc\beta t^3 + cc\gamma t^4 + cc\delta t^5 + \&c. =$$
$$2aa\alpha + 6aa\beta t + 12aa\gamma t^2 + 20aa\delta t^3 + 30aa\varepsilon t^4 + 42aa\zeta t^5 + \&c.$$
$$+ 2aa\alpha t_2 + 6aa\beta t^3 + 12aa\gamma t^4 + 20aa\delta t^5 + \&c.$$

ubi coefficientes $\alpha$, $\beta$, $\gamma$, &c. ita determinari debent, ut æqualitas utrinque producatur.

6. Coæquando autem terminos homogeneos, sequentes inveniuntur valores:

$$\alpha = \frac{cc}{2aa} f$$

$$\beta = \frac{cc}{6aa} g$$

$$\gamma = \frac{(cc-2aa)\alpha}{12aa} = \frac{cc(cc-1.2aa)}{1.2.3.4a^4}f$$

$$\delta = \frac{(cc-6aa)\beta}{20aa} = \frac{cc(cc-2.3aa)}{1.2.3.4.5a^4}g$$

$$\epsilon = \frac{(cc-12aa)\gamma}{30aa} = \frac{cc(cc-1.2aa)(cc-3.4aa)}{1.2.3.4.5.6a^6}f$$

$$\zeta = \frac{(cc-20aa)\delta}{42aa} = \frac{cc(cc-2.3aa)(cc-4.5aa)}{1.2.3.4.5.6.7a^6}g$$

&c.

His igitur valoribus in æquatione aſſumta $z = f + gt + \alpha t^2 + \beta t^3 + \gamma t^4 + \delta t^5 + \epsilon t^6 + \zeta t^7 + \&c.$ ſubſtitutis, obtinebitur æquatio integralis completa æquationis differentio-differentialis $aaddz(1+tt) = cczdt^2$, id quod indicant binæ conſtantes arbitrariæ $f$ & $g$, quæ per duplicem integrationem ingreſſæ ſunt cenſendæ.

7. Inventa eſt ergo ſequens æquatio generalis, ſolutionem propoſiti Problematis complectens:

$$z = \begin{cases} f + \frac{cc}{1.2aa}ft^2 + \frac{cc(cc-1.2aa)}{1.2.3.4a^4}ft^4 + \\ \qquad \frac{cc(cc-1.2aa)(cc-3.4aa)}{1.2.3.4.5.6a^6}ft^6 + \&c. \\ + gt + \frac{cc}{1.2.3aa}gt^3 + \frac{cc(cc-2.3aa)}{1.2.3.4.5a^4}gt^5 + \\ \qquad \frac{cc(cc-2.3aa)(cc-4.5aa)}{1.2.3.4.5.6.7a^6}gt^7 + \&c. \end{cases}$$

ex qua ſi formetur $y = \frac{adz}{zdt}$, & $x = ty$, orietur æquatio generalis algebraica inter $x$ & $y$, omnes lineas curvas Problemati ſatisfacientes comprehendens, quæ autem cum terminis numero infinitis conſtet, re vera curvas tranſcendentes æque complectitur, atque algebraicas. Quodſi autem vel $f$, vel $g$, ponatur $= 0$, binæ æquationes reſultabunt particulares hæ:

I. $z =$

$$\text{I. } z = 1 + \frac{cc}{1 \cdot 2aa} t^2 + \frac{cc(cc - 1 \cdot 2aa)}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 a^4} t^4 + \frac{cc(cc - 1 \cdot 2aa)(cc - 3 \cdot 4aa)}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5 \cdot 6 a^6} t^6 + \&c.$$

$$\text{II. } z = t + \frac{cc}{2 \cdot 3aa} t^3 + \frac{cc(cc - 2 \cdot 3aa)}{2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5 a^4} t^5 + \frac{cc(cc - 2 \cdot 3aa)(cc - 4 \cdot 5aa)}{2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5 \cdot 6 \cdot 7 a^6} t^7 + \&c.$$

8. Hæ æquationes etsi in infinitum progrediuntur, tamen certis casibus numerus terminorum fit finitus, ulterioribus terminis evanescentibus omnibus. Perspicuum enim est, si cujuspiam termini coefficiens fiat $= 0$, tum sequentes terminos omnes simul evanituros. His igitur casibus æquationes istæ suggerent curvas algebraicas quæsito satisfacientes; hocque adeo eveniet, si $cc$ ad $aa$ ita fuerit comparatum, ut coefficiens cujuspiam termini evanescat; ex quo curvæ algebraicæ obtinebuntur sequentibus casibus: si

1. $cc = 0$
2. $cc = 1 \cdot 2aa$
3. $cc = 2 \cdot 3aa$
4. $cc = 3 \cdot 4aa$
5. $cc = 4 \cdot 5aa$
6. $cc = 5 \cdot 6aa$

& ita porro.

9. Primo quidem casu, quo $cc = 0$, fit vel $z = 1$, vel $z = t$. Ex priori oritur $y = 0$, qua æquatione indicatur linea recta cum axe $AB$ congruens; ex posteriori fit $y = \frac{a}{t}$ & $x = a$, quæ æquatio pariter est pro linea recta, quæ vero axem $AB$ in puncto $C$ normaliter trajiciet. Quin, posito $cc = 0$, etiam æquatio generalis fit finita, eritque $z = f + gt$; hinc $y = \frac{ag}{f + gt}$ & ob $t = \frac{x}{y}$ erit $y = \frac{agy}{fy + gx}$ seu $ag = fy$

$= fy + gx$, quæ eſt pro linea recta quacunque, axem $AB$ in puncto $C$ ſecante. Facillime autem patet, quemadmodum hujusmodi linea recta ſatisfaciat. Area enim $ACM$ perpetuo erit $= 0$, ac propterea æqualis angulo $CDM$ per $\frac{1}{2} cc = 0$ multiplicato. Jam itaque adepti ſumus lineam algebraicam ex primo ordine, rectam ſcilicet, quæ Problema reſolvit.

10. Ponamus nunc pro caſu ſecundo $cc = 1.2 aa$, ſeu $c = a\sqrt{2}$, atque æquatio I induet hanc formam finitam $z = 1 + tt$, unde oritur $y = \frac{2at}{1+tt} = \frac{2axy}{xx+yy}$ ob $t = \frac{x}{y}$.

TAB. II Fig. 2. Hinc fluit iſta æquatio $xx + yy = 2ax$; quæ eſt pro circulo, qui quemadmodum ſatisfaciat, ex elementis planum eſt. Cadet enim punctum $C$ in hujus circuli centrum, & $D$ in ejus peripheriam, radio exiſtente $= CD = a$; ubi cum angulus $CDM$ ſit ſemiſſis anguli $ACM$, erit quoque ſectori $ACM$ proportionalis. Præterea vero, cum ſit area $ACM = \frac{1}{2} a. AM$, & angulus $CDM = \frac{1}{2} AM : a$, fiet area $ACM =$ ang. $CDM. aa =$ ang. $CDM. \frac{1}{2} cc$. Circulus igitur eſt linea ſecundi ordinis ſatisfaciens.

11. Sit pro tertio caſu $cc = 6 aa$, atque æquatio ſecunda dabit $z = t + t^3$, unde fit $y = \frac{a(1+3tt)}{t+t^3} = \frac{a(y^3+3xxy)}{x(xx+yy)}$, ſeu $x^3 + xyy = ayy + 3axx$, quæ præbet lineam tertii ordinis, ad cujus naturam inveſtigandam ſpectetur æquatio:

$$yy = \frac{(3a-x)xx}{x-a}.$$

Fig. 3. Hæc igitur curva $AM$ ab axe $ACD$ in duas partes æquales dividitur; in $D$ habebit punctum conjugatum, & normalis ad axem ex puncto $C$ educta $CE$ erit curvæ aſymptotos, vertexque curvæ cadet in $A$, ut ſit $DA = 3 CD$. Hæc curva a *Newtono* in Enumeratione linearum tertii ordinis vocatur conchoidalis, atque ad ſpeciem 44 refertur. Erit ergo quoque in hac curva area $ACM$ angulo $ADM$ proportionalis.

12. Sit

12. Sit porro pro casu quarto $cc = 12aa$, atque æquatio I dabit $z = 1 + 6tt + 5t^4 = (1 + tt)(1 + 5tt)$, unde fit $y = \frac{a(12t + 20t^3)}{(1+tt)(1+5tt)} = \frac{4ay(3xyy + 5x^3)}{(xx+yy)(yy+5xx)}$, hincque $(xx+yy)(yy+5xx) = 12axyy + 20ax^3$, quæ est æquatio pro linea quarti ordinis $AMD$, cujus diameter erit linea $ACD$, eritque $AD = 4CD$. Ceterum hæc curva est in se rediens, punctumque $D$ in ejus perimetro collocatur. TAB. II Fig. 4.

13. Simili modo, si pro casu quarto ponatur $cc = 20aa$, æquatio II dabit $z = t + \frac{10}{3}t^3 + \frac{7}{3}t^5 = \frac{1}{3}t(1+tt)(3+7tt)$, unde fit $y = \frac{3a + 30att + 35at^4}{t(1+tt)(3+7tt)}$, ex qua ponendo $t = \frac{x}{y}$ nascitur sequens æquatio pro linea quinti ordinis:

$$x(yy+xx)(3yy+7xx) = 3ay^4 + 30axxyy + 35ax^4.$$

Hæc curva, ut ea, quæ ex tertio ordine est inventa, habebit punctum conjugatum in $D$, in $C$ vero asymptoton ad axem normalem, at verticem in $A$, ut sit $DA = 5CD$.

14. Ex his jam intelligitur, si ponatur $cc = 30aa$, prodituram esse lineam ordinis sexti in se redeuntem, in qua sit $AD = 6CD$; tum vero, posito $cc = 42aa$, linea prodibit septimi ordinis, in qua sit $AD = 7CD$, & applicata in $C$ in asymptoton abibit. Atque hoc modo ulterius progrediendo ex singulis sequentibus linearum ordinibus una curva satisfaciens elicietur. Ex ordinibus quidem paribus curva illa erit in se rediens, ex imparibus vero asymptoton habebit ad axem in puncto $C$ normalem. Et, quoniam hoc pacto omnes curvæ algebraicæ reperiuntur, simul patet, ex quolibet linearum ordine plures una linea satisfaciente non dari.

15. Apparet ergo, curvas algebraicas exhiberi posse, quoties $\frac{cc}{aa}$ fuerit numerus pronicus, seu $\frac{cc}{2aa}$ numerus trigonalis. Quo autem facilius singulis casibus æquationes algebraicæ

inveniri queant, ponamus, esse $\frac{cc}{aa} = (2n-1)\,2n$, sicque casus ad æquationem I pertinebit, unde orietur:

$$z = 1 + \frac{2n(2n-1)}{1 \cdot 2}tt + \frac{(2n-2)(2n+1)}{3 \cdot 4}Pt^4 + \frac{(2n-4)(2n+3)}{5 \cdot 6}Pt^6 + \&c.$$

ubi notandum, $P$ significare ubique coefficientem termini præcedentis totum. Quæ expressio cum semper factorem habeat $1+tt$, erit:

$$z = (1+tt)\left(1 + \frac{(2n-2)(2n+1)}{1 \cdot 2}tt + \frac{(2n-4)(2n+3)}{3 \cdot 4}Pt^4 + \frac{(2n-6)(2n+5)}{5 \cdot 6}Pt^6 + \&c.\right)$$

16. Simili modo ex æquatione II si ponatur $\frac{cc}{aa} = 2n(2n+1)$ erit:

$$z = t + \frac{2n(2n+1)}{2 \cdot 3}t^3 + \frac{(2n-2)(2n+3)}{4 \cdot 5}Pt^5 + \frac{(2n-4)(2n+5)}{6 \cdot 7}Pt^7 + \&c.$$

&, quia hæc expressio pariter per $1+tt$ est divisibilis, erit

$$z = (1+tt)\left(t + \frac{(2n-2)(2n+3)}{2 \cdot 3}t^3 + \frac{(2n-4)(2n+5)}{4 \cdot 5}Pt^5 + \frac{(2n-6)(2n+7)}{6 \cdot 7}Pt^7 + \&c.\right)$$

ubi, ut ante, $P$ coefficientem totum termini præcedentis denotat. Ex his ergo formulis ex quovis ordine linearum facile erit curvam satisfacientem invenire. Si enim sit $\frac{cc}{aa} = 2n(2n-1)$, curva erit linea ordinis $2n$, &, si sit $\frac{cc}{aa} = 2n(2n+1)$, curva

erit

erit ex linearum ordine $2n+1$. Perpetuo ſcilicet, ſi ſtatuatur $\frac{cc}{aa} = m(m+1)$, curva algebraica exhiberi poterit pertinens ad linearum ordinem $m+1$.

17. Quod deinde ratio inter partes axis $AD$ & $CD$ pendeat a ratione $cc:aa$, hæc eſt proprietas non ſolum ad curvas algebraicas, ſed etiam ad omnes omnino curvas problemati ſatisfacientes, patens. Quodſi enim generaliter fuerit $cc = naa$, erit quoque $AD : CD = 1 + \sqrt{(1+4n)} : 2$. Nam concipiatur punctum $M$ proxime ad $A$ admoveri, &, quia curva ad $A$ normaliter axi inſiſtere conſiderari poteſt, ponatur arcus minimus $AM = s$, erit area $ACM = \frac{1}{2} AC.s$; angulus vero $ADM$ erit $= \frac{s}{AD}$. Cum igitur ſit $ACM = \frac{1}{2} cc.ADM$, fiet $AC.AD = cc = n.CD^2$, & $CD:AC = AD:n.CD$. Vel ob $AC = AD - CD$ erit $AD^2 = AD.CD + n.CD^2$, ſeu $\frac{AD}{CD} = \frac{1}{2} + \sqrt{(\frac{1}{4}+n)}$. Sin autem curva axi in $A$ oblique inſiſtat, tum $s$ in data ratione minui debebit, ſicque eadem, quæ ante, ratio reſultabit. In curvis itaque algebraicis, cum $4n+1$ fiat numerus quadratus, ratio inter $AD$ & $CD$ ſemper rationaliter exprimetur, & quidem ipſo numero ordinis indicabitur.

18. Hæc eadem proprietas colligitur ex æquatione $ady + yydt = \frac{ccdt}{1+tt}$. Ponatur enim applicata $y$ evaneſcens, atque anguli $ADM$, qui hoc caſu pariter evaneſcit, tangens ſit $= s$, fiet $\frac{y}{AD} = s$, & $t = \frac{1}{s}$; ac, poſita $DA = b$, erit $y = bs$. His valoribus ſubſtitutis, habebitur $abds - bbds = -\frac{ccds}{1+ss}$, quæ ob $s=0$ abit in $bb = ab + cc$, & dat $b = \frac{1}{2}a + \sqrt{(\frac{1}{4}aa + cc)}$. Quare, ſi ſit $cc = naa$, erit $\frac{AD}{CD} = \frac{1+\sqrt{(1+4n)}}{2}$:

uti ante invenimus; ita, ut, si detur ratio inter $cc$ & $aa$, simul punctum $A$ innotescat, ubi curva axem intersecabit.

19. Cum igitur curvas algebraicas, quæ Problemati satisfaciunt, exhibuerim; progredior ad alteram curvarum classem, quæ ita transcendentes esse in propositione indicantur, ut per quadraturam circuli construi queant. Primum autem observo, has curvas ex iisdem conditionibus valoris $cc$ inveniri, ex quibus modo curvas algebraicas erui, seu hæ curvæ obtinebuntur ponendo, ut ante, $cc = m(m+1)a^2$, existente $m$ numero quocunque integro. Quanquam enim, si statuatur $cc = m(m+1)aa$, valor algebraicus pro $z$ invenitur, qui propterea æquationi $aaddz(1+tt) = cczdt^2$ satisfacit, tamen is non integrale completum constituit, sed præterea dantur infiniti alii valores, qui pro $z$ substituti æquationem æque resolvunt.

20. Quod quo clarius perspiciatur, consideremus tantum casum $cc = 2aa$, pro quo invenimus $z = 1 + tt$, qui autem valor tantum ex æquatione I §. 7 est ortus; æquatio igitur II pro eodem casu alium præbebit æque satisfacientem, qui erit

$$z = t + \frac{1}{3}t^3 - \frac{1}{3\cdot 5}t^5 + \frac{1}{5\cdot 7}t^7 - \frac{1}{7\cdot 9}t^9 + \frac{1}{9.11}t^{11} -$$

&c. Atque æquatio generalis, loco citato exhibita, præbebit

$$z = f(1+tt) + g(t + \frac{1}{1\cdot 3}t^3 - \frac{1}{3\cdot 5}t^5 + \frac{1}{5\cdot 7}t^7 -$$

$\frac{1}{7\cdot 9}t^9 + \&c.)$ hæcque est integralis completa æquationis $aaddz(1+tt) = 2aazdt^2$, seu hujus $ddz(1+tt) = 2zdt^2$, quæ idcirco non solum circulum, facto $g = 0$, sed etiam infinitas alias lineas curvas, complectitur.

21. Reliquæ istæ lineæ curvæ, æquationem $ddz(1+tt) = 2zdt^2$ resolventes, ex expressione generali infinita inveniri possunt. Cum enim sit

$$z = f(1+tt) + g(t + \frac{1}{1\cdot 3}t^3 - \frac{1}{3\cdot 5}t^5 + \frac{1}{5\cdot 7}t^7 -$$

$\frac{1}{7\cdot 9}$

$\frac{1}{7\cdot 9}t^9 + \&c.)$ ponatur $T = t + \frac{1}{1\cdot 3}t^3 - \frac{1}{3\cdot 5}t^5 + \frac{1}{5\cdot 7}t^7 - \&c.$ ut fit $z = f(1+tt) + gT$. Refolvantur finguli termini feriei, qua $T$ definitur, in binos hoc modo:

$$T = t + \tfrac{1}{2}\begin{cases} +t^3 - \frac{1}{3}t^5 + \frac{1}{5}t^7 - \frac{1}{7}t^9 + \&c. \\ -\frac{1}{3}t^3 + \frac{1}{5}t^5 - \frac{1}{7}t^7 + \frac{1}{9}t^9 - \&c. \end{cases}$$

Erit ergo $T = t + \frac{1}{6}t^3 - \frac{1}{2}(1+tt)(\frac{1}{3}t^3 - \frac{1}{5}t^5 + \frac{1}{7}t^7 - \frac{1}{9}t^9 + \&c.)$

22. Cum jam fit arcus, cujus tangens $= t$, feu $A\,\text{tag}\,t = t - \frac{1}{3}t^3 + \frac{1}{5}t^5 - \frac{1}{7}t^7 + \frac{1}{9}t^9 - \&c.$ erit $T = t + \frac{1}{6}t^3 - \frac{1}{2}(1+tt)(t - A\,\text{tag}\,t)$, five $T = \frac{1}{2}t + \frac{1}{2}(1+tt)A\,\text{tag}\,t$, & $z = f(1+tt) + gt + g(1+tt)A\,\text{tag}\,t$, valore ipfius $g$ duplicato. Hinc fit $dz = 2ftdt + 2gdt + 2gtdt\,A\,\text{tag}\,t$, & $y = \frac{adz}{zdt} = \frac{2a(g + ft + gt\,A\,\text{tag}\,t)}{f(1+tt) + gt + g(1+tt)A\,\text{tag}\,t}$, atque $x = ty = \frac{2at(g + ft + gt\,A\,\text{tag}\,t)}{f(1+tt) + gt + g(1+tt)A\,\text{tag}\,t}$, vel ob $t = \frac{x}{y}$ erit $f(yy+xx) + gxy + g(yy+xx)A\,\text{tag}\,\frac{x}{y} = 2agy + 2afx + 2agx\,A\,\text{tag}\,\frac{x}{y}$, quæ eft æquatio pro omnibus curvis, quæ Problemati fatisfaciunt cafu $cc = 2aa$.

23. Ubi hæc æquatio integralis pro cafu $cc = 2aa$ eruta eft ex fummatione feriei infinitæ, generaliter valorem ipfius $z$ exprimentis; ita fimili modo pro reliquis cafibus, quibus $cc$ curvas algebraicas præbuit, æquationes, finita forma conftantes, reperiri poffunt. Pendebit autem perpetuo fummatio feriei infinitæ a quadratura circuli, qua conceffa, omnes prorfus curvæ, quibus Problema refolvitur cafibus $cc = m(m+1)aa$, conftrui poterunt.

24. Hac autem ratione mox in calculos inextricabiles illaberemur. Quam ob caufam aliam methodum exponam hanc

alteram curvarum satisfacientium classem evolvendi. Sit igitur $cc = m(m+1)aa$, atque vocetur $T$ valor algebraicus, quem ante pro $z$ invenimus; erit igitur $T$ functio algebraica ipsius $t$, quæ loco $z$ substituta æquationem $(1+tt)ddz = m(m+1)zdt^2$ identicam reddit. Ponatur nunc valor ipsius $z$ generalis $= Tu$, erit $ddz = uddT + 2dudT + Tddu$, qui in æquatione substitutus dat $u(1+tt)ddT + 2(1+tt)dudT + T(1+tt)ddu = m(m+1)Tudt^2$.

25. Cum autem valor $T$ pro $z$ substitutus satisfaciat, erit $(1+tt)ddT = m(m+1)Tdt^2$, ideoque $m(m+1)Tudt^2 = u(1+tt)ddT$, unde illa æquatio induet hanc formam simplicem:

$$2dudT + Tddu = 0, \text{ seu } \frac{2dT}{T} + \frac{ddu}{du} = 0,$$

cujus integralis est $TTdu = Cdt$; porroque integrando fit $u = C\int\frac{dt}{TT}$, ideoque $z = CT\int\frac{dt}{TT}$. Pendet ergo valor ipsius $z$ completus ab integratione formulæ $\int\frac{dt}{TT}$. Quæ quemadmodum per quadraturam circuli absolvi debeat, mox docebo.

26. Quoniam invenimus $z = CT\int\frac{dt}{TT}$, erit $dz = CdT\int\frac{dt}{TT} + \frac{Cdt}{T}$. Unde, cum sit $y = \frac{adz}{zdt}$, fiet $y = \frac{adT}{Tdt} + \frac{a}{TT\int\frac{dt}{TT}}$, & $x = \frac{atdT}{Tdt} + \frac{at}{TT\int\frac{dt}{TT}}$.

Concessa ergo integratione $\int\frac{dt}{TT}$ curva quæsita facile construi poterit.

27. Si $m$ fuerit numerus impar, puta $m = 2n-1$, habebit

bebit valor ipsius $z$ algebraicus, quem ponimus $T$, hujusmodi valorem ex §. 15:

$T = (1+tt)(1+\alpha tt + \beta t^4 + \gamma t^6 + \delta t^8 + \&c.)$, existente

$$\alpha = \frac{(m-1)(m+2)}{1\,.\,2}$$

$$\beta = \frac{(m-3)(m+4)}{3\cdot 4}\alpha$$

$$\gamma = \frac{(m-5)(m+6)}{5\cdot 6}\beta$$

$$\delta = \frac{(m-7)(m+8)}{7\cdot 8}\gamma \;\&c.$$

Sin autem sit $m$ numerus par $= 2n$, erit ex §. 16.

$T = (1+tt)(t+\alpha t^3 + \beta t^5 + \gamma t^7 + \delta t^9 + \&c.)$, existente

$$\alpha = \frac{(m-2)(m+3)}{2\cdot 3}$$

$$\beta = \frac{(m-4)(m+5)}{4\cdot 5}\alpha$$

$$\gamma = \frac{(m-6)(m+7)}{6\cdot 7}\beta$$

$$\delta = \frac{(m-8)(m+9)}{8\cdot 9}\gamma \;\&c.$$

28. Ad integrale ergo $\int \frac{dt}{TT}$ inveniendum, incipiamus a casibus simplicissimis, sitque primo $m = 1$, seu $cc = 2aa$, eritque $T = 1 + tt$, $\frac{dT}{Tdt} = \frac{2t}{1+tt}$, & $\int \frac{dt}{TT} = \int \frac{dt}{(1+tt)^2}$ $=$ Const. $+ \frac{\frac{1}{2}t}{1+tt} + \frac{1}{2} A\,\mathrm{tag}\,t$. Ponatur $A\,\mathrm{tag}\,t = 90° - \phi$, ut exprimat $\phi$ angulum $ADM$, erit $t = \cot\phi = \frac{\cos\phi}{\sin\phi}$, & $1 + tt = \frac{1}{\sin\phi^2}$. Hinc fiet $\frac{dT}{Tdt} = 2\sin\phi\cos\phi = \sin 2\phi$,

$\mathit{fin}\, 2\,\varphi$, & $\int \frac{dt}{TT} = \text{Conft.} + \frac{1}{4}\mathit{fin}\, 2\,\varphi + 45° - \frac{1}{2}\varphi$. Sit Conft. $+ 45° = \frac{1}{2}\theta$, erit $\int \frac{dt}{TT} = \frac{1}{2}\theta - \frac{1}{2}\varphi + \frac{1}{4}\mathit{fin}\, 2\,\varphi$, & $TT = \frac{1}{\mathit{fin}\,\varphi^4}$. Unde $TT\int \frac{dt}{TT} = \frac{2(\theta - \varphi) + \mathit{fin}\, 2\,\varphi}{4\,\mathit{fin}\,\varphi^4}$.

Atque ex his colligitur

$$\frac{y}{a} = \mathit{fin}\, 2\,\varphi + \frac{4\,\mathit{fin}\,\varphi^4}{2(\theta - \varphi) + \mathit{fin}\, 2\,\varphi} \text{ \&}$$

$$\frac{x}{a} = 2\,\mathit{cof}\,\varphi^2 + \frac{4\,\mathit{fin}\,\varphi^3 . \mathit{cof}\,\varphi}{2(\theta - \varphi) + \mathit{fin}\, 2\,\varphi} \text{ atque}$$

$$\frac{DM}{a} = 2\,\mathit{cof}\,\varphi + \frac{4\,\mathit{fin}\,\varphi^3}{2(\theta - \varphi) + \mathit{fin}\, 2\,\varphi}.$$

Ex longitudine autem $DM$ cum angulo $ADM = \varphi$ curva facillime conftruitur.

29. Ponamus nunc $m = 2$, feu $cc = 6aa$, erit $T = t(1 + tt) = t + t^3$; & $\frac{dT}{Tdt} = \frac{1 + 3tt}{t(1 + tt)}$, atque $\int \frac{dt}{TT} = \int \frac{dt}{tt(1 + tt)^2} = \text{Conft.} - \frac{1}{t} - \frac{\frac{1}{2}t}{1 + tt} - \frac{3}{2} A\,\text{tag}\, t$. Sit iterum $A\,\text{tag}\, t = 90 - \varphi$; erit $t = \frac{\mathit{cof}\,\varphi}{\mathit{fin}\,\varphi}$; $1 + tt = \frac{1}{\mathit{fin}\,\varphi^2}$; & $T = \frac{\mathit{cof}\,\varphi}{\mathit{fin}\,\varphi^3}$; $\frac{dT}{Tdt} = \frac{\mathit{fin}\,\varphi^3 + 3\,\mathit{fin}\,\varphi\, \mathit{cof}\,\varphi^2}{\mathit{cof}\,\varphi}$, atque $\int \frac{dt}{TT} = \text{Conft.} - \frac{\mathit{fin}\,\varphi}{\mathit{cof}\,\varphi} - \frac{1}{2}\mathit{fin}\,\varphi\, \mathit{cof}\,\varphi - \frac{3}{2}. 90° + \frac{3}{2}\varphi = \frac{3}{2}(\theta + \varphi) - \frac{\mathit{fin}\,\varphi}{\mathit{cof}\,\varphi} - \frac{1}{2}\mathit{fin}\,\varphi\, \mathit{cof}\,\varphi$. Unde fit

$$\frac{y}{a} = \left\{ \begin{array}{l} \frac{\mathit{fin}\,\varphi^3 + 3\,\mathit{fin}\,\varphi\, \mathit{cof}\,\varphi^2}{\mathit{cof}\,\varphi} \\ + \frac{2\,\mathit{fin}\,\varphi^6}{3(\theta + \varphi)\,\mathit{cof}\,\varphi^2 - 2\,\mathit{fin}\,\varphi\, \mathit{cof}\,\varphi - \mathit{fin}\,\varphi\, \mathit{cof}\,\varphi^2} \end{array} \right.$$

$\frac{x}{a} =$

$$\frac{x}{a} = \sin\Phi^2 + 3\cos\Phi^2 + \frac{2\sin\Phi^5}{3(\theta+\Phi)\cos\Phi - 2\sin\Phi - \sin\Phi\cos\Phi^2}$$

$$\& \frac{DM}{a} = \left\{ \begin{array}{c} \dfrac{\sin\Phi^2 + 3\cos\Phi^2}{\cos\Phi} + \\ \dfrac{2\sin\Phi^5}{3(\theta+\Phi)\cos\Phi^2 - 2\sin\Phi\cos\Phi - \sin\Phi\cos\Phi^3} \end{array} \right.$$

30. Ponatur ulterius $m = 3$, seu $cc = 12aa$, erit $T = (1+tt)(1+5tt) = 1 + 6tt + 5t^4$, unde fit $\frac{dT}{Tdt} = \frac{12t + 20t^3}{(1+tt)(1+5tt)}$, atque $\int\frac{dt}{TT} = \int\frac{dt}{(1+tt)^2(1+5tt)^2} = \text{Const.} + \frac{t}{32(1+tt)} + \frac{25t}{32(1+5tt)} + \frac{3}{16}A\,\text{tag}\,t$. Posito nunc $A\,\text{tag}\,t = 90^\circ - \Phi$: erit $t = \frac{\cos\Phi}{\sin\Phi}$; $1+tt = \frac{1}{\sin\Phi^2}$; $1+5tt = \frac{1+4\cos\Phi^2}{\sin\Phi^2}$; $3+5tt = \frac{3+2\cos\Phi^2}{\sin\Phi^2}$. Ergo habebitur $\frac{dT}{Tdt} = \frac{4\sin\Phi\cos\Phi(3+2\cos\Phi^2)}{1+4\cos\Phi^2}$; $\int\frac{dt}{TT} = \frac{3}{16}(\theta-\Phi) + \frac{1}{32}\sin\Phi\cos\Phi + \frac{25\sin\Phi\cos\Phi}{32(1+4\cos\Phi^2)}$; hincque

$$\frac{DM}{a} = \frac{4\cos\Phi(3+2\cos\Phi^2)}{1+4\cos\Phi^2} + 32\sin\Phi^7 : (6(\theta-\Phi)(1+4\cos\Phi^2)^2 + \sin\Phi\cos\Phi(1+4\cos\Phi^2)^2 + 25\sin\Phi\cos\Phi(1+4\cos\Phi^2)).$$

31. Ex his tribus casibus pertractatis luculenter jam intelligitur, in reliquis quoque casibus integrationem $\int\frac{dt}{TT}$ concessa sola circuli quadratura absolvi posse, neque opus esse existimo, ut ulterius hanc investigationem prosequar. Hinc itaque colligo, si fuerit $cc = m(m+1)aa$, curvas Problemati satisfacientes vel esse algebraicas, & quidem ordinis $m+1$, vel esse transcendentes ope quadraturæ circuli construibiles.

 32. Su-

32. Superſunt reliqui Problematis caſus inveſtigandi, quibus non eſt $cc = m(m+1)aa$, vel quando $m$ ſignificat numerum quemcunque non integrum, ſive fractum, ſive irrationalem. Atque his quidem caſibus formulæ, ſupra pro $z$ inventæ, perpetuo in infinitum excurrunt. Interim tamen, ſi ponatur

$$T = 1 + \frac{m(m+1)}{1 \cdot 2} tt + \frac{(m-1)(m+2)}{3 \cdot 4} Pt^4 + \frac{(m-3)(m+4)}{5 \cdot 6} Pt^6 + \&c.$$

ſeu $$T = (1+tt)\left(1 + \frac{(m-1)(m+2)}{1 \cdot 2} tt + \frac{(m-3)(m+4)}{3 \cdot 4} Pt^4 + \frac{(m-5)(m+6)}{5 \cdot 6} Pt^6 + \&c.\right)$$

& $$V = t + \frac{m(m+1)}{2 \cdot 3} t^3 + \frac{(m-2)(m+3)}{4 \cdot 5} Pt^5 + \frac{(m-4)(m+5)}{6 \cdot 7} Pt^7 + \&c.$$

ſeu $$V = (1+tt)\left(t + \frac{(m-2)(m+3)}{2 \cdot 3} t^3 + \frac{(m-4)(m+5)}{4 \cdot 5} Pt^5 + \frac{(m-6)(m+7)}{6 \cdot 7} Pt^7 + \&c.\right)$$

erit $z = fT + gV$. Quare, ſi iſtæ expreſſiones infinitæ utcunque ad formas finitas perduci poſſent, quæſito foret ſatisfactum.

33. Cum igitur totum negotium ad ſummationem ſerierum reducatur, exponam hic ſingularem methodum, cujus ope jam olim æquationis *Riccatianæ* conſtructionem generalem exhibui, & quæ etiam in præſenti negotio magnam afferet utilitatem. Conſidero ſcilicet hanc expreſſionem $\int \frac{u^{\alpha-1}du}{(1-uu)^{\mu}} \cdot \int u^{\beta-1}du(1+kuu)^{\nu}$, cujus integrale utique per quadraturas exhiberi poterit. At poſt integrationem pono $u = 1$, quo variabilis $u$ ex calculo egrediatur, & quantitatem ſic reſultantem voco

voco $= Q$, quæ ergo pariter per quadraturas assignari potest. Nunc exponentes $\alpha, \beta, \mu, \nu$, cum coefficiente $k$ ita definiri debebunt, ut ex quantitate $Q$ superiores expressiones $T$ & $V$ determinentur.

34. Cum igitur sit $Q = \int \frac{u^{\alpha-1}du}{(1-uu)^{\mu}} \int u^{\beta-1} du (1+kuu)^{\nu}$ posito post integrationem $u = 1$, istum ipsius $Q$ valorem quoque per seriem infinitam exprimamus. Primo igitur est $(1+kuu)^{\nu} = 1 + \frac{\nu}{1} ku^2 + \frac{\nu . \nu-1}{1 . 2} k^2 u^4 + \frac{\nu . \nu-1 . \nu-2}{1 . 2 . 3} k^3 u^6 +$ &c. ideoque erit $\int u^{\beta-1} du (1 + kuu)^{\nu} =$

$$\frac{u^{\beta}}{\beta} + \frac{\nu . k}{1.(\beta+2)} u^{\beta+2} + \frac{\nu . \nu-1 . k^2}{1 . 2 (\beta+4)} u^{\beta+4} +$$

$$\frac{\nu . \nu-1 . \nu-2 . k^3}{1 . 2 . 3 (\beta+6)} u^{\beta+6}$$ + &c. Hinc $Q$ exprimetur per sequentem seriem formularum integralium simplicium:

$$Q = \frac{1}{\beta} \int \frac{u^{\alpha+\beta-1} du}{(1-uu)^{\mu}} + \frac{\nu . k}{1(\beta+2)} \int \frac{u^{\alpha+\beta+1} du}{(1-uu)^{\mu}} +$$

$$\frac{\nu . \nu-1 . k^2}{1 . 2 (\beta+4)} \int \frac{u^{\alpha+\beta+3} du}{(1-uu)^{\mu}} + \&c.$$

35. Formulæ istæ autem ita sunt comparatæ, ut cujusvis integratio pendeat ab integratione præcedentis; est enim generaliter

$$\int \frac{u^{\delta+2} du}{(1-uu)^{\mu}} = \frac{-u^{\delta+1}}{(\delta-2\mu+3)(1-uu)^{\mu-1}} + \frac{\delta+1}{\delta-2\mu+3}$$

$$\int \frac{u^{\delta} du}{(1-uu)^{\mu}}$$

 quod

quod differentianti statim patebit. Quoniam autem eum tantum casum hic spectamus, quo $u = 1$, fieret membrum algebraicum $= \infty$, si $\mu > 1$. Quare, ne hoc incommodum eveniat, necesse est, ut sit $\mu < 1$, ut membrum algebraicum evanescat, fietque nostro casu

$$\int \frac{u^{\delta+2}\,du}{(1-uu)^{\mu}} = \frac{\delta+1}{\delta-2\mu+3} \int \frac{u^{\delta}\,du}{(1-uu)^{\mu}}.$$

36. Concessa ergo primi membri integratione, sequentia omnia facile integrabuntur pro casu $u = 1$. Ponatur ergo

$\int \frac{u^{\alpha+\beta-1}\,du}{(1-uu)^{\mu}} = B$, si quidem post integrationem ponatur $u = 1$; atque integralia singulorum membrorum ita se habebunt:

$$\int \frac{u^{\alpha+\beta-1}\,du}{(1-uu)^{\mu}} = B$$

$$\int \frac{u^{\alpha+\beta+1}\,du}{(1-uu)^{\mu}} = \frac{\alpha+\beta}{\alpha+\beta-2\mu+2}\,B$$

$$\int \frac{u^{\alpha+\beta+3}\,du}{(1-uu)^{\mu}} = \frac{(\alpha+\beta)(\alpha+\beta+2)}{(\alpha+\beta-2\mu+2)(\alpha+\beta-2\mu+4)}\,B$$

$$\int \frac{u^{\alpha+\beta+5}\,du}{(1-uu)^{\mu}} = \frac{(\alpha+\beta)(\alpha+\beta+2)(\alpha+\beta+4)}{(\alpha+\beta-2\mu+2)(\alpha+\beta-2\mu+4)(\alpha+\beta-2\mu+6)}\,B$$

&c.

37. His igitur valoribus substitutis, tandem obtinebitur

$$Q = \frac{B}{\beta} + \frac{\nu(\alpha+\beta)}{1(\alpha+\beta-2\mu+2)(\beta+2)}\,kB + \frac{\nu(\nu-1)(\alpha+\beta)(\alpha+\beta+2)}{1.2(\alpha+\beta-2\mu+2)(\alpha+\beta-2\mu+4)(\beta+4)}\,k^2B + \text{\&c.}$$

vel, si $P$ denotet ubique coefficientem termini præcedentis, erit

$$\frac{\beta Q}{B}$$

$$\frac{\beta Q}{B} = 1 + \frac{\nu(\alpha+\beta)\beta}{1(\alpha+\beta-2\mu+2)(\beta+2)} k + \frac{(\nu-1)(\alpha+\beta+2)(\beta+2)}{2(\alpha+\beta-2\mu+4)(\beta+4)} Pk^2 + \frac{(\nu-2)(\alpha+\beta+4)(\beta+4)}{3(\alpha+\beta-2\mu+6)(\beta+6)} Pk^3 + \&c.$$

Hæc expreſſio jam aliquot modis ad formam ſerierum $T$ & $V$ propius reduci poteſt. Primo ſcilicet poni debet $k = tt$; quanquam enim $k$ ut conſtans eſt ſpectata, tamen nihil impedit, quo minus ipſi, poſtquam integratio formulæ $Q$ eo, quo præceptum eſt, modo fuerit peracta, valor variabilis tribuatur.

38. Cum igitur in ſeriebus $T$ & $V$ coefficientes binis factoribus creſcant, in noſtra ſerie idem erit efficiendum. Obtinebitur hoc primum, ſi ponatur $\beta = 2$; eritque

$$\frac{2Q}{B} = 1 + \frac{2\nu(\alpha+2)}{4(\alpha-2\mu+4)} tt + \frac{(2\nu-2)(\alpha+4)}{6(\alpha-2\mu+6)} Pt^4 + \&c.$$

quæ vero ad formas propoſitas reduci nequit. Commodiſſime vero hæc reductio noſtro ſcopo inſerviet, qua fit $k = tt$ & $\alpha = 2$, eritque

$$\frac{\beta Q}{B} = 1 + \frac{2\nu.\beta}{2(\beta-2\mu+4)} tt + \frac{(2\nu-2)(\beta+2)}{4(\beta-2\mu+6)} Pt^4 + \frac{(2\nu-4)(\beta+4)}{6(\beta-2\mu+8)} Pt^6 + \&c.$$

39. Comparemus hanc ſeriem cum prima, cujus ſummationem quærimus, quæ ex §. 32 eſt:

$$T = 1 + \frac{(m+1)m}{1.2} tt + \frac{(m-1)(m+2)}{3.4} Pt^4 + \frac{(m-3)(m+4)}{5.6} Pt^6 + \&c.$$

Fiat ergo $\beta = m$; $\nu = \frac{m+1}{2}$; & $\beta-2\mu+4 = m-2\mu+4 = 1$: erit $\mu = \frac{m+3}{2}$. Quare, cum hoc caſu fiat $T = \frac{mQ}{B}$, erit

 $T = m$

Digitized by Google

$$T = m\int \frac{u\,du}{(1-uu)^{\frac{m+3}{2}}}\int u^{m-1}\,du\,(1+ttuu)^{\frac{m+1}{2}} :$$

$$\int \frac{u^{m+1}\,du}{(1-uu)^{\frac{m+3}{2}}}.$$

40. Si sumatur altera series, qua $T$ exprimitur, erit

$$\frac{T}{1+tt} = 1 + \frac{(m-1)(m+2)}{1\cdot 2}tt + \frac{(m-3)(m+4)}{3\cdot 4}Pt^4 + \&c.$$

quae ex superiori oritur sumendo $k = tt$; $\alpha = 2$; $\nu = \frac{m-1}{2}$; $\beta = m+2$, & $\beta - 2\mu + 4 = m - 2\mu + 6 = 1$, unde fit $\mu = \frac{m+5}{2}$. Hinc itaque erit

$$\frac{T}{1+tt} = (m+2)\int \frac{u\,du}{(1-uu)^{\frac{m+5}{2}}}\int u^{m+1}\,du\,(1+ttuu)^{\frac{m-1}{2}} :$$

$$\int \frac{u^{m+3}\,du}{(1-uu)^{\frac{m+5}{2}}}.$$

41. Ad valorem ipsius $V$ inveniendum, cum sit:

$$\frac{V}{t} = 1 + \frac{m(m+1)}{2\cdot 3}tt + \frac{(m-2)(m+3)}{4\cdot 5}Pt^4 + \&c.$$

fieri debet ut hactenus $k = tt$ & $\alpha = 2$; eritque $\nu = \frac{m}{2}$, $\beta = m+1$, $\beta - 2\mu + 4 = m - 2\mu + 5 = 3$, & $\mu = \frac{m+2}{2}$. Unde obtinebitur:

$$V = (m+1)t\int \frac{u\,du}{(1-uu)^{\frac{m+2}{2}}}\int u^{m}\,du\,(1+ttuu)^{\frac{m}{2}} :$$

$$\int \frac{u^{m+2}\,du}{(1-uu)^{\frac{m+2}{2}}};$$

ubi

ubi quidem incommodum accidit, quod $\mu > 1$, unde utrumque integrale evadit infinitum.

42. Huic autem incommodo medela afferetur, si pro $Q$ alia forma integralis accipiatur. Statuatur igitur

$$Q = \int \frac{v^{\alpha-1}\,dv}{(1+vv)^{\mu}}\left(1+\frac{ttvv}{1+vv}\right)^{\frac{\nu}{2}}$$ posito post integrationem

$v = \infty$, sitque eodem casu $\int \frac{v^{\alpha-1}\,dv}{(1+vv)^{\mu}} = B$. Jam ergo fiet

$$Q = \int \frac{v^{\alpha-1}\,dv}{(1+vv)^{\mu}}\left(1+\frac{\nu}{2}\cdot\frac{ttvv}{1+vv} + \frac{\nu(\nu-2)}{2\cdot 4}\cdot\frac{t^4 v^4}{(1+vv)^2} + \frac{\nu(\nu-2)(\nu-4)}{2\cdot 4\cdot 6}\cdot\frac{t^6 v^6}{(1+vv)^3} + \&c.\right).$$

At est:

$$\int \frac{v^{\delta+1}\,dv}{(1+vv)^{\mu+1}} = \frac{-1}{2\mu}\cdot\frac{v^{\delta}}{(1+vv)^{\mu}} + \frac{\delta}{2\mu}\int\frac{v^{\delta-1}\,dv}{(1+vv)^{\mu}}.$$

Quare, cum hic eum tantum casum perpendamus, quo $v = \infty$, evanescit membrum algebraicum, dummodo sit $\delta < 2\mu$; proinde erit

$$\int \frac{v^{\delta+1}\,dv}{(1+vv)^{\mu+1}} = \frac{\delta}{2\mu}\int\frac{v^{\delta-1}\,dv}{(1+vv)^{\mu}}.$$

43. His ergo præmissis, erit:

$$\frac{Q}{B} = 1 + \frac{\nu\cdot\alpha}{2\cdot 2\mu}tt + \frac{(\nu-2)(\alpha+2)}{4(2\mu+2)}Pt^4 + \&c.$$

Facto ergo $\nu = m+1$; $\alpha = m$ & $\mu = \frac{1}{2}$ erit $T =$

$$\frac{Q}{B} = \int \frac{v^{m-1}\,dv}{\sqrt{(1+vv)}}\left(1+\frac{tt\,vv}{1+vv}\right)^{\frac{m+1}{2}} : \int\frac{v^{m-1}\,dv}{\sqrt{(1+vv)}}$$

posito post integrationem $v = \infty$, hæcque expressio nullo laborat incommodo, dummodo sit $m < 1$. simulque $m > 0$. Simili modo si ponatur $\nu = m$; $\alpha = m+1$, & $\mu = \frac{1}{2}$ fiet

$\frac{V}{t} = \frac{Q}{B}$, ideoque erit

$$V = t\int\frac{v^{m}\,dv}{(1+vv)^{\frac{1}{2}}}\left(1+\frac{tt\,vv}{1+vv}\right)^{\frac{m}{2}} : \int\frac{v^{m}\,dv}{(1+vv)^{\frac{1}{2}}}.$$

posito post integrationem $v = \infty$; hocque valet, si $m$ contineatur intra limites $2$ & $0$.

44. Cum

44. Cum igitur ex æquatione $(1+tt)\,ddz = m\,(m+1)\,z\,dt^2$ fit $z = fT + gV$, habebitur, loco $T$ & $V$ valores inventos substituendo, verus valor pro $z$ in $t$ expressus, unde porro reperietur $y = \frac{a\,dz}{z\,dt}$ & $x = \frac{a\,t\,dz}{z\,dt}$; sicque curva quæsita construetur. Quod autem $m$ unitate minus esse debeat, solutioni non admodum nocet, quoniam, uti in æquatione *Riccatiana* usu venit, ex casibus his, quibus $m < 1$ reliqui omnes deduci possunt.

## *Problematis Constructio generalis mechanica.*

45. Etsi Problemati proposito abunde equidem satisfecisse mihi videor; tamen, quia posterior classis curvarum transcendentium ex calculo vix ac ne vix quidem cognosci potest, coronidis loco hic adjiciam constructionem generalem omnium curvarum, Problema resolventium, quæ, etsi est mechanica, a motu quippe tractorio petita, tamen ad delineationem curvarum quæsitarum ingens subsidium afferet.

TAB. II Fig. 1 & 5. 46. Construatur primum curva $acb$ super axe $cp$ hac lege, ut, posito angulo $ADM = \varphi$, capiatur abscissa $cp = -2\,c\,l$ tag $\frac{1}{2}\varphi$, & applicata $pm = -a\,l$ sin $\varphi$. Ubi notandum est, logarithmos tangentis anguli $\frac{1}{2}\varphi$, & sinus anguli $\varphi$, sumi debere hyperbolicos. Unde, si vulgares tabulas adhibere velimus, a logarithmis in tabula exstantibus subtrahi debet logarithmus sinus totius, atque logarithmus residuus multiplicari per numerum constantem 2, 302585093. Qui numerus si vocetur $= n$, erit tabulas vulgares usurpando $cp = 2\,n\,c$ (*log.* sin. tot. – *log.* tag $\frac{1}{2}\varphi$) & $pm = n\,a$ (*log.* sin. tot. – *log.* sin. $\varphi$).

47. Postquam curva $acb$ hoc modo erit descripta, sumatur filum longitudinis $CD = a$, ejusque alter terminus $m$ secundum ductum curvæ $acb$ ita promoveatur, ut alter terminus $n$ describat curvam tractoriam $fneg$, quod infinitis modis fieri potest; ab arbitrio enim nostro pendet, ubi filo positionem ad curvam normalem tribuere velimus. Quin etiam tractoria ad convexam curvæ $acb$ partem describi potest.

48. His factis, pro angulo $ADM = \varphi$ pro lubitu assumto capiatur curvæ $acb$ punctum $m$ ex hoc angulo $\varphi$ natum, ex quo ducatur tractoriæ tangens $mn$, eaque producta in $q$, bisecetur angulus $pmq$, sitque semissis $= \psi$. Tum erit recta $DM = c$ tag $\psi$; seu fiat ut sinus totus ad tangentem anguli $pmr = \psi$, ita recta constans $c$ ad rectam $DM$. Pro quovis ergo angulo $ADM$ hoc modo invenitur linea $DM$, sicque curvæ quæsitæ $AMB$ singula puncta $M$ assignabuntur.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Junii Anno MDCCXLIV.*

*Pars II.*


---

## HISTOIRE GENERALE DE PORTUGAL, etc.

id est,

## *HISTORIA PORTUGALLIÆ GENERAlis, concinnata studio & opera Domini DE LA CLEDE.*

*Tomi VIII.*

Parisiis, apud Theodorum Crassum, 1735, 12.

Alph. 7 plag. 19.

Magnum opus aggressus est Autor, complexus continuis *octo Voluminibus* omnem Portugalliæ historiam. *Tomo primo* exposuit originem, mores, & bella Lusitanorum priscorum, statum eorum sub Romano imperio Gothisque, & invasione, a Mauris tolerata. *Tomo secundo* edisseruit originem regni, in Lusitania fundati, vitasque Regum primorum usque ad *Ferdinandum*. *Tomus tertius* complectitur interregnum aliquot annorum, vitas *Joannis I*, *Eduardi*, *Alphonsi V*, & initia regni *Joannis II*. *Quartus* continet reliqua *Joannis II*, vitam *Emanuelis*, ac *Joannis III* acta priora. *Quintus* exhibet reliqua *Joannis* eiusdem, vitasque Regum, *Sebastiani*, Cardinalis *Henrici*, nec non *Philippi II*, qui Lusitaniam Hispaniæ adjecit. *Sextus* continet res in India gestas, dum regno præfuerunt *Sebastianus*, *Henricus*, *Philippus II*, & *Philippus*

*lippus III.* *Septimus* complectitur *Philippi IV* regnum, & Lusitanorum ab eo secessionem, nec non vitam *Joannis IV*, Bragantini, ipsumque bellum, quod *Philippus IV* cum Lusitanis, suo Rege novo gaudentibus, gessit. Ultimo, seu *octavo*, offerunt sese vitæ *Alphonsi VI*, *Petri*que, & nonnihil regni, quod potentissimus Rex *Joannes V* adhuc summa cum gloria tuetur. Tabulis tribus geographicis expressæ conspiciuntur regiones, quæ Regi Portugallorum parent. Prima exhibet Lusitaniam veterem, secunda novam, tertia Brasiliam. *Tomis* singulis sui subjuncti fuerunt Indices. In Præfatione Autor evolvit instituti rationem, ratus, ante hanc pertractationem nondum penes Gallos exstitisse de Portugallia consimile historiæ, Gallice conscriptæ, monumentum. Opinatur præterea, Regum Lusitaniæ stirpem ad progeniem Capetingicam referri debere. Meminit historiæ Portugallicæ, quam *Le Quien de la Neufville* A. 1700 Parisiis Volumine uno & altero in forma, quam vocant quartam, edidit. Nec tamen dicere omittit, eam ad annum 1521 tantum decurrere; in illa suppressas esse maximas res, earumque eventus. Nostrum est, aperte profiteri, recentissimæ huic historiæ pretii statuendum esse plurimum. Nihil enim in ea prætermissum fuit, quod ad Lusitaniæ notitiam, tumultus intestinos, gesta Regum, eorumque cum exteris commercia, spectat. In fabulis, quibuscum origines Lusitanorum conflictantur, operam haud perdidit suam. Latinorum scriptores ipse secutus fuit, ut certiora antiquitatis Lusitanicæ præsidia enarraret. *Viriati* fortitudinem collaudat. *Sertorium* admiratur. *Julii Cæsaris* ac Imperatorum Romanorum gesta Lusitanica nitide commemorat. Vandalos, Seculo V Bæticam occupantes, propius considerat. De Suevis ac Alanis commentatur solide. De Visigothis disserit copiose. De rebus Saracenorum Lusitanicis exponit ex Christianorum annalibus. Mallemus, eæ recenserentur simul ex iis, quos Saraceni in Hispania de factis fatisque suis conscripserunt, libris. Ut genealogiam *Henrici*, Comitis Portugalliæ, qui A. 1073 *Theresiam*, *Alphonsi*, Castellensium Regis, uxorem, duxit, firmet, ipse *Volumine V* ad MStum Abbatiæ Floriacensis, a *Petro*

*Pithæo*

*Pithœo* editum, provocat, idque genuinum esse arbitratur. In eo enim significatur, *Roberti I*, Ducis Burgundiæ, ex filio *Henrico* nepotem, *Henricum*, satorem fuisse Regum Portugalliæ, Comitemque & dominum primum. *Robertus* autem ille fuit *Henrici*, primi Regis Franciæ, frater natu minor, filius Regis *Roberti*, & nepos *Hugonis Capeti*, maritus *Hermengardæ*. *Alphonsus*, Rex Legionis & Castellæ, A. 1073 *Henricum* renuntiavit Comitem terræ, ad oppidum *Porto* sitæ, quod *Henricus* hic instauravit. Ex opposito Porti hujus in altera fluminis parte eminet locus *Cale*. Ex utriusque loci conjunctione Cel. Autor appellationem Portugalliæ deduxit. *Sanctii II* vicem dolet, improbatque homines ecclesiasticos seditiosos, quorum ad *Innocentium IV* delatione Rex a communione fidelium Christi ejectus, & paullo post a solio deturbatus fuit. *Alphonsus III*, quem sacrifici *Sanctio II* subornarunt & substituerunt, uxores duas simul habuit in toro, nec formulas proscriptionis ecclesiasticæ, quas Papa *Gregorius X* eo nomine in eum evibravit, quidquam habuit pensi. Molitiones Papæ in filium *Dionysii*, *Alphonsum IV*, Autor minus probat. Amores *Eleonoræ* Reginæ cum *Andeiro*, regno perniciosos, luculente describit. Ut summatim dicamus, quod res ipsa videtur postulare, Autor in eo fuit totus, ut præstantissimos quosque scriptores in præsidium adhiberet, licet sententias testimoniis scriptorum haud dederit comprobatas. Stilo usus est terso, limpido, puro, venusto, nativo. Hausit sua ex libris, quos indicabimus. Laudat historiam, cui titulus: *Histoire des Conquêtes des Portugais dans les Indes par le R. P.* l'Affiteau. *A Paris, 1734, 4, 2 Voll.* Judicium facit de *Mariana*, optans, ut is minutias omisisset, majoremque inter scribendum demonstrasset accurationem. In *Faria* notat ostentatoriam tractationis rationem, ac inopiam judicii, quod heroes ultra sortem hominum evexit, ac originem invitamentorum, quibus debentur actionum initia & progressus, neglexit. *Brandam*, & eius continuator, exposuerunt gesta Lusitanica, quæ evenerunt regnantibus *Philippo II, III*, & *IV*. *Birago* eandem telam texuit. Uterque Italico sermone usus

 fuit.

Digitized by Google

fuit. Notat in utroque Autor tumidum ſcribendi genus, rebus minoris momenti æque ac gravioribus applicatum. Subjungit hæc tandem: *Brandam ſtudet ſimplicitati, ac inde eſt aridus, ſimilior novellarum ſcriptori, quam hiſtorico; Birago excelluit majori ingenio. Stilus ejus eſt firmior. Meditationes ejus ſunt vividæ & ingenioſæ. Pingit, uſui inſervit, notitia pleniori inſtructus fuit, quam Brandam, protrahit melius cauſas, easque detegit, quibus inſiſtunt ea, quæ expoſuit, eventa.* Luſitanus, loci haud obſcuri homo, edidit librum, qui inſcribitur: *Portugallo reſtorado.* Autor ipſe fuit *Ludovicus de Meneſes*, Comes Ericceiræ. Ediſſeruit hic cauſas, progreſſus, & eventa viciſſitudinis politicæ, cujus interventu Luſitani ſeſe ab Hiſpanorum ditione vindicarunt. Subſtitit in pace, quam Hiſpani A. 1668 cum Luſitanis ſancire coacti ſunt. Magis iſte ſui temporis, quam poſteritatis, habuit rationem. Comes *d'Allegrette* vitam *Joannis II* diverſa prorſus ratione adornavit venuſte, & compoſite, & Latine, quam Noſter pæne univerſam ſuo Operi inſeruit. *Barros* vixit ævo primarum Luſitanicarum in Aſiam expeditionum. Jeſuita *du Jarri* plura attigit in Hiſtoria ſua orientali. Ex hiſce fontibus Noſter arva ſua rigavit, ubique ſibi conſtans, & Opere ſuo id aſſecutus faſtigium, ut plurimis in poſterum Pharon quendam ſit oſtentaturus.

## HISTOIRE DU CIEL, CONSIDERE' SELON les idées des Poetes, des Philoſophes, & de Moiſe, etc.

id eſt,

## *HISTORIA COELI SECUNDUM COGITATA Poetarum, Philoſophorum, & Moſis, in qua oſtenditur origo cœli poetica, contemtio Philoſophorum ſuper creatione cœli atque telluris, & convenientia experientiæ cum ſola Moſis Phyſica.*

## *Tomi II.*

Pariſiis, apud viduam Eſtienne, 1739, 12.

Tom. I pl. 19, Tom. II pl. 19 ½

Hiſtoria

Historia hæc cœli haud exponit decursum eventuum physicorum, quos exhibent vastissima cœli spatia. Ipsa potius exhibet syllogen & investigationem sententiarum, quibus majores nostri de origine cœli, ejusque ad terram habitudine, commentati fuerunt, dummodo eæ a gentibus moratioribus profectæ, & cum quadam verisimilitudine conjunctæ sint. Ægyptii, Phœnices, Græci, ac Romani vetustissimi, fabulis cogitata sua involverunt. Ut in originem earum sese insinuet, easque refellat, lacertos diligentissime movet. Tum vero ad *Gassendistas* & *Cartesianos* progreditur, ratus, horum conata, cosmogoniæ expediendæ affixa, vana esse & irrita, nec solum ab experientia quotidiana, sed etiam per historiam *Mosis*, hexaemeri indicem, everti. *Mosis* illam historiam vulgi captui fuisse conformatam, haud minus negat, quam, leges motus cœlestis dari, largitur. Id vero pernegat, ex legibus istis creationem universi hujus esse explicabilem, vel unica impressione, divinitus profecta, mundum omnem perfectione sua fuisse donatum, contendens, experientiam luculentissimam commemorationi *Mosis* omnino favere. Tractationem suam Cel. Autor in *Libros quatuor* distribuit. *Primum* appellavit *cælum poeticum*. *Secundo* nomen *mundi Philosophorum* inscripsit. *Tertio* nomen est *Physicæ Mosis*. *Quartum* vocavit *complexum corollariorum*, *ex historia cæli profluentium*. In *Libro primo* investigavit nomina, & eas expendit appellationes atque originationes, quibus stellas ac planetas antiquissimis seculis homines insigniverunt. Nec dicere omisit de progressu cultus religiosi, monstrorum pleni, ac de erroribus, quibus nominum illorum usus orbem complevit, admodum funestis. Mythologiæ magna pars hic recoli, vel addisci, potest. Reliqua pertinent magis ad Philosophiam. Physicam æque ac literas divinitus patefactas credit ipse a scientiæ forma abhorrere, siquidem nil ex utraque illa notitia nobis constet, præterquum quod, existere eam, usibusque nostris inservire, comprehendamus. Unum ac alterum specimen specialius cum Lectore ex hoc Opusculo, age, communicemus. Singularis est illa sententia, **Tom. I pag. 3.**

 quam

Digitized by Google

quam Autor ita enuntiavit: *Prima mali origo, fons idololatriæ genuinus omnisque superstitionis, est abusus linguæ astronomicæ, ac figurarum scripturæ veteris, cui occasionem suppeditavit cupiditas cæca, & bonorum telluris amor præposterus.* Consuetudines fuerunt scilicet quædam communes utrisque, tum Ebræis, tum gentibus, ad commentitios Deos prolapsis. Qui originem earum investigant, vel a Patriarchis singulas repetunt, vel, Ebræis illas a gentibus traditas fuisse, decernunt. Monet Noster, eas ex communi fonte, ex familia
Pag. 8. *Noachi*, emanasse. Patres certe sepelierunt corpora defuncta, antequam Ægyptum salutarant. *Noachus* jam bestias immo-
10. lavit, priusquam Ægyptus obtinuisset incolas. Novilunii festa repetit Noster ex eo, quod primi mortales sacra sua phasibus Lunæ attemperarint. Hæc origo universalis ritus. *Macrobius Saturnal. I, 17*, indicavit originem cancri & capricorni in cœlo. Ex hoc testimonio Autor pervenit ad originem in-
12. venti zodiaci. Animadverterunt scilicet mortales similitudinem, quæ intercedit inter naturam quorundam animalium et inter rationem curriculi solaris. Arietis signum aperit veris initia, eo, quod eo tempore agni proveniunt & pariuntur. Paullo post vituli in Oriente nascuntur quamplurimi. Hinc
14. *Tauri* signum. Loco geminorum veteres adhibuerunt duos hædos. Hædorum enim ibi proventus est serior, & plerumque ipsi gignuntur bini. *Leo* est signum solis, vehementius ardentis. *Virgo*, spicas præferens, notat messem. *Erigone* ei nomen, quod Noster deducit ex ארגונא *Dan. V, 7*, id est, *colore rubro*, nam *rubicunda Ceres medio succiditur æstu.* *Scorpius* designat morbos autumnales. *Sagittarius* notat tempus venandi. *Aquarius* significat pluviam hiemalem. *Pisces* notant
17. tempus piscandi. Conjectat porro idem, ab Ægyptiis zodiacum non fuisse inventum, suspicatus magis, in campo Sennear id inventum cœpisse. Hinc Autor conjicit, scriptionis symbolicæ in zodiaco invento originem latere, immo pingendi
20. initia inde esse deducenda. Credit ipse, solis curriculum ante diluvium fuisse singulis anni diebus utique idem. Festa *baccoth*, seu *Bacchanalia*, putat dici ex בכות, *flendo*, eo, quod mortales post

Digitized by Google

post diluvium publice fleverint miseriam terræ & bestiarum furorem, in quibus occidendis ipsi fuerint diligentissimi ac solertes. Ignem & lucem fuisse symbolum divinitatis priscum, Pag. 23.
addit ipse. Persæ, Græci, & Romani, ac Ebræi, ignem aluerunt perpetuum, eumque sacrum. Idem existimat, nomina 24.
*Noachidarum* non fuisse sacris literis consignata propria, sed potius a superstitibus inventa ad indolem & factorum memoriam ab oblivione vindicandam. Ignem perpetuum, in templis Pontificiorum ardentem, repetiit ex prisco symbolo gentium ac Ebræorum. Ægyptium virum *Thot* signa zodiaci in 27.
scripturæ symbolicæ invento imitatum fuisse, sibi persuadet, ratus, eum videri nunquam exstitisse, sed caniculam esse, sidus cœleste, ad cuius motum Ægyptii festa instituerint sua. Ægyptios in memoriam resurrectionis mortuorum observanter tractasse mortua hominum corpora, arbitratur, miratus, signa cœlestia in monumentis Ægypti sepulcralibus inveniri. Negat, ibi inventum fuisse zodiacum, eo, quod 30.
messis Ægyptiorum non incidit in signum Virginis. Qua ratione Ægyptii caniculam suspicere cœperint veluti monitricem suam, operose it demonstratum. Addit, stellam hanc no- 37.
men obtinuisse Sirii ex *Schihhor*, nomine Nili. Vocem *labyrinthi* deducit ex בירנתא, *Biranta*, id est, turri. Symbolorum Ægypti origines investigat. *Aves* inserviisse deter- 42.
minando ventorum significatui, sibi persuadet, ratus, inde vento tribui *alas Ps. XVIII, 11, CIII, 3.* Accipitrem habet pro aquilonis symbolo, eo, quod in austrum certa tempestate avolat. Testem laudat Deum *Job. XXXIX, 29.* Upupam pro symbolo 45.
austri reputat. Sphynx ei est nota Nili exuberantis, dicta ex שפע, *abundantia.* Crucis signum credit denotasse Nili incrementum. *Canobus* ipsi est symbolum abundantis Nili, dictus 52.
quasi קנה איב, *calamus inimici*, id est, mensura exuberantis Nili. Circulus, seu Sol, hoc judice, fuit symbolum Dei, qui omnia animat. *Serpens* durabilitatis fuit nota, ac verbum חַיָּה 57.
designavit vitam æque ac serpentem, teste *Clemente Alexandrino.* Ficus Adami, seu Musa, signum fuit fœcunditatis, Scarabæus vicissitudinis. Sol dictus *Osiris*, quasi אוֹרֵחַ אֶרֶץ, *domi-*

*nus*

Pag. 61. *nus terræ.* Lothus temporis matutini ac vespertini symbolum præbuit. *Osiris*, vectatus equo alato, nota fuit, hoc judice, navigationis. Osiris, tridente armatus, symbolum exstitit *copiæ*
64. *in ora maritima*, quasi פרש ירים, inde dictus *Poseidon*. *Isida* credit dictam ex אִשָּׁה, symbolumque fuisse anni civilis. Anni affluentissimi symbolum fuit Isis, multis mammis prædita;
69. pauperioris nota fuit Isis, sinum ostentans. *Horus*, *Isidis* filius, nota fuit laboris annui. Indolem anni designarunt ornamenta, *Isidi* addita. *Luna* corniculans nota fuit neomeniæ.
72. Nomen *Horus* congruit verbo חרש, agriculturæ indici. Caput humanum est Hori symbolum, quippe mentis sedes. Nonnunquam ei serpens jungitur. Vitæ enim conservationem
76. homines in acceptis referunt labori. *Harpocrates* politicum vivendi genus designat, licet *Cupero* videatur *Harpocrates* solis esse symbolum. Sic Noster rationes suas putat, nomen *Harpocratis* deducens ex רפואה & קרתא, quasi *curationem ur-*
96. *bis* notantis. Romani eum vocarunt *Angeronam*, quasi הַגֹּרֶן, *granarium*, grange. Terræ axem per diluvium esse mutatum, sibi Autor persuadet *pag. 101*, provocans ad *2 Pet. III, 7*.
105. Nomina gigantum, quibuscum *Osiris* depugnavit, ex lingua Hebræa arcessit. Orgia putat denominata ex ערוה, *pudendis*,
110. & symbolum esse infœcunditatis Ægypti. Ex ea credit exortam vannum mysticam. Clamores, in Orgiis tritos, ex lingua Hebræa derivare contendit. Animantia viva passim in Ægypto culta reputat pro zodiaci symbolis. Lacum Acharusiam credit
116. appellatam ex אחרי איש, *ultimis hominis.* Addit Ægyptiorum cerimonias funerales. Cerberi nomen deducit ex קרי בור, *vociferatione fossæ.* Tum vero ad *Caput* progreditur *secun-*
122. *dum*, quo de theogonia exponit. *Cadmum* elementa litterarum alphabetaria invenisse, tradit, a Sinensibus repudiata, ab Ægyptiis suscepta hoc pacto, ut scriptura hieroglyphica sacris
131. usibus posthæc inserviret. Successu temporis Ægyptios confudisse symbola, monet, addens, ipsos convertisse personas symbolicas in regionis historiam politicam, & hac ratione
145. condidisse theogoniam. Ex *Mene*, Rege Ægypti, temporis annui distributore, deducit vocabula μήνη (*luna*), mensis, menades,

nades, mania, almanach. *Lilith* & *Isis*, ipsius ex judicio, haud differunt. *Artemis* dicitur, hoc judice, quasi חרטמאישה, *sapiens mulier*. *Cybelen* ab *Iside* haud discernit. *Atys* ipsi est Pag. 171.
idem ac *Osiris*. In *Venere Urania*, *Illithyia*, seu *Mylitta*,
denuo *Isidem* latere arbitratur. *Athenam*, seu *Minervam*, putat 175.
obtinuisse nomen ex אטונה, *linteo Ægyptiaco* (*Prov. VII, 16*).
*Dagon* ipsi est, *Eusebio* praeeunte, heros inventor frumenti ac 191.
aratri, seu *Jupiter arotrius*. Quamobrem, *Derceton*, seu *Atergatida*, a *Dagone* differre, judicat. *Coribantum* denominationem deducit ex קרבן, *ferto*, *oblato*. Nomina *Bacchi* 199.
ex sermone Hebraeo arcessit. Omittimus reliqua, sic instructa & comparata, ut ex Ægypto Ven. Autor petat omnem mythologiam, aliamque viam, ac *Furmontius* & *Banierius* instituerunt, deligere sibi malit. *Lycum*, seu *Lupum*, ab Ægyptiis 346.
cultum, habet pro symbolo anni, cujus partes sibi continenter succedunt eadem ratione, qua lupus lupum sequitur prope fluvium, siquidem secundus dicitur mordere caudam primi, tertius secundi, ac sic porro. Graeci certe ex hoc symbolo videntur annum vocasse *Lycobanta*, id est, incessum lupi. Ratio- 348.
nem, cur Ebraeis interdictum sit, ne sculpat imagines, Autor hanc reddit, ut moneat, Ægyptios ex hieroglyphicis sculpturis ac imaginibus progressos esse ad idololatriam quandam. Ægyptii bovem adorarunt. At *Salomo* boves 12 subjecit mari aheneo, usuique satis vulgari adhibuit. *Mosis* certe aevo jam Ægyptii coeperant venerari taurum, arietem, & ovem, animantia, quae Hebraei consueverant immolare, *Exod. VIII*. Arietem Ægyptii coluerunt, cum *Moses* jussit Hebraeos, Ægypto egressuros, agnum caedere paschalem. Qui *Horis*, seu *Horo*, im- 352.
molabant victimas, carnes non assatas, sed coctas, apposuere. At Israelitae jussi fuerunt carnes agni illius non coctas, sed frixas, edere.
*Osirin* credit fuisse autorem boni existimatum, haud secus ac 356.
*Phyton*, seu *Typhon*, fuerit reputatus pro mali & moralis & physici autore. Et ex hoc quidem fonte Ven. Autor repetit originem duorum principiorum, quorum doctrinam Persas ab Ægyptiis accepisse, sibi persuasit. *Phyton* & בֶּתֶן, *draco*, ipsi est unum illud principium malum. Ægyptios convertisse putat

vocem *Phyton* in *Typhon*, cuius ſymbolum fuerit initialis litera T, ſeu crux, quæ in ſymbolum amuleti, ſeu amolimenti ma-
Pag. 360. lorum, traditur ceſſiſſe. Crediderunt Ægyptii, heroas ſuos fuiſſe mortuos, animas vero eorum in aere lucere, & eſſe aſtra, teſte *Plutarcho.* Hæc ſententia, initio ſatis toleranda, videtur fuiſſe origo Polytheiſmi, a *Trismegiſto* invecti. Abuſus vero linguæ hieroglyphicæ inprimis hoc malum videtur excluſiſſe. In Eleuſiniis remanſiſſe aliquid ex prima patriarchali religione, contendit Noſter, adductus loco *Ciceronis de Legibus Lib. I.* Deos Deasque Ægypti ipſe duabus tabulis æri incidendas curavit, addito loto, ſceptroque non unius generis.
Tom. II. Reſtat, ut de argumento *Tomi poſterioris* æque nonnihil exponamus. Aperit ſcenam *Caput tertium, de divinatione* inſcriptum. Originem ejus ex eo deducit, quod Ægyptii aliæque gentes figuras interpretatæ ſunt ſenſu literali, easque eventuum futurorum eſſe indices, ſibi perſuaſerunt. Exordium ducit
Pag. 7. ab auguriis, quæ eſſe vana & irrita, *Cicero* ſatis declaravit, licet ſecus contenderit ſentire. Auſpiciorum originem ex Æ-
11. gyptiorum hieroglyphicis perperam intellectis deducit. Quanta lunæ attributa fuerit in res telluris efficacia, addit, ratus, opiniones haſce ex hieroglyphicis *Iſidis*, aut *Junonis*, originem traxiſſe. Aruſpicinam, ſeu divinationem, ex viſceribus & extis captam, ediſſerit. Attingit divinationem, per ſerpentes inſtitutam, qui olim vitæ ac ſanitatis ſymbolum fue-
19. rant, ἀλεκτρυομαντείαν, πυρομαντείαν, & βοτανομαντείαν, e. g. per lothum, colcham, perſeam, aliasque plantas. Diſſe-
24. rit de incantationibus carminibusque magicis, de Aſtrologiæ originibus & vanitate, de planetarum vi imaginaria, ac de origine hebdomadis. Hanc non ab Ægyptiis ad Hebræos, ſed ab his ad illos, perveniſſe, contendit, cauſatus, ſimpliciora doctrinarum elementa fuiſſe priora implicatis & variegatis ſuperſtitionum viciſſitudinibus. Hebdomadis certe uſus exſti-
39. tit, antequam nomina planetarum increbuerunt. Romani ſervarunt primi ſingulis menſibus tres duntaxat dies feriatos, Calendas, Nonas, & Idus. Athenienſes, qui annum acceperant ab Ægyptiis, ante *Methonem* ignorarunt hebdomada dierum

dierum, distributis mensibus in tres partes, initium, medium, Pag. 42.
& finem, seu tres decadas. *Osirin* esse *Marnan*, *Baal*, *Molochum*, & Græcorum *Jovem*, Autor tradit, addens, *Mercurium*, seu *Markol*, esse *Caniculam*, seu *Anubin* Ægypti. Tum vero dicere aggreditur de erronea de Sibyllis opinione, ejusque origine. Sibyllam habet pro virgine, messis symbolo, dicta ex שבלת, *spica*, cui nomen fuerit Erigone & Erythra, id est, *rubra*. 48.
Postea ipsi res est cum origine & efficacia talismanum, id est, צלמים, *imaginum*, quarum color & metallum stellis certis congruere existimatum; cum influxibus climactericis, a septenario planetarum numero suspensis; cum origi- 54.
nibus Alchimiæ, ad eundem numerum exactis; & cum Deorum evocationibus, seu necromantia, manium consultatione, ac opinione, quæ dictitaverat, manes potare victimarum cruorem, ac, ense educto, disjici posse. Hinc Autor progreditur ad 74.
cosmogoniam, seu formationem cœli ac telluris, secundum Philosophorum consulta consideratam. Tractationem inchoat 79.
a chao, a statu tenebrarum & confusionis, quem Philosophi nunc silentium, nunc noctem, nunc hylen, vocarunt. Artem alchimicam perlustrat, &, eam sibi haud ignotam esse, ostendit. Immortalitatem, vel potius perennitatem, cujusque metalli stabilit, negatque, ex uno metallo fieri posse alterum. Narrat, prope Parisios officinam fuisse adornatam, in qua fieri perhibitum sit æs cyprium ex ferro. Magistri adhibuerunt 98.
aquam vitriolicam, ac in ea fecerunt ferrum disparere, siquidem vitriolo cæruleo potest ferrum dissolvi. Dissolvitur hac arte ferrum, ac ne hilum quidem ejus interit. Inventor, fraude prodita, argentum, promissis callide comparatum, abstulit, fugaque periculo evasit. Eadem fraude utuntur ii, qui auri profitentur ex aliis metallis productionem. Ferrum, ex argilla, per oleum lini ac ignem flammantem, productum, non fieri ea arte, sed jam latuisse in argilla, non solum *Lemeri*, sed etiam *Geoffroi*, uterque Academicus Francicus, dederunt comprobatum. 100.
Argumenta & experimenta, quibus metallurgi, transmutationis metallorum ostentatores ac venditatores, se vulgo ostentant, Autor solide dissolvit. Aurum in vitrum ita dissolvi posse, ut desinat 105.



Digitized by Google

Pag. 108. esse aurum, solide negat. Antimonium præparatum fieri
posse, quidem regulum, affirmat; negat vero, regem inde
118. fieri posse. Non vacat cum ipso principia compositionum satis compertarum investigare, licet operæ pretium fuerit, nosse argumenta, quibus præmunitus is ipse, ignem destrui haud posse, aerem haud convelli, nec a statu suo dejici, posse, nec
147. aquam in naturæ suæ finem cogi posse, decernit. Olei corpus ab homine destrui posse, idem largitur; produci posse ab integro, negat. Sal ab homine destrui posse, æque negat. Deinde materiam Philosophorum Græcorum primam perlustrat. Mundum *Aristotelis*, ac Peripateticorum elementa, discutit, mundum *Epicuri* recenset, eique mundum *Gassendianum* adjungit.
214. Nec omittit cosmogoniam *Cartesianam* & *Newtonianam*. De Physica *Newtoni* judicium suum subjungit. Tandem exponit Physicam *Mosis*, ac ei corollaria lance satura admetitur.

LA SCIENCE DES ME'DAILLES, &c.

id est,

*NOTITIA REI NUMARIÆ. EDITIO NOVA, cum animadversionibus historico-criticis.*

*Tomi II.*

Lutetiæ Parisiorum, apud Bureum, seniorem, 1739, 12 maj.

Alph. 1 plag. 17, cum aliquot Fig. æn.

Simul ac doctissimorum hominum opera bonis artibus nova lux affulgeret, nemo tam inficetus, &, prope diceremus, a veri studio, omnique humanitate, alienus fuit, quin, maximam numorum ad omne literarum genus vim esse, intelligeret. Quanquam enim serius aliquando hæc studia amari cœperunt, mirarique nos oportet, quare, cum Seculo XV & XVI exquisitissimæ doctrinæ viri exstiterint, nullaque esset artis disciplina, quam illi, non dicimus, assecuti sint, sed ingenii sui divitiis, nostri seculi paupertatem mirabiliter superantibus, locupletarint, numo-

Digitized by Google

numorum rationem prope nullam habuerint; nihilo minus tamen his antiquorum monumentis idem accidisse novimus, quod in rebus humanis utcunque fieri quotidie comperimus, ut, si quem gravem & probum nanciscantur homines autorem, reliqui, velut signo aliquo dato, tanquam milites gregarii, ducem suum comitentur. Postea enim, quam docti viri, *Æneas Vicus*, *Hubertus Goltzius*, &, qui omnium primus vim potestatemque numorum probabiliter nos docuit, *Anton. Augustinus*, numos ita congessere, ut cum venustate & elegantia operis studium in lectore excitaretur, dici non potest, quam cupide multi has vetustatis reliquias exceperint, laudabilique contentione plures conquisiverint. Nostrum jam non est, de artis numariæ fatis plura commemorare, quoniam cum alienam ab hoc loco disputationem esse censemus, tum hanc ipsam quæstionem *Bandurius*, & alii, ejus similes, ita tradiderunt, ut pertractata omnibus videri posset. Attamen cum numorum antiquorum supellectile crevit quoque falsariorum numerus, qui, ut deciperent bonos antiquitatis cultores, fundendo omnis generis metalla, turpissima imitandi ratione spurios expresserunt typos, totque artes excogitarunt, quemadmodum solent homines auri sacra fame correpti, ut, quis antiquæ, quis recentioris, esset fabricæ numus, haud raro difficulter cognosceretur. Quod malum ne latius serperet, providerunt sapienter viri docti, eorumque inprimis studia honestissimis præceptionibus adjutum iverunt, qui propter artis antiquariæ ignorationem facillime labi poterant. Eam ob rem maximas omnino gratias *Patino*, &, qui majori cura in eodem argumento versatus est, *Claud. Joberto*, debemus, quorum uterque, ne fallacibus & adulterinis improborum hominum mercibus deciperemur, diligentissime providit. Neminem confidimus assentationis nos vitii accusaturum esse, si dixerimus, doctissimum *Jobertum* non tantum via & ratione rem numariam explicuisse, sed abstrusas quoque falsariorum artes laudabiliter detexisse. Id profecto effecit, ut libellus ille *Jobertianus* a doctis & indoctis avidissime legeretur, & post primam editionem, Lutetiæ A. 1693, 12, factam, cujus imaginem qualicunque penicillo in his ipsis *Actis*



Digitized by Google

*A. 1694 Menſ. Maj. pag. 214* adumbravimus, idem liber denuo Amſtelodami A. 1717, animadverſionibus novis ditatus, in lucem prodiret. Ex eo tempore nemo certe erat rerum antiquarum paulo curioſior, qui ſine hoc comite ſacris Deæ Monetæ initiari ſe pateretur, nemo, qui, ſine hujus magiſtri ope numorum varietatem, præſtantiam, utilitatem, genera, raritatem, vultus, notas, titulos, & ænigmata, intelligere ſe poſſe, crederet, nemo tandem, qui, ſine hoc provido monitore fraudes Pſeudomonetariorum eludere, aut in hoc tortuoſo itinere obſeſſorum inſidiis liberari ſe poſſe, opinaretur. Neque id injuria. Profuderat enim in iſto libello *Jobertus* omnia, de quibus *Urſini*, *Auguſtini*, *Budæi*, *Savoti*, *Stradæ*, *Morellii*, *Valentis*, *Spanhemii*, *Harduini*, & quorum non? volumina impleta erant. Omnium enim ingeniorum libros, quibus & deſcriptionem artis, & numorum ex omni ære uberrimam congeriem, orbis eruditus debet, ſuo quoſque loco & tempore enarrari, quis in hac dicendorum copia deſideret? Hoc ſaltem dixiſſe juvat, quicquid bonæ frugis fertiliſſima ante eum ingenia ediderunt, id omne propemodum in *Joberti* libellum, tanquam horreum, commigraſſe, quo certe nihil vel ad laudem abſolutius, vel ad deſtinationem operis conducibilius, eſſe putamus. Sed ſuos quiſque patimur manes. Ita enim nos humana ſive ſors, ſive ratio, finxit, ut, etiamſi veri dulcedine trahamur omnes, ſæpe tamen vel ad amicorum, vel ſodalitatis, quam neceſſitudinis quadam lege reveremur, effata, tanquam ad ſcopulum, adhæreſceremus. Tali quoque errore *Jobertus* imprudens rapiebatur, cum, in explicandis numorum veterum ſive ſymbolis, ſive notis, neminem *Harduino* acutiorem eſſe, profiteretur, eique, ut leniſſime dicamus, in plurimis veterum monumentorum interpretationibus παραδοξολογοῦντι, aſſenſum præberet. Verum id cum libere dicimus, ut par eſt, quod ſentimus, tantum abeſt, ut *Jobertum* fraudare debita laude conemur, ut potius, nullum *Jobertiani* ingenii ſpecimine neque tironum ingenio aptiorem, neque argumento illo digniorem, nos vidiſſe libellum, ingenue contendamus. Sed, quo magis hoc Opuſculum omnibus rerum antiquarum intelligentibus ſe probavit, eo acceptius pulchri-

pulchriusque debet nunc venerum antiquarum cultoribus videri, cum & splendidiori veste ornatum, & a maculis, quas sive ἀπαιδευσία, sive animi morbus quidam, corpori alioquin satis venusto intulit, liberatum prodeat, quod profecto nemini mirum accidere potest. Incidit enim in manus ingeniosissimi artificis, de quarum solertia arguti operis elegantia abunde testatur; quamobrem plane dicendum est, hac opella novum Editorem exspectationem nostram, quanquam ejus dignam studiis & doctrina, vicisse. Est is doctissimus *Josephus de Bimard la Bastie*, Baro montis Seleuci, quem qui non novit, literas Græcas Latinasque parum nosse videtur, utpote quas ille e Gallia propemodum fugientes cum paucissimis tuitus est, & non diu ante obitum suum eruditissimis Dissertationibus, novo Inscriptionum thesauro, quem *Muratorius* congessit, illatis, luculenter ornavit. Hunc esse operis emaculati autorem, non fama tantum, sed ipsa ejus confessione, edocemur. Ait enim: *Titulus de Athleta victore, in ludis Nemeis citato, quem Latine nuper explicavi in Thesauro novo Inscriptionum, neutiquam antiquitate cedit numo Gelonis.* Pag. 23. Lætamur igitur, Virum doctissimum id non tantum negotii sibi dedisse, ut libellum *Jobertianum*, in tabernis librariis diu frustra quæsitum, castigatiorem orbi erudito redonaret, sed etiam ut, servato ubique dictorum ordine, librique forma sanctissime custodita, eundem recognosceret, subtiliusque nonnunquam & cautius de dubiis cujuscunque argumenti locis disputaret. Cum autem pro instituti nostri ratione animum induxerimus hujus novæ editionis faciem Lectoribus exhibere, non id nobis agendum esse, sua sponte intelligitur, ut libelli *Jobertiani* rationem exponamus, quod alio jam nos loco fecisse constat, sed ut breviter, qua in re potissimum doctissimi Editoris cura & studium emineat, sine partium studio commemoremus. Libellus *Joberti*, quemadmodum fuit ab Autore editus, integre nobis traditur, nihil ei detractum, nullam ejus sententiam immutatam fuisse, nosmet ipsi spondemus, quod unicuique facile, hanc nostram cum Amstelodamensi serio contendenti, approbabitur. Æquat autem nostra superiorem ipsis præceptionibus, quas in gratiam tironum *Jobertus* conscripserat, amplitudine vero &

ornatu

Digitized by Google

ornatu non modo non æquat, ſed longiſſime vincit. Primo enim ad hunc libellum doctiſſime præfatus eſt Editor, deinde nullam fere nobilem prætermiſit quæſtionem, cujus vim poteſtatemque non modo non definiverit, ſed multis aliorum numorum exemplis ſive veritatem, ſive falſitatem, oſtenderit. Tertio neminem fugit, ſuperiori editioni Autorem ipſum *rerum novarum, quas ſola numorum ope aliquot interpretes e ſymbolis & notis divinando extricarunt, Syllogen* (nouvelles decouvertes) addidiſſe. In quarum enarratione *Jobertus* nimium *Harduini* præceptis indulſit, quibus profecto ſuperſedere poterat, cum plurimæ ejus viri, ceteroquin acutiſſimi, interpretationes, ſi a pauciſſimis, quæ ad verum accedunt, receſſeris, non inventorum laudem mererentur, ſed larvarum & ſomniorum ſpeciem haberent. Ne propterea hæc interpretandi temeritas & libido tirones ad ſimilem audaciam inflammaret, vel ſibi perſuaderet quisquam, ænigmata, in numis quandoque obvia, ab hoc Oedipo feliciſſime ſoluta eſſe, id inprimis Doctiſſ. Editor operam dedit, ut in fine uniuscujusque loci demonſtraret, nonnullis interpretationibus male *Inventorum* nomen tribui, multas duntaxat verum non mentiri, plurimas ſola divinandi virtute, quæ in hoc argumento propior vitium eſſe ſolet, ſuſtineri. Ab his *Joberti* placitis tanto magis aſſenſionem cohibet Editor, quo certius, in utramque partem ea diſputationibus locum præbere poſſe, ſuſpicatur. Quæ res tamen non impediit, quo minus ipſe ex certis numorum obſervationibus Supplementi loco ignorata adhuc nomina regum, civitatum, rituumque priſcorum formulas, detegeret. Dignus propterea eſt liber, qui a nobis, qua poſſumus, accuratione in compendium mittatur. In Præfatione doctiſſimus Editor ſtudii numiſmatici fata commemorat, inprimis, quemadmodum a Francis amari cœperit, & per quos demum
VIII. viros culta ſit auctave, non ineleganter exponit. Vehementer nobis arridet, quod de *Joanne Grollierio*, ærarii militaris præfecto, ſcribit. Notum eſt, tanta hunc virum humanitate fuiſſe, ut omnes omnium in ſe oculos & animos converteret, cui morum ſuavitati egregiam literatorum hominum ſtudia juvandi cupiditatem ab eo adjunctam, comperimus. Ingentem is numorum copiam coacer-

Digitized by Google

coacervaverat, quæ haud dubie post ejus mortem in Italiam, unde profecta erat, rediisset, nisi Rex Christianissimus, ut in gazam ejus tot ævi veteris cimelia reciperentur, jussisset. Quam liberaliter vero supellectilis numariæ usum vivens omnibus indulserit, indicio esse putat Doctiss. *Bimardus* cistulam ejus numariam, apud Abbatem *Rothelinum* hodieque custoditam, ubi exstat honestissima epigraphe: *Joannis Grollierii & Amicorum.* De libris, quos multum valere ad intelligentiam numorum dicunt, aliquid hic repetere, supervacaneum esse arbitramur; id solum monuisse sufficiat, videri nobis in eo falsum esse Clariss. Editorem, cum scriberet, *Suaresii*, Avenionensis Episcopi, Dissertationem de Numis antiquis anno demum 1683 prodiisse. Si enim *Fabricii τȣ πάνυ* Notas ad *Bandurii* Bibliothecam numariam *pag. 95* leget, eum jam libellum Romæ separatim A. 1668, 4, lucem vidisse intelliget. Ceterum, quod inter versiones libelli *Jobertiani* Theodiscam, Lipsiæ A. 1718, 8, evulgatam, omiserit, non magnopere miramur. Etsi enim Latinam *Junckeri* superet, tamen non est magni momenti, nec esse debet, quoniam est versio. De Bibliotheca Numismatum antiquorum *Struvii* idem judicat *Bimardus*, quod ipsa nobis olim hujus opusculi lectio suggesserat, scilicet esse libellum, a tirone ex catalogis & indicibus populariter consarcinatum. Omnibus autem libris, qui de arte numismatica tradiderunt, *Joberti* libellum antefert Clariss. Editor, qua in re vincere est facile, ubi nemo repugnat. Tandem, quas debebat, Abbati *Rothelino, Surbeckio, Bozio, & Clevio*, gratias persolvit, quorum omnium vel Museis numariis, vel opera, in adornandis suis ad *Jobertum Animadversionibus literario-criticis* præclare usus est. Novimus jam externam libelli nostri formam. Videamus de interna. Eam haud quotidianam esset, aliquot te specimina, Lector, docento. Sequemur autem *Præceptionum Jobertianarum*, ut par est, ordinem, nihil relicturi facile, quod vel tua, Lector humanissime, nosse interest, vel memoratu dictuque dignum nobis videri possit; cumque libellus in *Tomos II* dividatur, age, memorabilium *Bimardi* observationum ex *Tomo priore* describendarum periculum faciamus. In prima *Præceptione* disputaverat *Jobertus* de *numerum antiquitate*, unde

hæc quæstio nascebatur, quisnam inter omnes, qui exstarent hodie, numos antiquissimus esset. Eam laudem numo *Phidonis* vindicare studuerat *Begerus*, & post eum *Car. Schottus* in Miscellaneis Berolinensibus. Sed negaverat *Otto Sperlingius* in Dissertatione *ad numos non cusos*, non sequi, ut, si numus *Phidonis* ferat nomen, eo quoque tempore, quo vixisse dicitur *Phido*, sit cusus; solam forte hoc typo ponderis similitudinem, quod *Phidonem* invenisse ferunt, evinci posse ratus. Opinabatur contra *Schottus*, nunquam Principum nominibus, nisi eorum, qui im-
Pag. 27. perant, numos insigniri, quam sententiam strenue oppugnat *Bimardus* noster, tribus potissimum numis, in *Thesauro Britannico* occurrentibus, omnes illius argumenti nervos elidendo, utpote qui *Lici*, *Antisthenis*, & *Eupolemi*, nomina nobis offerunt, etiamsi constet, hos viros principes nunquam populum aliquem, aut civitatem, rexisse. In *Præceptione II* explicat *Jobertus diversa metallorum genera*, cumque inter alia non dissimulet, possedisse
63. se *Liviam* & *Antoniam* ex ære Corinthiaco, negat *Bimardus*, fieri id potuisse, quod *Plinius* ipse dicat in *Hist. Nat. 34 Cap. 2*: *Adeo exolevit fundendi æris pretiosi ratio, ut jam diu ne fortuna quidem in ære jus artis habeat*. Quæ cum ita sint, sequi, ut vel *Plinius* mendax fuerit, vel, quod propius verum esset, ut nullus ejus æris numus illis temporibus exstiterit. Quomodo enim *Plinium*, hujus rei intelligentissimum virum, numus *Liviæ*, haud dubie *Caligula* Imperatore cusus, latere potuisset, a cujus ætate non longe aberat? Triplex vulgo traditur genus æris, secundum quod ordinare nos oportet numos. At eruditissimus *Bimardus* animadvertit, si nulla rei alius in colligendis numismatibus ratio haberi debeat, quam metalli, nihil profecto impedire, quo minus quinque, imo sex, diversos numorum ordines statuamus, scilicet ex *auro*, *argento*, *orichalco*, quod Galli *potin* vocant, *ære*, *plumbo*, &, si quis velit, stanno. Uti enim de plumbeorum apud veteres usu nemo facile dubitare ausit; ita etiam stanneos exsti-
65. tisse, ex *Julio Polluce* & *l. 9 ff. ad L. Cornel. de Falsis* demonstrat Cl. Editor, sed, nullum ejus generis archetypon ad nos perve-
66. nisse, simul fatetur. Notum præterea est, quæri a viris doctis, utrum numi græci Romanique, quos hodie contrectamus, pecu-

niæ

Digitized by Google

niæ loco apud veteres fuerint, an potius ad eorum similitudinem accedant, qui solennitatis alicujus gratia, aut in alius rei gestæ memoriam, hodie procudantur. Extremum defendit *Erizzius* in Pag. 68.
*Discorso sopra le Medagli degli Antichi pag. 5 seq.* prius contra *Erizzium* asseruit *Lud. Savotus*, cui omnes postea interpretes assenserunt. At *Erizzii* sententiam, etiamsi a vero alienam, tamen tueri noviter ausus est *Jo. Harduinus* in *Oper. select. pag. 506 seq.* ejusque vestigia pressit *Mabudelius* in *Dissertatione, Historiæ Acad. lit. elegant. Tom. VII pag. 266* inserta. Verum in hac via, multis transversis divisa, in mediam se dedit *Bimardus*, verum esse inquiens, numismata olim monetæ loco fuisse, sed accidere haud 69.
raro potuisse, ut, quæ honori tantum principis, vel recolendæ rerum præclare gestarum memoriæ, destinata primum erant, successu temporis, penuria forte alius monetæ id nonnunquam suadente, rebus emundis vendundisque inservirent. Argumentum vero, quod *Jobertus* pro communis sententiæ defensione attulerat, non omni exceptione majus esse, contendit *Bimardus*. Non enim ex verbis, MONETA AUGUSTI, quæ numi exhibent, rationem eo pacto subtiliter necti putat, quoniam in ipsis numismatibus maximi moduli (*Medaillons*), verbi causa in numo *Commodi* apud *Valentem Tom. I pag. 213*, eadem verba legerentur. In *Præceptione IV* confuderat *Jobertus Totilam*, Ostrogothorum Regem, cum *Baduela* Rege, *supersunt*, inquiens, *numi, in quibus apparet Athalaricus, Theodahatus, Witiges, Totilas, sive Baduelas, Theias, & Attila*, quod ut refelleret, provocavit ad ipsas temporum notas, quibus uterque vixisse dicitur. *Totilas* enim anno 114.
demum 541 thronum conscendisse fertur, *Baduelæ* autem nomen diu ante in numo *Anastasii* Imperatoris conspicitur. Cum igitur *Anastasii* Imperatoris mors in annum 518 cadat, non posse *Totilæ* & *Baduelæ* nomina permisceri, etiamsi *Jornandes Totilam* sæ- 115.
pe *Baduillam* vocet, repugnare tamen huic rei numum *Anastasii*, in cujus parte priore *Anastasius* compareat, in altera hæc epigraphe deprehendatur: *DN. Baduela Rex*, ex quo *Bimardus* conjicit, *Baduelam* fuisse Regem barbarum, qui forte tempore *Anastasii* terras Illyrii & Pannoniæ sibi tributarias reddiderat. Ceterum Eruditiss. *Bimardus* negat, exstare numos, in quibus ex-

 pressa

pressa sunt horum Regum nomina, v. g. *Theiæ*. Si enim ex numo, qui exhibet DN. THEIA REX, rursus exsculperetur nomen *Theiæ*, quid esset demum, quod ingeniosa conjectandi fiducia non posset effingere? Sed ipsa computatione annorum evertitur hæc opinio. Occurrit enim nomen THEIÆ in numo *Anastasii* Imperatoris. Mortuus autem is est triginta & quatuor annos ante *Theiam*. Efficitur ergo, ut *Theia* esse nullo modo possit. Verum convenire fortassis nomen *Theiæ Jornandis Transtilæ*, quem temporibus *Anastasii* æqualem fuisse novimus.
Pag. 116. Eodem pacto Cl. Editor *Attilæ* numos in dubium vocat. Quanquam enim *Mezzabarba* & *Ducangius* typos his verbis: ATILA & ATHIS, inscriptos retulerunt; veretur tamen, ne viri doctissimi fucum fecerint, quoniam nemo adhuc tales viderit. Arbitratur contra, ejusmodi typos ex catalogis transcriptos esse. *Præceptio V* agit *de aversa numorum parte, idonea nonnunquam raritatis & pulchritudinis effectrice*, ubi simul causas indagare cupit *Jobertus*, quare in æneis Imperatorum numis verba SC. tantum conspiciantur. *Buonarotus* in *Osserv. istorich. sopra Medagl. antich. pag. 203*, eam subesse rationem, putat, ut intelligeretur, solo hoc metallo ad numos procudendos libera republica usos esse antiquitus Romanos. Sed, quam parum hæc sententia vero conveniat, ii norunt, quos haud fugit, aurum & argentum republica quoque vigente materiam numis præbuisse. Multo felicior est Clar. Editoris conjectura, qui, hanc consuetudinem inde proficisci potuisse, suspicatur, quoniam
209. Imperatores, auro argentove sibi forte vindicato, solam in ære numos cudendi potestatem Senatui concesserint. In *Capite VI*, quod de *titulis numorum* præcipit, non magistratuum nomina *Jobertus* asseruerat numis exprimi, quæ prorsus a muneribus Romæ servæ sub Imperatoribus abluderent, atque ejus
266. generis esse III*virum valetudenarium*, numo id probante, in cujus priori parte fœminæ caput laureatum cum epigraphe *Salutis*, in altera Deæ forma, apparet, serpentem dextra tenens, & cippo innixa cum titulo: M. ACILIVS IIIVIR VALET. Sed *Bimardo* talis interpretatio nimis portentosa videtur, nec latinitatis genio admodum congrua. Exprimi potius

tius eo numo ipsam vocem *valetudo* credit, quoniam alii quoque numi per appositionem nomina Dearum nominibus magistratuum jungant, cujus generis numus est familiæ *Fontejæ*, ubi legitur *P. Fontejus Capito IIIvir Concordia*, aut typus familiæ *Cassiæ*, in quo verba hæc: Q. CASSIVS VEST. qui satis nos doceat, nihil aliud hic posse subintelligi per VEST. quam τὸ VESTA. Egregia est præterea interpretatio numi *Gallieni*, in cujus postica parte talis epigraphe cernitur: COH PRAET. VII. P. VII. F. quam *Jobertus* per *Cohortes* Prætorianorum septem explicat, *Bimardus* longe felicius, magisque ex vero, credit, denotare *Cohortes Prætorianas septimum pias*, *septimum felices*. Aliam ejusdem doctrinæ & ingenii videmus *pag. 283*, ubi displicet Nostro *Jobertiana* Siglarum illarum VN. MR. in numo *Constantini* occurrentium, explicatio. Putaverat enim vir doctus, repræsentari posticæ partis typo imaginem *Helenæ*, inde *Venerabilis nostra Mater*, elogium certe persona *Helenæ* non indignum, nascebatur. Verum, evenire hic, intelligimus, quod in ore Dialecticorum est: In dubium vocato uno, corruit alterum. Cum enim interpretatio tituli hujus cum figuræ habitu ita sit apta & nexa, ut, si prius neges, cogas etiam extremum inficiari; satis apparet, aliam his notis sententiam tribuere debuisse *Bimardum*, quoniam negaverat, *Helenam* in eo numo exhiberi. Recta profecto via incedit Vir elegantissimus, dum nullam fere interpretationem stabilit, nisi aliorum numorum, clarius plerumque eandem aut similem rem demonstrantium, exemplis adjutus, quod etiam hoc loco, ut alibi sæpissime, facit. Si enim, inquit, alium intuemur numum, in quo fœmina stans, manu bilancem tenens, cum epigraphe: IVST. VENER. MEMOR. occurrit; nemo est rei antiquariæ tam ignarus, quin legat statim: *Justa Veneranda Memoria*, subintellecta voce *Saluta*. Ex quo sua sponte efficitur, literas VN. MR. in illo numo, quem excitat *Jobertus*, significare *Veneranda Memoria*, scilicet *Constantini* Imperatoris, quem ritu antiquo consecratum fuisse, alia nos vetustatis monumenta docent. In *Præceptione VIII*, velut in transitu,

Pag. 275.

diſputatur, quæ ratio ſit notularum in numis, quas Galli *Contremarques* vocant, Latini haud dubie ſigilla, vel imagunculas literarum, appellaverint. Intelligimus autem per notulas ænigmaticam literarum conjunctionem, aut rerum naturalium ſigna, quibus veteres pretium definiviſſe, exiſtimavit *Jobertus*. Sed hujus rei cauſas latius inveſtigavit Doctiſſ. *Bozius* in Epiſtola, ad Eruditiſſ. *Bimardum* data, quam cum harum rerum curioſis non inviderit Clariſſ. Editor, operæ quoque erit pretium, eandem in compendium mittere. Ut autem vires lentius eundo capiant rationes ejus, in medium adductæ,
Pag. 350. nonnulla ſumit doctrinæ initia, quod facere ſolent ii, qui aliquam diſciplinam artis deſcribere primum volunt. Id autem ſibi dari poſtulat 1), in nullo Conſulari numo notulas illas apparere; 2) exprimi demum cœpiſſe in numis ſub finem imperii *Auguſtei* cuſis, duraſſeque eam conſuetudinem uſque ad *Trajanum*, quæ ſive abrogata, ſive neglecta a ſequentibus Imperatoribus, ſub *Juſtino* & *Juſtiniano* revixerit; 3) tantum æri inſculptas eſſe, aurum contra argentumque iis carere; 4) etiamſi numorum tanta ſit varietas, ut nullus alteri per omnia ſimilis evadat, notulas tamen in multis ſibi ſemper conſtare;
351. 5) ſi notulæ aucti pretii ſigna ſint, mirum eſſe, cur numi republica vigente cuſi nullas oſtendant, ex quo tempore non pecuniæ τιμὴ creverit, ſed ingentem ſui jacturam paſſa ſit; 6) ſi mercandi ſtudia id poſtularint, nullam rationem ſubeſſe, quare hæc ſigna in aureis argenteisque exulent, quoniam id metallorum genus, tanquam ceteris nobilius, emtioni venditioni aptius eſſe ſoleat. His conſtitutis, omnes omnium ſententiæ collabefiunt; quare novam hujus ænigmatis audiamus conjectionem. Illatas ſcilicet numis has imagunculas fuiſſe, opinatur Doctiſſ. *Bozius*, in gratiam operariorum, fabrorum, opificum, architectorum, quibus ut ſtipendia ex merito et diligentius ſolverentur, videri ſibi talismodi numos a præfecto viarum, aquæductuum, & pontium, ita unicuique operario, mane in-
353. choanti labores, diſtributos fuiſſe, ut, redeunte veſperi homine, reddentoque numum, præfectus ſtatim intelligeret, quantum cuique pecuniæ ſolvendum eſſet. Quod certe hodienum quoque

quoque fieri solet, cum ab hominibus, qui in ære nostro sunt, schedulas quasdam, tanquam tesseras & pignora laboris eorum, poscimus. Quod si concesseris, mirari desines, quare ejus generis σημεῖον nullum in aureo argenteoque numo exstet, quoniam hos vitiare notulis præstantia metalli vetuit. Ex animadversionibus Doctiss. *Bimardi* ad *Præceptionem X* hanc unicam seligemus, quæ, ut communi omnium Antiquariorum sententiæ refragatur, ita memoratu digna videtur. Ait nempe, placitum illud, quod sumitur vulgo, de universa omnium, quotquot sunt, dissimilitudine falsum, imo sua natura ἀδύνατον, esse. Pag. 449. Primo enim sensus nostros, mentemque, et totam constructionem numorum, huic sententiæ repugnare. Inter multos enim tanta est similitudo, ut nihil inter se differant, nec ulla possit nota alter ab altero distingui. Sed, dum de similitudine loquitur Clariss. Editor, haud dubie non intelligit eam, quam Philosophi negant in rerum natura esse. Stoicum est enim & pervetus dictum, quod fidenter sibi, ut alia multa, quidam nostræ ætatis Philosophus vindicavit, (*Cic. Acad. Quaest. Lib. IV Cap. 26,*) *omnia sui generis esse, nihil esse idem, quod sit aliud, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum.* Sed qualem oculorum vis, etiam acerrima, non internoscit, etiamsi aliqua in parte natura rei differat. Secundo, nullam adesse rationem, quare in moneta plurimas ac pæne infinitas, in medallionibus vero seu numismatibus maximi moduli unicam typi formam, statuere velimus. Constare autem 450. ex *Buonaroti* observationibus, medalliones eiusdem generis sibi dissimiles non esse; quare, quod in præstantioris numi fabrica neglexerunt veteres, id in procudendo numo viliore, & vulgaris usus moneta, fecisse, num credibile est? Tertio, si commune illud doctorum ἀξίωμα valeret, quid opus esset de *numis incusis* queri, quales monetariorum culpa nonnunquam prodiisse novimus. Si enim unusquisque numus suum habebat archetypon, qui accidere potuit, ut monetarius, sibi persuadens, priorem numum iam exiisse typo, alium eidem formæ intulerit, quod sane indicio est, hanc sumtionem non modo non veram, sed ridiculam, esse, & portento quodam sustineri.

ſtineri. Plura ingenii *Bimardiani* ſpecimina ex *Tomo I* adducere, tanto minus neceſſarium exiſtimamus, quanto magis perſuaſum eſt nobis, eodem pacto lectoribus, animadverſiones ejus in ipſo Opere perluſtrantibus, ut nobis, vehementer placituras eſſe. Si enim præclare dicta hic coacervare animum induceremus, verendum eſſet, ne integrum nos libellum deſcribere velle videremur. Reſtat igitur, ut, qualis ſit *Tomi II* ornatus, conſideremus; in quo nihil fere difficilius fore prævidemus, quam ſenſus mentemque a contemplatione harum divitiarum abducere. Quod cum certa notione animi præſentiamus, id, quod pulcherrimum adſpectu eſt, ipſamqne reliqui corporis formam, Lectori oſtendemus. Continentur eo primum *reſiduæ Joberti Præceptiones*: XI ſcilicet de *certis rei numariæ initiis*, quibus hæc artis diſciplina nititur, & XII de *via & ratione*, quam numorum cultores ſequi debent. Ex priori *Capite* unius tantum obſervationis *Bimardianæ* de *jure Latii*, *Civitatis*, & *Italiæ*, mentionem injeciſſe ſufficiat, cum quod eſt omnium memoratu digniſſima, tum quod, in hac quæſtione perdifficili ſane & lubrica multos adhuc errare viros doctos, intelligimus. Dixerat *Jobertus pag. 20 §. 6, duo eſſe Coloniarum genera, alias jure civitatis gaudere, alias juris tantum Latini beneficio frui, quemadmodum per univerſam Italiam jus civitatis eam vim habuiſſe, ut, qui illud obtinuerit, ad magiſtratus quoque, ut cives Romani, adſpirare potuerit, jure vero Latii non niſi vacationem a tributo, & poteſtatem militandi in*
Pag. 75. *legionibus Romanis, concedi.* Hunc locum Doctiſſ. *Bimardus* ex Antirrhetico *Harduini* ſumtum eſſe ſcribit, ſed cujus ſubtilitati tantum deeſſe ſimul fatetur, ut parum abſit, quin in errores multos magnosque degeneret. Nam primo, dici cum aliqua probabili ratione non poſſe, evincit, *jus Latii* idem eſſe ac *jus Italiæ*; 2) falſum eſſe, *jus Latii* tantum ab annuis penſionibus liberare, & ſtipendia in legionibus Rom. merendi facultatem tribuere; 3) falli eos, qui juri Italico jus civitatis adimunt; 4) fieri non poſſe, ut aliquis ex ſolis numis diſcrimen inter civitatem *juris Romani* & *juris Latii* oſtendat. Verum, hæc ut clarius pateſcerent, operæ pretium eſſe duxit, eandem

quæſtio-

Digitized by Google

quæstionem post *Sigonium* & *Spanhemium* pertractare, quorum
etsi vestigia premit, tamen eorum verba non ut interpres aucupatur, sed novis sæpissime rationibus utitur ad concludendum id, quod explanari voluit. Atque utinam longiorem Pag. 76-
Commentariorum nostrorum angustia orationem admitteret, 79.
nihil profecto gratius acceptiusque accideret nobis, quam si pluribus verbis *Bimardi* acumen diligentiamque prædicandi copia daretur. At, cum singularum rerum commemorationem hoc scribendi genus repudiet, auctores saltem suasoresque sumus iis, qui rerum vetustarum studio tenentur, ut *Heineccianas Antiquitates* cum his *Bimardi* notis contendant. Speramus enim, peccata ibi, quæ vir magnus olim ex *Sigonio* in librum suum fidenter transtulit, emendari posse. Nos potius inchoatam libelli partitionem persequemur. Excipiunt has *Joberti Præceptiones Inventa* (Nouvelles Decouvertes), quæ quidem supra jam indicavimus, sed hic eo consilio repetere fas erat, ut Lectori constaret, ad quas potissimum res ejus generis εὑρήματα spectent. Absolvuntur ea IV *Capitibus*, ad 133.
quæ eruditissimus *Bimardus* æque docte ac eleganter commentatus est, idque egit potissimum, ut *Jobertum*, ubique fere cum *Harduino* ludentem, & nescimus quæ prodigia sæpe nuntiantem, castigaret. *Prima Sectio* exponit, *quos explicatus habeant literarum capita in nummis.* Verbi causa, ut hoc tantum exemplo utamur, quid sigla hæc PSSC sibi velint, antea ignorabamus. *Valens* id ænigma primum solvit, legendo: *Posuere Suffetes Carthaginis*; sed *Harduinus*, egregius ille monstrorum domitor, felicius legendum esse conjicit: *Poni suo sumtu curavere*, quæ interpretatio, etiamsi *Valentiana* acutior, verique similior, sit, non videtur tamen, *Bimardi* judicio, nomen *Inventi*
mereri, propterea quod sola divinandi arte suffulta, & stare, & 139.
labi, possit. *Altera Sectio* exemplis illustribus monstrat, quem- 165.
admodum ex notis & compendiis verborum integra possint verba confici. Neque hic *Jobertus* partes *Harduinianas* de-
serit. Sequens exemplum hujus rei locuples esto testis. Nemo 170.
est, qui, huic notæ numi *Neroniani:* MAC. AVG. magnam inesse difficultatem, putet; quare omnes ante *Harduinum* in-

 terpretes,

Digitized by Google

terpretes, ut par eſt, legi debere tradiderunt *MACellum AUGuſti*, ipſa ædificii illius, quod numus oſtendit, forma, teſtimonioque *Suetonii*, eadem cum numo prodentis, inducti. *Harduinus* contra ſuo more, veras interpretandi leges vertendo ita legi poſſe, comminiſcitur: *Mauſoleum Cæſaris Auguſti*. Non enim ſibi perſuadet, macelli ædificium dignum alicui videri potuiſſe, qui cum vultu Principis in numo celebretur.
Pag. 172 seq. Sed dubitationibus *Harduini* obviam it hoc loco *Bimardus*, dicendo, 1) hunc numum adhuc juvene *Nerone* cuſum eſſe; 2) non ſolum hoc ædificium eſſe, quod *Nero* condiderit, ſed porticus quoque, thermas, & gymnaſia, exſtruxiſſe Principem; 3) nihil impedire, quo minus macellum, bono publico commoditatibusque civium deſtinatum, ad laudem Principis conferre plurimum poſſit; non enim ruſticitatem & paupertatem domuncularum noſtrarum cum priſca operum quorumcunque
199. magnitudine & luxu contendendam eſſe. Sectio *tertia Siglas numorum Græcorum* enarrat, & interpretatur, ex quibus plurima urbium nomina, alias incognita, multasque epochas urbium & familiarum diſcere licet. Sectio *quarta* præſidia numorum, quæ hiſtoriæ inſerviunt, tradit, verbi cauſa, omnem pæne familiam *Herodis*, cognomen *Evergetarum*, quod ſibi Reges Syriæ ſumſerunt, præterea multas Geographiæ & Chronologiæ doctrinas, numis nos debere, diſputatur. Harum autem
328. rerum, noviter in numis repertarum, ſyllogen, a *Joberto* profectam, aliæ comitantur merces, quas ingenium *Bimardi* exponit. Diſtributæ ſunt in ſeptem loculos, quorum 1) exhibet *numos Regum Græcorum non uſquequaque obvios, valdeque me-*
343. *morabiles*; 2) *numum Machanidæ, Tyranni Lacedæmonii*; 3) *nu-*
345. *mum Pythodoris, Reginæ Ponti*; 4) *numos Uranii, Antonii, & Sul-*
348. *picii Antonini*; 5) *numum Conſtantini & Maximini*; 6) *numum*
385. *aureum Conſtantini III, patris Valentiniani III*; 7) *numum au-*
386. *reum Artavaſdi*. Succedit denique duplex Catalogus, alter
418. *Colonias, Municipia, & civitates Latinas*, complectens, in qui-
423. bus numiſmata Imperatorum cuſa fuerunt, alter *nomina civitatum Græcarum e numis eruta* proponens, in quo conficiendo ea cautione uſus eſt Doctiſſ. *Bimardus*, ut, ſi nomen civitatis

cujus-

Digitized by Google

cujusdam non alius, nisi *Golziani*, numi fide niteretur, Notam G. adscriberet.

Nihil superest, quam ut præstantissimo hujus libri Editori gratias publice agamus pro egregio hoc, quem literis numorumque decori præstitit, labore, cumque magnam ingenii doctrinæque spem, dum viveret, ostenderit, pluresque librorum copias passim minatus sit, nil magis in votis habuissemus, quam ut Dissertationes *de MSto Golziano*, *de tribunitia* Pag. 120. *potestate Imperatorum*, *de linguis & literis veterum Gallorum*, 195. item *Abbatis de Longuerue Historiam Maccabæorum*, *ex scriptoribus sacris & profanis*, *item numis*, *illustratam*, quas editurum se 206. esse promiserat, ante obitum. Musei sui carceribus exire jussisset. 212. 331.

Historischer Müntzbelustigung siebender Theil rc.

hoc est,

***JOANNIS DAVIDIS KOELERI, P. P. Anno 1735 secundum hebdomas editæ historicæ ex Numismatibus oblectationis Pars septima, in qua varii memorabiles ac rari Unciales, Ducati, Numismata majoris moduli, & alii singulares ex auro & argento facti Numi variæ ætatis, numero LX, accurate in æs incisi, descripti, & ex Historia plene illustrati, exhibentur, una cum continuatione quinta Sciagraphiæ de pleniori Uncialium collectione, quæ vicem Præfationis sustinet.***

Noribergæ, impensis viduæ B. Christophori Weigelii, senioris Chalcographi, 1735, 4.

Alph. 2 plag. 17.

Dum *Pars* hæc *septima* processit, Autori Celeb. fortuna affulsit serenior, quæ ipsum Gottingam in Georgiam Augustam transtulit, Academiam videlicet recentem, Regisque potentissimi opus. Auspicato proinde Præfationis origo a continuatione Uncialium Brunsuico-Luneburgensium arcessitur,

 quibus

Digitized by Google

quibus succedunt Burgundici, Geldrici, Comitum principalium Hennebergicorum, Landgraviorum Hassiæ, Ducum Holsatiæ, Juliacique, Landgravii Leuchtenbergici, *Georgii*, & Ducum Lotharingiæ. Inimici nominis *Kœleriani* metum animo conceperant, ne Autor, Gottingam translatus, ac Altorfina Bibliotheca reliquisque subsidiis, ibi obviis, carens, delicias suas numismaticas minus valeret prosequi. Ut igitur invidorum ac obtrectatorum elideret triumphos ac gloriationes, *Partem VIII* dare in posterum constituit, Præfatione in hunc modum finita: *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.* Accedimus ad ipsas delicias, seriem Numorum, inibi expositorum, expoſituri ea, qua licenit, brevitate. En igitur recensum numismaticæ rei succincte actum, ad quem referendi sunt: 1) Metallio pulcher *Mariæ I*, Reginæ Anglorum, turbis politicis edomitis, & reducta religione Pontificia, perfunctæ A. 1555. In antica sese Regina vocavit *fidei defensatricem*. In postica perigraphe apparet singularis: *Cecis visus, timidis quies.* 2) Numisma unilaterale rarissimum, referens faciem totam inclytissimi Imperatoriæ aulæ supremi Cancellarii, *Mercurini de Gattinara*, sub *Carolo V*, defuncti A. 1530, 5 Jun. 3) Thalerus formosus Electoris Moguntini & Episcopi Wirciburgensis, *Johannis Philippi*, Schœnbornensis, ad A. 1652. Addita est tanti viri vita, nitide & sincere scripta. 4) Rarissimus Numus aureus magni ac victoris Principis Walliæ,
TAB. III *Eduardi Nigri*, Principis Aquitaniæ, ad A. 1363. In antica
Fig. 1. apparet perigraphe: EDuardus PrimOGeNitus REGES ANGLIE † PRinceps AQUITANIE. In postica ex *Ps. VII, 12: Deus judex justus fortis paciens.* 5) Numus cruciatus Regis Portugalliæ, *Emanuelis*, æquans pretium 10 ducatorum,
Pag. 33. ad A. 1521. In antica conspicitur insigne Portugalliæ & Algarbiæ more solito, duoque orbes, in quibus hæc legitur perigraphe: *Rex Emanuel Portugallie Algarbiorum citra ultraque mare in Africa Dominus Guinee, Ethiopie, Arabie, Persie, Indie, Conquistæ Navigationis Commercii.* In postica circum
TAB. III crucem apparet perigraphe: *In hoc signo vinces.* 6) Numus
Fig. 2. vetustus moduli protuberantis, in memoriam *Joannis Hussi*, Eccle-

Digitized by Google

TAB. III ad Nova Ac

Fig. III

TAB.
Fig.

Pag. 3

TAB.
Fig.

Ecclesiastæ Pragensis ad templum Bethlehemi, ac A. 1415 Constantiæ combusti. Ejusdem generis est ille, cujus ectypon M. *Wilhelmus Seyfriedus Dissertationi historicæ de Joannis Hussi, Martyris, ortu, educatione, studiis, doctrina, vita, morte, & scriptis*, Jenæ A. 1711 præfigi curavit. Differentia tamen intercedit haud una inter illum & nostrum. Breviora sunt, quæ *Seyfriedus* §. *XVI pag. 124 seq.* ad hujus numi expositionem protulit. Immorabimur paullulum huic argumento. In Numi, a Cel. *Koelero* allati, antica ostenditur imago *Joannis Hussi* cubitalis, dextram genam spectatori obvertens, mystacem promissam præferens, ac in capite mitram satis altam. Ad utrumque imaginis latus interius leguntur hæc: JOAN. HUS. Perigraphe exterior sic habet: CREDO. UNAM. ESSE. SCAN. (Sanctam) CATHOlicam ECCLEsiam. In postica apparet *Hussus* nudus, vitta capiti imposita, palo alligatus, in rogo stans ardenti. Ad sinistrum ejus latus conspicis annum 1415. In gemino ad oram gyro legitur perigraphe: CENTUM REVOLUtis. ANnIS. DEO. REDDetis. ROEM (rationem). Hæc in exteriori ad oram gyro. In interiori isthæc adduntur: ET. MICHI. CONNAT. (id est, condemnatus, nempe A. 1415.) Quæritur, an *Hussus* fuerit Propheta, & hisce verbis de *Luthero* fuerit vaticinatus. 48.
Autor respondet, *Hussum* non exstitisse Prophetam, ac fiduciam de futuris ita vel aliter eventuris, rationibus politicis superstructam, a prophetiæ dono esse diversam. *Hussus* utique in *Epistola 33*, ex carcere data, *fol. 68. b: Ista scribo, non quod me æstimem Prophetam, aut me extollam, sed ad dicendum vobis, quod habui tentationes in corpore & mente, & maximum timorem, ne transgrederer mandatum Domini nostri JEsu Christi.* At fiducia indubie satis est magna, quæ dominatur in *Sermone XVI f. 69. b. Tom. II Operum*, ac in *Ep. 13*, paulo ante obitum ab eo scripta, ubi hæc sunt verba singularia: *Spero in Deum, quod mittet post me magis strenuos, & nunc sunt, qui melius patefacient malitiam, & exponent animas suas ad mortem, propter veritatem Domini nostri JEsu Christi, qui vobis & mihi daturus est gaudium vitæ æternæ.* Adde illud ex *Ep. 46 f. 71. b: Illa*

Pag. 41 seq.



Digitized by Google

*b: Illa vita Christi per plures prædicatores, meliores me, melius depingetur, gaudente populo, qui diligit vitam Christi.* Quantum ad illa verba de centum annis, quibus transactis, sit respondendum turbæ, quæ *Hussum* morti addixit, attinet, certum
Pag. 46. est, ea fuisse *Hieronymi Pragensis*, non *Hussi*. Testis oculatus, isque Autor *Narrationis de M. Hieron. Prag. pro Christi nomine Constantiæ exusto f. 349*, in *Monumentis Jo. Huss & Hieronymi Pragensis*, Noribergæ A. 1558 in folio emissis, retulit hæcce: Postquam vero dictum sermonem Episcopus Laudensis jam dictus finivisset, & tunc M. *Hieronymus* iterum inter cetera dixit ad eos: *Vos vultis me condemnare inique & injuste. Et ego post mortem meam relinquam in conscientia vestra remorsum & clavum in cordibus vestris, & cito vos omnes, ut respondeatis mihi coram altissimo & justissimo judice infra centum annos.* In narratione alia æque vetusta *fol. 357* leguntur fere eadem *Hieronymi* verba, quæ in nummo occurrunt: *Apollo ad celsissimum simul & æquissimum judicem Deum omnipotentem,* UT CORAM EO CENTUM ANNIS REVOLUTIS RESPONDEATIS MIHI. *Poggius* Florentinus, qui rei interfuit, eodem, quo *Hieronymus* combustus est, die scripsit ad amicum *Leonardum Aretinum, Hieronymum* dixisse impavidum: *Se quoque paratum quodvis supplicium adire forti animo & constanti, seque inimicis suis cedere, & testibus, impudenter mentientibus, qui tamen aliquando coram Deo, quem fallere non potuerint, essent rationem eorum, quæ dixissent, reddituri*, fol. 359. *Abrahamus Scultetus Annal. Evangelic. Decad. I pag. 6, 7,*
44. verba illa: *post centum annos* &c. tribuit *Joanni Husso*, eumque sequuntur *Philippus Mornæus* in *Mysterio iniquitatis fol. 536*, ac *Petrus Matthæus* in *Historia Henrici IV Lib. II Narrat. I n. V ad A. 1599 pag. 116*, & D. *Jo. Crocius* in *Antibecano pag. 727*, Autor *Paralip. Ursp. pag. 400*, aliique. Confer *Tenzelii Colloquia menstrua A. 1694 Mens. April.* Addunt hi mentionem de nummo, a Bohemis tum in memoriam *Joannis Hussi*, qui illa dixerit morti vicinus, percusso. *Jo. Crispinus*, qui *Actiones & Monumenta Martyrum* A. 1627, 4. Genevæ edidit, de nummo illo *pag. 37* tritam refert narratiunculam. Abbas *Bizotus* in *Praef. ad*

*Tom. I*

Digitized by Google

*Tom. I.* libri: *Histoire metallique de Hollande*, *Hussiticum* illum, quem repræsentamus denuo, numum pro vetustissimo novorum numismatum, quos *Medailles* vocant, habet. Negari tamen non debet, *Joannem Hussum* appellasse ad tribunal divinum. Ipse enim in *Ep. 46 fol. 71. b.* ita: Cogitationem de objiciendis commisi Domino, ad quem appellavi, quem judicem, procuratorem, & advocatorem, mihi elegi, coram Commissariis expresse dicens: *Dominus JEsus meus advocatus sit & procurator, qui vos omnes brevi judicabit.* Vulgo etiam tradunt, *Hussum*, adspecto ferali palo, dixisse: *Hodie assatis anserem, centum post annis cygnus veniet, quem assare non poteritis.* Sed nec ex *Hussi* scriptis, qui sæpius sese cum ansere, alludens ad Pag. 47. suum nomen, comparavit, nec ex actis martyrii ejus genuinis, illud patescit. De olore venturo altum ubique silentium. Ecquis fidem Deo dignam hisce narrationibus superstruxit unquam? At nondum dixisti, *Kælere* Celeberrime, quid tibi videatur de origine & ætate numorum *Hussiticorum*. Meminit aliquis nostrum, *Joannem Oldermannum*, Professorem Juliæ in Bibliotheca Rudolphæa, sibi ostendisse similem numum *Hussiticum*, & argumentis adjectis confecisse, ut credi posset, illum *Lutheri* demum ætate fuisse cusum. Vidimus præterea alios, quorum novitas primo obtutu notari potuit. Quid vero tibi, Lector, videtur de illo Disticho, quod statim post necem *Husso* illatam parieti ædis sacræ *Wenceslai* Regis dicitur inscriptum: *Anni abeunt centum, causam Christoque mihique*

*Dicetis, cygnus quum anseris ultor erit.*

Sed fuimus longius digressi ab iis, quibus nos brevitas coercet, cancellis; quare succinctius nunc agemus, indicaturi Numos alios, quorum restant complures. 7) Vetustus Metallio in Donnam *Camillam Peretti*, *Sixti V* sororem, ad A. 1590. 8) Thalerus Comitis Erpacensis, ad A. 1623. Accedit Commentatio de genealogia Comitum Erpacensium, quorum antiquissimi apparent ex Illustris *de Gudenus Sylloge I varior. diplomatarior. pag. 34, 135, 294*, & ex ejus MStis, cum *Kælero* communicatis. Originationem Erpacensium Dominorum, ex ficta *Caroli M.* filia & *Eginharto* perperam deduci 63 seq. solitam,

ſolitam, Autor denuo evertit. 9) Præfecti urbis Nuſſii Numus ad A. 1586, quadratus, index obſidionis, ab Hiſpanico exercitu toleratæ. 10) Aureus Numus adpenſilis Comitis Hanovio-Münzenbergici, *Philippi Ludovici*, ad A. 1602. 11) *Philippi Ludovici II*, Comitis ibidem Illuſtriſſimi, Numus ſepulchralis, ad A. 1612. 12) Uncialis Aquisgranenſis, ad A. 1571. 13) Numiſma mnemonicum, referens mortem beatiſſimi Ducis Saxo-Gothani & Altenburgici, *Friderici II*, ad A. 1732. 14) Ejusdem *Friderici II* Thalerus pulcherrimus, in cujus poſtica imagines VII ejus principum juventutis reperiuntur. 15) Rarus Metallio *Joannis Chriſtophori*, Comitis III *de Puchaim.* 16) Aureus Florenus *Ludovici*, Comitis Leiningo-Weſterburgenſis, ad A. 1614. 17) Metallio, referens ligiſticum ac Imperatorium Ducem belli ſupremum, *Johannem Tſerclam*, Comitem & Baronem *de Tilly*, in cujus poſtica hæc duntaxat verba: *Cæſar in Jove victor. Comes in Sole bellator.* 18)
**Pag.** 137. Rarus Florenus aureus *Jacobi de Liebenſtein*, Archiepiſcopi & Electoris Maguntini, ad A. 1506. 19) Singularis Thalerus trium fratrum & Ducum Saxoniæ ex linea Erneſtina, *Joannis*
145. *Friderici* medii, *Joannis Wilhelmi*, & *Joannis Friderici*, junioris, ad A. 1566. 20) Thalerus circuli Suevici ad A. 1694, ubi de directorio ejus agitur. 21) Thalerus mnemonicus
161. Comitis Yſenburgi ac Budingæ, *Wolffgangi Erneſti I*, ad A. 1618. 22) Numus mnemonicus, referens inaugurationem Academiæ Halenſis Fridericanæ, ad A. 1694, ad quem
170 ſeq. Commentarius apparet in *J. P. de Ludewig Hiſtoriam urbis & Academiæ Halenſis*, quo fama *Chriſtiani Thomaſii* merito defenditur, ac *Samuelis Stryckii*, D. *Simonis*, *Henrici Bodini*, *Jo. Franc. Buddei*, *Chriſtophori Cellarii*, *Joannis Wilhelmi Baieri*, D. *Breithauptii*, Abbatis, in ſententiis ſuis admodum pertinacis, vindiciæ ediſſeruntur. 23) Rarus Florenus aureus Nordlingæ urbis imperialis, ad A. 1452, cum nonneminis de hac urbe Commentario hiſtorico, demorſos ungues ſapiente, ex quo patet, Autorem Cel. cauſam urbis Wormatiæ adverſus *Schan-*
185. *natum* egiſſe. 24) Numus, referens memoriam ſecularem Societatis Jeſu, ad A. 1639, in cujus antica imago *Urbani VIII* exſtat,

Digitized by Google

extat, in postica vero nil nisi inscriptio: *Munificentia Ant Barberini S. R. E. Card. Cam. Societ. Jesu ann. C. pie celebrato S. MDCXXXIX. V Kal. Oct.* Quam quidem societatem *Paulus V* A. 1606 in decreto bullato annumerat mendicantium ordini. Jubileum hoc societatis describitur in libro: *Imago primi Seculi Societatis Jesu a provincia Flandro-Belgica ejusdem societatis repraesentata*, ex officina *Plantiniana Balthasaris Moreti anno societatis seculari 1640*, fol. 25) Numisma unilaterale, referens *Nicolaum Crellium* A. 1601, 9 Oct. Dresdae obtruncatum, antea Electoralem Cancellarium. 26) Antiquissimus Norібergae integer Thalerus aureus, ad A. 1528, cujus cum expositione Autor suam conjunxit valedictionem, ac itineri Gottingam instituendo sese accingere coepit. 27) Thalerus urbis Gottingae, ad A. 1659. 28) Numisma, servans honorem Theologi Noribergensium celeberrimi, ad S. *Sebaldi* aedem primarii, *Joannis Michaelis Dilberri*, ad A. 1666. 29) Thalerus *Joannis Francisci Eckeri*, Episcopi & Principis Frisingensis, Baronis *de Kapfing* & *Lichteneck*, ad A. 1709. 30) Praeclarum Numisma Papae *Clementis X*, cum Pag. 235. consueta Papali legitimatione, ad A. 1670. 31) Illustris Numus Reginae *Margaretae*, tribus Scandinaviae regnis dominatae, ad A. 1395, in cujus antica putant genitale conspici muliebre, quod per O initialem vocis *Orebro* explicat Autor. 32) Nu- 248. mus mnemonicus Ducis Slesvicensis ac Holsato-Gottorpiensis, *Christiani Alberti*, in memoriam transactionis, cum Rege Daniae initae Altonaviae A. 1689, d. 20 Jun. 33) Thalerus Ducis Holsato-Gottorpiensis, *Joannis Adolphi*, ad A. 1611. 34) Duo rari Kronemannici Thaleri, ex argento, ut putant, alchimico facti, ad A. 1678, 79. 35) Thalerus *Joannis* junioris, Ducis Slesvico Holsatici, conditoris lineae Sunderburgicae, ad A. 1612. 36) Thalerus sesquiuncialis Comitis Holsato-Schauenburgici, *Ernesti*, cum ejusdem symbolo, ad A. 1619. 37) Rarissimus unila- TAB. III teralis Metallio, servans memoriam *Hieronymi Savanerolae*, Do- Fig. 3. minicani, quondam combusti. 38) Florenus aureus Imperatoris *Ruperti*, ad A. 1402. 39) Numisma, referens Astronomum



Digitized by Google

Dantiſcanum, *Joannem Hevelium.* 40) Rarus Numus argenteus Regis Luſitani, *Sebaſtiani*, ad A. 1578. 41) Rarum Numiſma *Philippi Magnanimi*, cum ejus ſymbolo, ad A. 1535. 42) Thalerus haud vulgaris *Wilhelmi VI*, Landgravii Haſſocaſſellani, ad A. 1655. 43) Pulchrum Numiſma *Petri Brahe*, Drotzeti Sueciæ. 44) Rarum Numiſma, referens Conſiliarium Imperatorium, *Vincentium Muſchingerum.* 45) *Ludovici XIV* Numiſma in exſtinctam ſui regni religionem reformatam, ad A. 1685. 46) Minutus aureus Numus mnemonicus Cœnobii Neoburgi in Alſatia inferiori. 47) Rarus argenteus Imperatoris *Friderici II.* 48) Thalerus glorioſe beati Ducis Brunſuico-Luneb. *Ferdinandi Alberti* ad A. 1735. 49) Numiſma, referens *Hugonem Donellum*, Jureconſultum Altorfinum, olim magnum, ad A. 1590. 50) *Rudolphi I*, Regis Romanorum, rarus Numus, Aquisgranenſis coronationis index, ad A. 1273. 51) Thalerus pulcher *Ludovici Rudolphi*, Ducis Brunsſuico-Luneburgici, ad A. 1734. 52) Ducatus duplicis pretii *Guſtavi* Comitis *in Sayn* & *Witgenſtein*, ad A. 1687. In Supplementis exhibentur ſex veteres Bohemici Numi, quorum deſcriptionem ſuppeditant literæ ſubjunctæ, ac unus Gottingæ urbis groſſus, ad A. 1495, nec non Epiſtola Ven. *Rambachii*, ante aliquot annos beate defuncti, ad Ill. *Joannem Petrum de Ludewig*, in qua ipſius dictatura in orientem Academiam Gottingenſem ſerio notatur. Non poſſumus, quin Cel. Autori nomine publico gratias agamus pro tot rei numiſmaticæ ac hiſtoricæ ſpeciminibus apprime exquiſitis ac limatiſſimis, nuncupantes vota, ut Deus eidem vires ſufficiat ad ſalutem ipſius, & rei literariæ, cui totum ſeſe mancipavit, fructus diuturnos!

TAB. III Fig. 4.

## Neben-Stunden,
id eſt,
## *HORÆ SUBSECIVÆ. DAVIDIS GEORGII STRUBEN, Regii Britannici ac Electoralis Hannoverani intimi Juſtitiæ Conſiliarii.*

*Pars I.*

Digitized by Google

# Pars I.

Hildeneshemii, impensis typisque Plonii Almonii, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 18.

Celebritatem obtinuit Ill. Autor dudum scriptis literarumque monumentis, quibus ex Historia antiqua & media, atque e Diplomatibus, origines & fundamenta jurium Germanicorum protrahuntur, illustrantur, & confirmantur. In præsens id statuit, ut vincula Ordinum imperii cum eis, qui ipsis sunt obnoxii & subjecti, ex vetustioribus & recentioribus ætatibus investigaret. Spicilegia in hoc negotio restant haud una. Licet enim Seculis duobus, quæ proxime nos præcesserunt, facies Germaniæ fuerit admodum mutata, nec instituta superioris memoriæ ad res hujus, quo vivimus, temporis possint promiscue adaptari; stat tamen illa veritas, jura, leges, ac consuetudines, quibus adhuc suus est vigor, ex antiquitatibus exponendas esse, ac institutis pristinæ ætatis esse assurgendum, nisi, mutationem contigisse, solidis argumentis possit demonstrari. Et quis inficiabitur, jura Procerum & dominorum, eorumque vincula cum suis, sæpius e Diplomatibus esse decidenda, quæ ævo medio literis fuerunt consignata, quibus exponendis nemo aptus est, nisi qui solida historiæ Germanicæ cognitione est imbutus. Apolline secundo Ill. Autor in hac *Parte* quinque argumenta, ad quæ exponenda inprimis notitia ævi medii multum confert adjumenti, pertractavit. Primo quidem disseruit de eo, quem Germanici Capitulares basilicarum ostentant, hæreditario ac fundi dominatu. Elaboravit idem sedulo, ut medio tutissimus iret, tribueretque suum Episcopis, Capitularibus, Ordinibus provincialibus. Muneris, quod olim Hildeneshemii gessit, rationes ita fuerunt comparatæ, ut doctrinam, quam exposuit, argumentumque id satis obseptum, crebris meditationibus tentare, resumere, tractare, retractare, & expolire, potuerit. Secundo exposuit jus Germanicæ Nobilitatis venatorium, de-

nuo contendens, plerisque Nobilium propriam fuisse naturalem licentiam in suo venandi, eamque illis nullo posthæc tempore esse ereptam. Sensit aliter Consiliarius Judicii Aulici Imperialis, *Joannes Ulricus Cramerus* in *Vindiciis regalis juris venandi*, Nostrumque passim ut refelleret, suarum partium esse duxit. Vocavit Ill. Vir, cujus Horas laudamus, argumenta, sibi opposita, sub examen, & ea, quæ in viros ultra eruditorum plebem evectos cadit, humanitate ac modestissima prudentia in respondendo usus fuit. Tertio appulit studium ad doctrinam de Advocatiis & judiciis provincialibus Principum ac territorii dominorum. Disceptant scilicet cum Rege Angliæ Augustissimo, qua Duce Saxo-Lauenburgico, Lubecenses adhuc de advocatia Mœllenensi. Duces Saxo-Lauenburgici omnino A. 1359 Advocatiam Mœllenensem cum oppido ipso Lubecensium senatui populoque oppignorarunt. De hoc momen-
Pag. 297. to inter utrosque lis superest nulla, nulla dissensio. Quanta autem fuerit & qualis illa Advocatia, id est illud juris caput, quod in controversia versatur. Patronus causæ Lubecensis jam duplicavit demonstrationem juris partis suæ. Examina-
414. vit & discussit Ill. Autor priorem. Nunc vero in eo est totus, ut posterioris incidat alas. Quarto ostendit discrimen inter officia feudalia equestria superioris ætatis ac præstationes, quæ
495. vigent hoc tempore. Opinionem eorum a sese improbari, qui equestres viros, feudis instructos, credunt olim iisdem officiis, ac milites nostros conductitios, obstrictos fuisse, inficiatur fusius, quam in *Parergis Gotting. Lib. III Obs. 9.* Quinto disquisivit originem & naturam regalium, quibus diversæ civitates mediatæ gaudent. Ex hac tractatione, quæ non minus lucernam olet, quam reliquæ expositiones, delibabimus pauca.
499. *Villa* medio ævo sæpius urbem & civitatem muris cinctam designavit. Urbibus præfuerunt tunc per Germaniam Comites & Advocati. Sub Imperatoribus Saxonicis nulla adhuc exstitit urbs, quæ per senatores, a populo electos, fuerit gubernata, qualem annumerare solent Publicistæ civitatibus, libertate Romana gavisis. B. *Gottlieb Sam. Treuerus* huic posteriori opinioni

ni favit, quam Juris publici doctores haud pauci amplectuntur, rati, civitates imperiales, vel regales, libertate Romana præditas fuisse. Provocavit B. *Treuerus* ad *Odilonem* in *Vita Adelheidis Imperatricis Cap.* 7, qui *urbis Salsæ sub libertate Romana factæ* meminit, & ad *Sigonium de Regno Italiæ Lib. VII Cap. 175*; Pag. 502.
Noster vero ostendit, in singulis Germaniæ urbibus, quarum indoles prisca est comperta, Comites, Advocatos, & Scultetos, Regum exstitisse. In Argentinæ oppido ipso viguerunt olim Advocati, immo Comites, seu Burggravii Regis. Goslariæ præfuit Advocatus Imperatorius. Idem de Northusa prædicandum. Urbes præfectoriæ fuerunt Ducibus &, qui illis erant subordinati, Comitibus & Advocatis, a Rege positis, obnoxiæ. Civitates regales, a Ducum potestate immunes, Regiæ jurisdictioni supremæ & ordinariæ paruerunt. Civitates Italiæ, in quibus Consules potestatem insignem tenuerunt, a Comitum jurisdictione haud fuisse alienas, Autor exemplis & testimoniis confirmavit, arbitratus, ex adductis testimoniis 506.
ex *Ekkehardo*, *Walafrido Strabo*, *Alberto Stadensi*, Chronico Austriaco, *Wippone*, & *Martenii* chartis, sat cognosci, Comites & Marchiones ævo medio jurisdictioni & potestati Ducum subfuisse. Deinde naturam Advocatorum, qui urbibus præ- 541.
fuerunt, dispexit, negavitque quam solidissime, potestatem Advocatorum fuisse limitibus expertem. De jure præsidii ac clavium, in urbibus servari solito, erudite commentatus fuit. Qua ratione urbium creverint vires, copiose recensuit. Hasce ostendit pullulasse 1) ex imminuta Regum potentia, quibus Duces Principesque sensim Sec. XII, XIII, XIV, jurisdictio- 553.
nem territorialem ademerint, sibique vindicarint; 2) ex munimentis ac divitiis oppidanorum, præcipue ante pulverem pyrium inventum; 3) ex fœderibus, & Hanseatico, & aliis; 4) ex 566.
invidia & æmulatione Principum mutua; 5) ex acquisitis advocatiis & juribus sat eximiis. Tum vero, qua ratione vires urbium decreverint, ac vigorem exuerint suum, aggressus fuit significare. En rationes. Diffidationes mutuæ a *Maximiliano I* sublatæ sunt. Pulvere pyrio invento, oppidani muris

 suis

Digitized by Google

ſuis haud amplius confidere potuerunt. Principes tributa cœperunt colligere, militemque alere perpetuum, jus primogenituræ introduxerunt, & hiſce artibus extulerunt caput. Ur-
Pag. 573. bes contra ad paupertatem inclinarunt, fœdere Hanſeatico diſſoluto. Oppidani paſſim, democraticas turbas pertæſi, Principum fidei ſeſe dederunt, & tutelam aliorum porro expetere recuſarunt. Recentiori tempore Principes Conſiliarios allegerunt intimos, eisque urbes, earum magiſtratus & commercia, tradiderunt curæ cordique habenda. Cuderunt nonnulli urbium patroni hunc canonem: *Quicquid oppidani Principibus haud tribuerunt ac tradiderunt juris, illud Principibus*
577. *non eſt aſſignandum.* Imperatores enim jura ſua paſſim Principibus in urbes contulerunt. Urbium multæ in patrimonio Principum conditæ ſunt, qui in illarum molitiones, rebellionis plenas, nunquam conſenſerunt. Diſputavit Autor adverſus *Schannatum* eo, quod hic Epiſcopis Principibus tribuerat *libertatem plenam pro arbitratu agendi.* Oſtendit enim ipſe, poteſtatem, Ducibus Comitibusque & Advocatis olim
590. permiſſam, translatam fuiſſe in Epiſcopos nonnullos, eamque fuiſſe delegatam, ac terminis ſuis circumſcriptam. Pace Weſtphalica jura & privilegia urbibus fuiſſe erepta, negavit. Deinde de jure præſidii militaris civici expoſuit, de jure fœderum, de jure legum ferendarum, de jure collectarum, &c. Ex qua fimbria de reliquo texto facile fit judicium, ſiquidem Horis hiſce tanta ineſt perſpicuitas, delicioſa elegantia, & ſoliditas, ut eæ non ſint carpendæ, ſed lectionum aſſiduitate penitus tranſigendæ.

## *LUDOVICI MARTINI KAHLII, PHILOSOPHIÆ & Juris utriusque Doctoris, illiusque Profeſſoris publici ordinarii, Commentatio Juris publici de Trutina Europæ, quæ vulgo appellatur* die Balance von Europa, *præcipua belli & pacis norma.*

Got-

Digitized by Google

Gottingæ, apud fratres Schmidios, 1744, 4.
Plag. 14.

Integra civitatum multarum systemata sub uno capite constituendi libidinem, quæ Principes quosdam invasit, Chaldæorum, Assyriorum, Persarum, Medorum, Græcorum, Romanorum, aliorumque, declarant exempla. *Sallustii* illud: *Una & vetus causa bellandi, cupido proferendi imperii*, observatur & apud veteres, & recentiores, gentes, sive animum advertamus ad eas, quæ soli orienti subjectæ sunt, sive ad nationes, quas occidens radiis suis collustrat. Has inter præcipue Hispani & Galli cristas erexerunt; quippe qui variis insidiis percusserunt vicinos, contulerunt pestem exteris, ingentemque sibi, jam ante duo & quod excurrit Secula, pararunt potestatem, reliquis Europæ principibus exitium paraturi omnibus. Cum vero sola injusta vis possit media suppeditare, turpi isti obtinendo fini accommodata, dudum Europæorum Principes obices ponere studuerunt & repagula, quæ haud facile pervelli frangive possint; atque hinc Trutina, de qua Cel. *Kahlius* disputat, inprimis fuit convertenda ad usus. Appellatur autem *trutina*, seu *bilanx*, *gentium*, vulgo *die Balance*, institutum gentium, quo imperia ita confirmantur, ut proportio virium determinata servetur, ne in damnum aliorum nimis augeantur, sed salus communis commode sustineatur. Re ipsa vero gentes stateram appendisse sibi invicem, vel ea libranda imponere negotia publica præcipuaque, probat luculenter Cel. *Kahlius* tam ex tacita gentium consensione, naturaque status, quem obtinent, quam ex conventionibus expressis, inter eas sancitis. Quantum ad illam, hæc monenda sunt: Quælibet gens in statu naturali consideranda est tanquam hostis alterius; qui enim, propensos ad pacem esse mortales, vel quemlibet populum alterius amicitias colere, existimat, is egregie fallitur, ac tam experientiæ repugnat, quam ignarus est rerum omnium. Fingamus, vicinos nostros servare pacta, & officia sequi tuenda, quis, quæsumus, inde evincere poterit hanc enunciationem: Ergo nunquam in periculum adduci poterit respublica nostra a vicinis

vicinis illis? vel quis hanc eruet? non turbidæ fidei, nec ambiguæ, erunt unquam provinciæ suburbanæ. Risum movent, qui Juris civilis istam de bonitate hominum præsumtionem reponere nobis velint. Hæc levi probabilitate animos percutit regula, sed præsidium non affert, in quo acquiescere liceat. Quæ possunt facili modo dare damnum gentes, id etiam plerumque solent injungere; nam vix cunctantur, nimirum vehementer exspectant, & ea desiderant, quæ bona videntur, quamvis re ipsa mala sint. Quis adeo nullius animi est, ut velit exspectare, donec Princeps, immoderatis præditus opibus, servitutis jugum imponat omnibus? Ratio summa imperiorum est, ne noceri possit. Quamvis enim in statu civili, ob opem a principe ferendam, ingens debeat semper esse periculum, quod vi aperta propulsare licet; id tamen ad naturalem, seu libertatis, statum applicandum minus est. Si melius sæpe est, intacta jura in statu civili servari, quam post causam vulneratam remedium quærere, secundum *l. ult. C. In quib. caus. in integr. restit. necesse non est*, sane multo magis in libertate naturali positi homines isto jure utuntur. Quilibet perspicit, & infinitis exemplis Autor id declaravit, nimiam alterius potentiam, vel statim, vel post temporis intervallum aliquod, nocere, & interdum Principes ipsos justos, maximis firmatos opibus occœcatosque, ad arma animum attendere, justasque causas subesse credere bellis, iis inferendis, quorum res tenues, seu afflictæ, sunt; cum tamen injuria minus sint ab his lacessiti. Sane *Puteani* verba tunc locum habent: *Alter causa, alter viribus, melior; vires enim causam effecere.* Igitur non prudentiæ solum regulæ jubent, ut cancellis circumscribantur permagna capientes incrementa populi, sed ipsa necessitas cogit illud atque efflagitat. Ex dictis igitur facile est ad intelligendum, gentibus hæc tela per varia instituta esse depellenda, & tacita consensione illas æquilibrium præfinire, & reliquas nationes hostium more impugnare, quæ rumpunt, vel labefactant, institutum istud, quod generis humani rationibus conducere putamus maxime. Redeunt hic igitur cuncta ad proportionem

pote-

Digitized by Google

poteſtatis, ſtatui rerum publicarum convenientem, quippe qui hodienum e. c. conjunctionem harum illarumve provinciarum permittit, quoniam ætate noſtra non eſt impedimento ſaluti communi, alio autem tempore imperia quædam divellit ac diſtrahit, quia officiunt atque obſtant ſalutis gentium remediis. Aperiens, quid ſit *Trutina*, Autor noſter, non ex ſtatu ſolum naturali, ſed ex omnis ævi etiam monumentis, eruit probationem notionis ſuæ; ac ſolide repudiat, quæ hauriri poſſint ex fallacibus juris præceptionibus, dubia. Animus non eſt, afferre gentium bene multas conſtitutiones, hanc in rem a Cel. *Kahlio* excitatas; attamen nonnulla ſeculi noſtri exempla attingere libet. Meminit merito fœderis, inter ſacram Cæſaream Majeſtatem, *Leopoldum I*, Regiam Majeſtatem Britanniæ, *Wilhelmum III*, nec non præpotentes Ordines generales fœderatarum Belgii provinciarum, Hagæ Comitum die 7 Sept. A. 1701 initi; neque minus huc facit Tractatus pacis & amicitiæ, inter *Annam*, Magnæ Britanniæ Reginam, & *Philippum*, Ducem Andegavenſem, tanquam Regem Hiſpaniarum, confectus. Spectat huc porro Tractatus pacis & fœderis, inter *Philippum*, Ducem Andegavenſem, vel Hiſpaniæ Regem, & *Victorem Amadeum*, Sabaudiæ Ducem, compoſitus die 8 Nov. A. 1713. Conferatur etiam Concordatum & fœdus (quadruplex fœdus vulgo dictum), inter *Carolum VI*, Romanorum Imperatorem, & *Ludovicum XV*, Regem Galliæ, atque *Georgium*, Regem Magnæ Britanniæ, Londini die 22 Jul. A. 1718 ſubſcriptum. Jungatur iis pax inter *Carolum VI* ab una, & *Philippum V* ex altera parte; qua, tractatu Londinenſi anni 1718 pro baſi hujus ſtatuto, regna Hiſpanica & Indiarum Regi *Philippo*, Neapolis vero, Sicilia, & omnes ceteræ ditiones & provinciæ, quas Cæſar ex monarchia Hiſpanica in Italia & in Belgio poſſidet, ſuæ ſacræ Cæſareæ Majeſtati ceduntur. Addere liceat *Acte d' Acceſſion de L. H. P. au Traité d' Hanovre*, qui Tractatus Hagæ Comitum compoſitus eſt die 9 Aug. A. 1726. Non dicemus de fœderibus, quorum finis cum illis convenit, ab Autore noſtro non ſine diligentia ſingulari collectis, cum tam ex his, quam ex illis, hæc conſecutio efficiatur:



Digitized by Google

Bilanx, quam omnes gentes oportet ſequi, in Europa eſt belli & pacis norma præcipua; cum Europæi non obligatione tantum univerſali adſtringantur trutinæ, ſed & multæ inter eos gentes vinculis novis, nimirum pactionibus, publicæ ſalutis obtinendæ ſervandæque cauſa confectis, devinciantur. His expeditis, evincit Autor, eos, qui trutinam rerum publicarum infringunt, armis laceſſere licere. Cum vero modica ne Prætor quidem curet; omnibus eſt apertum, nimiam potentiam gentis cujusdam non facile oriri ex propriis fructibus & reditibus, ſemel ei aſſignatis, ſed progigni ex aliis acceſſoriis, vel iis ſpeciatim, quæ ex conjunctione nova provinciarum magnarum, ſive bello, ſive hæreditatibus, ſive conventionibus, acquiſitarum, fluunt. Hinc plerumque animum advertimus ad regiones novas occupatas, ſi de æquilibrio quæſtio eſt, vel cauſa belli iſtinc emanat legitima. Verum nec ob cumulatas, vel adauctas, provincias præliis certandum ſemper eſt, quoniam illæ interdum æquilibrium haud turbant. Si enim ob quælibet, vel leviſſima, momenta mutata bilancem dubiam prorſus, vel ſublatam, putas, eamque ob rationem ad bellum deſcendere cupis, ſemper ſane eſſe deberent gentes in armis. Hæc igitur fuſius a Conſultiſſ. *Kahlio* enodantur; uti etiam inprimis eorum ſententiam defendit, qui, poſſeſſori bonæ fidei, ob æquiſibrium gentium, eripiendum eſſe aliquando dominium, exiſtimant. Ex natura nimirum ſocietatum colligit, ſingularia gentis cujusdam commoda cedere debere communibus populorum reliquorum utilitatibus; &, oſtraciſmi ſimilitudinem, quam non pœnam, ſed invidiæ allevationem, & magnæ potentiæ imminutionem, vocat, deprehendi in trutina Europæ, aſſerit appoſite. Quemadmodum igitur ex rationibus rite ſubductis Cel. Autor oſtendit, legitimos dominos excludi interdum, ob bilancem Europæ, ab imperio nonnullarum regionum, & declarat, imperia quædam, æquilibrii gratia, tuenda eſſe; ita colligit, multo magis iniquos dominos æquilibrio Europæ amoveri a regnorum quorundam adminiſtratione. Denique ex fontibus iſtis haud paucas elicit argumentationes, ad præſentem rerum in Europa geſtarum rationem

tionem ſpectantes. Commentationem ſuam præterea uberrimis adornavit exemplis, omnis ævi hiſtoriarum fide munitis. Quibus ſane omnibus multa, eaque graviſſima, publici Juris capita illuſtrata ſunt, corroborataque.

*NOTÆ SELECTISSIMORUM COMMENTATORum Judaicorum in Pſalmos Davidis, ex collectione Hebraica Celeberrimi Viri, D. HENR. JAC. VAN BASHUYSEN, Latine redditæ a CONRADO STEPHANO MEINTELIO. Libro I Præfationem præmiſit, animadverſiones adſperſit, emendationesque textus Rabbinici totius opuſculi, una cum Indice locorum Biblicorum, ſubjunxit, JO. GEORGIUS MEINTEL, C. S. pater. Accedit ejusdem Diſſertatio in Levit. XI, 20, 21, 22, ANDR. NORRELIO, Sueco, oppoſita.*

Suabaci, impenſis Joannis Jacobi Enderes, 1744, 8.
Plag. 18.

Satis abjecte tum de plerisque tractus Coi linguis, tum de literis ſpeciatim Rabbinicis, ætate noſtra tantum non omnes exiſtimare ſolent. Quo fit, ut deſiderentur ii, qui ad illud literarum genus ſe applicant, & paucorum animi ad ſeveriora hæc ſtudia perſequenda inflammentur. Neque tamen deſunt, qui facem aliis in hoc negotio præferre, eorumque commodis variis modis inſervire, ſtudent. Volvit hoc ſaxum inde a longo tempore Cel. *van Bashuyſen*, tantamque ea re nominis famam conſecutus eſt, ut illa neminem fugiat, vel leviter iis literis tinctum. Non ultimum Viri hujus meritum eſt, quod *Pſalmos Davidicos*, variorum ac præſtantiorum *Rabbinorum* Commentariis illuſtratos, typis exſcribendos curarit, alioſque, ut inde proficiant, laudabili omnino conatu invitaverit. Hæc Viri collectio, quod ad *Librum primum*, comparet in libello præſenti, veſte Latina tecta, notisque illuſtrata. Quicquid hic factum eſt, a *Meinteliis* proficiſcitur. Ac verſio quidem libri Filio,

 Conrado

Digitized by Google

*Conrado Stephano*, reliqua omnia *Joanni Georgio*, Patri, debentur. Rationem instituti ut rectius Lectores intelligant, adeunda est copiosa Præfatio, a *Meintelio*, Patre, præmissa. Hic principio de iis differitur, qui Rabbinos contemtui exponere apud alios annituntur, eorundemque libros abjiciendos, & oculis aliorum igne flammisque subtrahendos, clamant. Multis Romanorum Pontificum, a temporibus *Gregorii IX* fulmina horrenda adversus eos libros emittentibus, alios obstitisse ex ipso Pontificum numero, Edictis contrariis divulgatis, ex *Wolfio* docetur. *Pfefferkornio*, cum *Theologis Coloniensibus* iisdem libris interitum minitanti, *Jo. Reuchlinum* se opposuisse, refertur. *Jo. Forsterum* inprimis incredibili studio, omnique nisu, id egisse, ut ad despiciendos Judæorum Commentarios permoveret alios, copiose & erudite docetur. Nec defuisse eo tempore, quo tumultuatus est adversus eos in Germania *Forsterus*, quosdam in Hispania, subjicitur, qui motus eam ob causam cierent; cum e contrario præ Rabbinis pugnarit famosus ille *Jo. Mariana*, de quo apud *P. Bælium* plura leguntur. Progreditur Auctor doctissimus ad Seculum XVII, ubi acerrimum Rabbinorum oppugnatorem offendit in *Isaaco Vossio*, quem tamen castigatum ab Autore *Disquisitionis criticæ de variis Bibliorum editionibus*, significat. Rabbinorum causam egisse maxime *Theodorum Hackspanium*, rectissime ibidem afferit. Excitat alios, dente theonino Rabbinorum Commentarios olim rodentes, *Claud. Fleury*, *Joannem Clericum*, *Eduardum Bernardum*, alium etiam scriptorem libelli cujusdam Germanici, quibus tamen omnibus occurrisse & *Lakemacherum* in Oratione singulari, studium Rabbinicum a contemtu vindicante, præterea & *Basbuysenium*, de neglectu studii Rabbinici, ejusque causis & remedio, commentatum, egregie accurateque docetur. Postquam adversarios Rabbinorum persecutus est Auctor Clarissimus; subnectit eos, qui non tam ipsos Hebræorum magistros, quam librorum illorum versionem, odio prosequuntur. Huc refertur *Georg. Elies. Edzardi*, qui, metuendum esse, existimavit, ne ex translatione librorum

Judaico-

Judaicorum, faciliori ſtilo exaratorum, idem ſuboriatur detrimentum, quod ex Scriptorum Græcorum verſione profectum meminimus. Quod ad Græcos Scriptores, conſentire eum, ait, cum *Jo. Matth. Geſnero*, ad *Moſen du Soul* provocante. Contra quem tamen verſionum illarum uſum *Jo. Sam. Müllerus* in Præfatione ad VII Dialogos *Platonis* evicit. De Græcis ſcriptoribus diſtincte hic eſſe loquendum, *Meintelius* ſubmonet, Hebræorum autem Scriptorum diſparem eſſe rationem, oſtendit. Nam, cum Hebræorum libri vel annotationibus plane nullis, vel tamen Rabbinicis duntaxat, explanati prodire ſoleant, opus eſſe ait verſionibus, cum non ubique magiſter idoneus adſit. Eſſe quosdam, pergit, libros Rabbinorum, quibus primordia in his literis capienda ſint, quique verſionē egeant, quæ principio conferri, poſtea ſeponi, poſſit. Non tamen ſemper translationem expetendam eſſe integram, ſed ſufficere particulas, velut introductionem ad cetera intelligenda, recte omnino ſcribit. Pro ratione librorum ſubjungendas etiam eſſe, adjicit, annotationes, quæ textus Hebræi obſcuriora aliqua luce perfundant. Denique, ſi translatio libri alicujus Rabbinici expetatur ab aliquo eruditorum, laudem mereri, exiſtimat, qui petitis ſatisfacere, ſitimque aliorum reſtinguere, velit.

Poſteaquam hæc præfatus eſt Cl. Autor, deſcendit ad inſtitutum ipſum, cujus quidem ratio huc redit. *Meintelius*, Pater, Præfationis Autor, ab A. 1724 usque ad 1730 Rectoris Suabacenſis munus obiens, in amicitiam *Jo. Phil. Baraterii*, nuper fato functi, pervenit. Cujus rei documentum eſſe poteſt propemticum aliquod Hebraicum, Præfationi huic inſertum, quo ab eo *Baraterio Meintelius* exornatus fuit. Huic *Meintelio* cum naſceretur filius, qui hunc librum confecit; autor & ſuaſor exſtitit ei pater *Baraterii*, ut filium eadem ratione, qua ipſe ſuum, educaret, ſuaque doctrina imbueret. Annuit pater deſiderio eo eventu, ut cito filius proficeret in lingua Latina, Gallica, Græca, denique et in Hebraica, ita quidem, ut anno ætatis duodecimo utriusque Fœderis paginas avthenticas evolvere poſſet. Imbibit etiam fun-

damenta doctrinæ Christianæ, itemque Geographiam, Historiam, Rhetoricam, Logicam, reliquas etiam Philosophiæ partes. In lingua Græca Scriptores Atticos legit, in Hebraica a libris historicis progressus est ad *Psalmos*, quos Latine & Gallice interpretatus est. Rabbinica denique percipere gestienti commendatum est *Basbuysenii Psalterium glossatum*, quo, non neglectis simul aliorum commentationibus, uti in rem suam potuit. Cujus libri e Præfatione cum cognosceret Filius, versionem ejus ab eruditis expetitam, sed nondum a quopiam confectam, ipse hunc laborem exorsus est, sed admonitu patrio in *Libro I*, *Psalmos XLI* complexo, substitit, anno decimo tertio nondum plane completo. Hæc Filii merita sunt in hunc librum. Cetera sibi Pater vindicat. Hic & ipsam *Præfationem*, qua ratio instituti redditur, præmisit, et *emendationes* textus Rabbinici in *Psalterio Basbuyseniano* ad calcem subjunxit, una cum indicatis dictis Scripturæ, quæ ibi, non allegatis sedibus, afferuntur. Præcipue tamen *annotationibus* variis hunc librum illustravit, in quibus a Rabbinorum interpretatione sacri textus sæpe discedit, diversas eorum glossas, a *Basbuysenio* conjunctás, indicat, aliosque Rabbinorum studiose confert. Hoc unum prætereundum haud putamus, quod ad *Ps. XXII, 17*, in indaganda voce כארי, Criticorum cruce, novam viam ingressus sit Autor. Accipe verba: *Arabice* כר, *per* ר *geminatum*, *est compes*, *item funis*, *unde* כארי *pro* כררי, א *pro* ר *Syrorum more alternante*, *ut in voce* צאלים *Hiob. XL, 16, 17*, א *pro* ל *& Jod Heemanthico superaddito. Quod an non aptum nexui orationis fundat sensum, Lector judicet*. Acquiescit tamen statim in vetere & recepta sententia, et formam Participii Benoni, a כור flexi, cum ם apocopato & א epenthetico admittit. Subtexitur in ultimis libri plagulis ejusdem *Meintelii*, Patris, ad *Christoph. Birckmannum Epistola in Levit. XI, 20, 23*, qua bestiolæ *Arbe*, *Solam*, *Chargol*, *Chagab*, contra *Andr. Norrelium*, Suecum, restituuntur. Ceterum, utilissimo hoc instituto salivam moturos esse lectoribus Autores doctissimos, ut partes ceteras & avide experant,

petant, & eodem, quo præsentem, favore excipiant in posterum, plane confidimus.

## *CATALOGUS LIBRORUM, QUI SECULO XV A. C. N. Norimbergæ impressi sunt, collectus & conscriptus a JO. PAULO ROEDERO, G. Æ. Rect.*

Norimbergæ, typis Arnoldianis, 1742, 4.
Plag. 10.

Symbolam suam ad sacra secularia artis, qua formis æneis scribitur, adjicere voluit Cl. Autor & Collector, idque omnino non sine singulari literarum atque artis illius, nominatim vero Reipublicæ Norimbergensis, commodo & honore præstitit. Neque enim edendi hujus libelli sola causa erat, ut rerum ipsarum testimoniis probaret, habere vel inprimis Norimbergam, cur sibi de primo fusorum typorum beneficio gratularetur; sed jure simul suo non ingratum putabat eruditis, si pleniorem uberioremque librorum, Norimbergæ exscriptorum, cognitionem haurire licuisset, quam quæ sparsim ex scriptis Historiæ literariæ desumatur. Illud ut assequeretur, non quidem omnes, plurimos tamen, ad communicandos antiquissimos libros paratissimos invenit; adeoque vel plurimorum indicem suppeditare potuit. Inter patronos, fautores, amicos ejusmodi liberales, primum merito locum tribuit communi eruditionis columini, *Hieronymo Guilielmo Ebnero ab Eschenbach*, qui non modo totius operis, & hujus etiam Indicis, primum consilium cepit, atque efficiendi legem imposuit *Rœdero*, verum illum pariter ipsum conatum studio industriaque juvit, libris communicandis promovit, commendatione propagavit, & autoritate demum auxit atque amplificavit. Hinc & factum, ut *Frœlichius* ex Bibliotheca Academiæ Vindobonensis, ac *Philippus Lambacherus* ex ejusdem urbis regia, indices ejusmodi librorum, notis instructos, mitterent; ut alios taceamus, quos magno numero in ipsa Præfatione laudat, viros illustres, reverendos, eruditos, omnem per Germaniam dispersos. Delitescunt autem singulatim, quos laudat, libri in Bibliothecis publica Norimbergensi, Augusta

Guel-

Guelpherbytana, Academiæ Altorfinæ, Ægidiana Norimbergensi, Annabergensi, Anonymi cujusdam Norimbergensis, *Benthemio-Læbriana*, *Bunemanni*, Vindobonensibus jam laudatis, civitatis Memmingensis, Cygneensi, *Dietelmaieriana*, *Dilherriana*, *Fenizeriana*, Norimbergensibus, Cœnobii Golluvicensis, Heilsbronnensi, *Krafiiana* Ulmensi, *Leyseriana*, Paulina Lipsiensi, *Schwärziana* Altorfina, Thorunensi, atque aliis. Præsertim vero *Gothofredus Thomasius* laudem hinc meruit eximiam. Ille ipse est, cujus de Bibliotheca *Maittairius Annal. T. I P. II pag. 527: Operæ pretium videtur, uberiorem & pleniorem catalogum, quam quem Saubertus dedit, de antiquis editionibus Bibliothecæ publicæ Norimbergensis ab aliquo docto Norimbergensi requirere. Ibidem celeberrimi Polyhistoris & Medici Norimbergensis, Thomasii, Bibliotheca esset consulenda.* Libri ipsi secundum annos in percensione ordinantur, atque illis ipsis demum appendix subjungitur eorum, qui loci ac typographi indicio destituuntur. Primum locum occupant libri anni 1470, atque in his *Francisci de Retza* Comestorium vitiorum, ubi in fine legitur: *Hic Codex egregius Comestorii vitiorum sacræ Theologiæ Professoris eximii Francisci de Retza Ordinis Prædicatorum finit feliciter Nurembergæ Anno ZCLXX° patronarum formarumque concordia & proporcione impressus.* Atque ita plerisque libris non solum subscriptæ notationes adduntur, sed & breviores animadversiones Bibliothecæ, quibus insunt, & scriptores, qui fusius vel de libris, vel de Autoribus illorum, egerunt. Longum adeo foret ac perquam difficile, vel omnem librorum, quorum 481 sunt, indicem dare, vel notatu indidem excerpere digniora. Dignus est liber, cum parvæ potissimum sit molis, qui ipse consulatur ab istiusmodi rerum studiosis. Inprimis autem hortandi sunt usquequaque viri docti, ut, exemplum Cl. Autoris imitantes, suæ quisque urbis vetustiora in rem typographicam merita, e tenebris protracta, literarum monumentis, atque ipsi consecrare æternitati, studeant; quo quippe uno futurum est, ut pleni & compositi Typographiæ Annales, *Maittairianis* multo præstabiliores, ad seram transmitti posteritatem possint.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Julii Anno MDCCXLIV.*


## *PHOSPHORUS HISTORIARUM, VEL Prodromus Theatri summorum imperiorum, hoc est, Historiæ politicæ universalis partis potioris & principalis, sistens recensionem, catalogos, vel, si mavis, sciagraphiam, aut tabulas Principum vel imperantium in illis imperiis, etiam regnis eisdem connexis, una cum enumeratione ditionum geographica; præmissa integro Operi pro expeditiori Mapparum usu, hæc imperia illustrantium, proxime edendarum, & pro introspiciendo scopo & indole earundem, ac totius instituti, Autore JO. MATTHIA HASIO, Mathem. Prof. Publ. Ord. Witteberg.*

Lipsiæ, sumtibus Jo. Frid. Gleditschii, 1742, fol.

Alph. 2 plag. 11.

Cel. Autori, qui mature nimis & rebus humanis & nobis fuit ereptus, visum fuerat Oratione A. 1728 d. 30 Aprilis in Panegyri creationis 33 Magistrorum Philosophiæ de summis Imperiis exponere. Constituerat ipse jam antea dare Tabulas geographicas, singulis imperiis congruentes, easque secundum legitimos, at vulgo ignotos, projectionum modulos elaboratas atque perfectas. Construxerat primo figuras Mapparum novem, ita comparatas, limitumque punctis variis distinctas, ut illuminatione diversa, & varia colorum distributione, tum singula imperia, tum varii horum status,

qui ad ea rectius dijudicanda faciunt, potuerint exhiberi. Inde porro evenit, ut illud Mapparum systema Schematibus 33, vel 34, constet. Quam præsens Opus repræsentat formam, eadem forma vel magnitudo illis est, eædemque sic sunt adornatæ, ut pro instituti ratione omnia satis accurate atque distincte oculis intuentium sese sistant. In præsens significamus, editam esse hanc Theatri historici partem loco Isagoges, quæ definitiones & principia, una cum quæstionibus huc referendis, historiamque imperiorum antiquissimorum, Ægyptiaci & Assyriaci inprimis, contineret. Prima autem Operis pars, & Prodromus ejusdem, immo & editio Mapparum ipsarum geographicarum æque ac chronologicarum, jam æri incisarum, & maximam partem coloribus ornatarum, moram fuerunt passa, fatis invidis bono conatui obicem ponentibus. Repagula autem & remoras, operi immissas, removit tandem *Gleditschius* nostras, vir ex omnium confessione de re literaria optime meritus, meritisque celebratissimus, qui, utilitatem præstantiamque operis edoctus, illud statim fuit evulgare aggressus, nec prætermittet ullum laborem ac sumtum, ut opus & Historiæ, & Chronologiæ, & Mapparum geographicarum, in lucem prodeat sereniorem. In Phosphori autem hujus limine exhibetur *Oratio* B. Autoris, *de summis imperiis* inscripta. In ea disseritur non de quatuor, sed summis quibusque, imperiis, videlicet Ægyptio, Assyriaco, Persico, Græco, Romano, Parthico, Arabico, Muhammedano, Francico, atque Germanico-Romano, Tatarico, seu Mugalico, Timurico, Turcico, seu Ottomannico; Russico, atque Sinico. Reliqua tractatio exhibet nervos & articulos historiæ singulares. *Capite primo* agitur de historia sacra politica, seu regno Judaico, exordiumque ab orbe condito deducitur. Haud omisit Autor seriem summorum Pontificum simul repræsentare. Exhibuit præterea ipsos Judææ procuratores, ac *Pontio Pilato* subjunxit
Pag. 6. *Marcellum* & *Agrippam* seniorem, cui posthæc *Cuspius Fadus* successerit. Adjecit Judæorum rebus appendicis loco regna Ismaelitarum, Idumæorum, Amalekitarum, Moabitarum, Ammonitarum, Cananæorum, Philistæorum, Phœnicum, Ara-

Aramæorum, ac gentium promiscuarum. Tum vero breviter delineat imperium *Bacchi*, *Herculis*, atque Amazonum Libycarum. Ægyptio regno subjecit appendices duas, unam de Pag. 10.
Colchis, Libybus circa Cyrenen, & Æthiopibus Macrobiis; alteram de imperio Scytharum, Sacarum & Paraetacarum. Imperium Assyriacum copulavit cum Chaldæo Medicoque. Annexuit huic summo imperio regna varia, Lydorum, Trojanum, & Ciliciæ, aliaque minora, e. g. Cadusiorum, Hyrcaniæ, Armeniæ, Bactrianorum, Arabum, Phrygum, Mysorum, &c. Imperii Persarum historiam distribuit in fabulosam & genuinam. Appendice priori dedit primas lineas regnorum Cypri, Cili- 20.
ciæ, Cariæ, urbium & insularum Græcarum, Cyrenarum, Æthiopum & Meroes, Thraciæque. Appendice posteriori periodos imperii Punici enumeravit. Aggressus tractationem 25.
imperii Græci, adumbravit simul regna perplura, nominatim Spartanum, Sicyonis, Corinthiorum, Elidis, Argivorum, Mycenarum, Arcadiæ, Messeniorum, Achajæ, Atheniensium, Megarensium, Bœotiæ, Thessaliæ, Cretæ, Italiæ ac Siciliæ, atque ipsius Macedoniæ. Imperium Græcum repræsentavit non solum indivisum sub *Alexandro Magno*, sed 49.
etiam divisum in octo regna, nominatim Asiæ minoris, Thraciæ, Macedoniæ, Seleucidarum, Lagidarum, Cyrenarum, *Cyri*, quæ duo posteriora *Lagidis* fuerunt submissa, Atropatenæ Mediæ, Indiæ, ac Bractrinorum Græcorum. Hisce sub- 52.
texuit sciagraphiam regnorum Bithyniæ, Pergami, Cappadociæ, Ponti, Bospori, Armeniæ majoris, Armeniæ minoris, Paphlagoniæ, Comagenes, tetrarchiarum & tyrannidum per Syriam, Galatarum, Ciliciæ, Cypri, Arabiæ, Sophenes, dynastiæ & reipublicæ Heracleensis, ac reipublicæ Rhodiorum. Hæc ad Asiam. Respexit vero deinceps ad Europæa & Africana regna, quæ in intervallum imperii Græci inciderunt. Ap- 63.
pulit attentionem ad regnum Epiri, Athamanum, Dardanorum, Illyriorum, Triballorum, Pæoniorum, Thracumque. In Africam reversus, recensuit regna Numidiæ & Mauritaniæ. Hinc processit ad Imperium Romanum, atque ad regna ac dynastias, quibuscum Romæ fuerunt conjunctiones. Substitit 71.



Digitized by Google

primo quidem in *Constantino Magno*, initiisque Seculi quarti,
atque sic periodum imperii Romani primam finivit. Appen-
dice priori adjuncta enumeravit triginta tyrannos, qui, *Gal-
lieno* imperante, res Romani imperii concusserunt, eosque,
qui Palmyræ imperarunt. Appendice posteriore enumeravit
regna, tetrarchias, aliasque dynastias, quibus cum imperio
Romano nexus fuit clientelaris, & quæ postea maximam par-
tem in provinciarum formam sunt redactæ. Inde recensuit
Imperatores occidentales, ab *Honorio* exorsus, & in *Romulo
Momyllo* subsistens. Subjunxit hisce series Regum Visigotho-
Pag. 74. rum, Suevorum, Alanorum, Vandalorum, Hunnorum, He-
rulorum, Ostrogothorum, Langebardorum, & Exarchorum
Italiæ. Deinceps imperium Romanum orientale pertractat,
initiis ab *Honorio* deductis, & serie ad *Constantinum XI Pa-
leologum* usque continuata. Nec omisit addere regna & gen-
tes, quibus fuit cum imperio tanti intervalli ulla societas, ul-
lus nexus. Recensuit succincte res Gepidarum, Avarum,
85. Slavorum, seu Antarum; & Venedorum, Chrobatorum, seu
Croatarum, Serviorum, Bulgarorum, Walachorum, Cuma-
norum, Patzinakitarum, Turcorum, Colchorum, Iberum,
Armenorum, ac Medo-Armenorum. Progressus porro fuit
ad Imperium Parthico-Persicum, ad Arabicum, idemque Sara-
cenicum & Muhammedicum, præmissis Arabiæ regnis, quæ
96. ante *Muhammedem* floruerunt, Turcarum gentes enumera-
vit potiores. Adjecit dynastias alias Asiaticas, atque Sarace-
133. nos Africanos & Hispanos. Cum ad Imperatores Germa-
niæ processit, percensuit antea res Francorum, Cimbrorum,
Cheruscorum, Suevorum, Marcomannorum, Quadorum,
Vannii, Hermundurorum, Noricorum, Ripuariorum, Bur-
140. gundionum, nec non Thuringorum, Alemannorum, Bajoa-
riorum, Varinorum, & Frisiorum. Imperatoribus Seculi IX
adjecit appendicem de regno Arelatensi Burgundico. Exinde
Imperatores Germaniæ reliquos enumeravit accurate, notatis
imperii incrementis & decrementis. Subjunxit hisce appen-
dicem, qua exposuit de regnis Bohemiæ, Moraviæ, Vene-
152. dorum, & Armeniæ. Incredibilem insumsit operam edisse-
rendis

rendis Asiæ imperiis, nominatim *Mugalico*, cui res Scythicas præmisit, & statum Mugaliæ pristinum præfixit, *Timurico*, *Russico*, *Ottomannico*, ac *Tzinico*. Genealogias & *Zingiscani*, & *Timuri*, & *Zagathaii*, studiose elaboratas dedit. Imperii Russi- 179.
ci constituit periodos duas, unam ante titulum Imperatorium assumtum, alteram sub Imperatoribus. Periodum priorem tripartitus fuit in Sectiones tres. Prima exhibet statum ante servitutem Tataricam. Altera suppeditat notitiam periodi sub Tataris. Tertia offert Principes, qui Russiæ sui juris dominati fuerunt. Imperatores enumerat hosce, *Petrum Alexe-* 181.
*wiz*, *Catharinam*, *Petrum II*, *Annam*, *Joannem*, *Elisabetham*. Imperio Sinico subjecit nomina regnorum & 192.
Principatuum, illi innexorum, resque Japonicæ dominationis.
De regno Abessinio disseruit loco extremo. Integræ autem 201.
tractationi successerunt emendanda & supplenda, ac inter ea *Athalarici*, Ostrogothorum Regis, genealogia atque insignis accessio ad res Turcorum Selkuzidarum, nec non *Achmetis III*, Turcorum Imperatoris, ad *Petrum I* titulus, isque satis amplus, ampullisque plenus. Coronidem tractationi imponit Index geminus, unus, qui imperia & regna, item voces & appellationes exoticas, subministrat, alter, qui tabulas genealogicas, Operi insertas, easque 39, recenset. Dolemus, Autori haud licuisse eo usque vitam prorogare, ut fructus tantæ molitionis vidisset, & gloria sua potuisset perfrui lætus, eique incolumis interesse. Merita certe ejus in Geographiam & Historiam sunt tanta, ut his nihil possit invidia detrahere, nec gloriam ulla oblivio ingrata obliterare.

## THE DESTRUCTION OF TROY etc.

hoc est,

*ILII EXCIDIUM, CARMEN, QUOD ILIADI Homeri subjungi potest, ex Græco* TRYPHIODORI *in Anglicum sermonem conversum, & notis illustratum, a JACOBO MERRICK, e Coll. Trin. Oxon.*

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1739, 8 maj.

Plag. 22 dimid.

ΤΡΥΦΙΟΔΩΡΟΥ ΙΛΙΟΥ ΑΛΩΣΙΣ. *TRYPHIODORI Ilii Excidium, cum metrica NICODEMI FRISCHLINI Versione, & selectis Virorum doctorum Notis. Lacunas aliquot e Codice MSto explevit, & suas Annotationes adjecit, JACOBUS MERRICK, A. B. e Coll. Trin. Oxon.*

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1741, 8 maj.

Plag. 15 dimid.

Liber hic, duplici quasi Parte compositus, constat primum Præfatione, deinde nominibus subscriptorum, tum Dissertatione de scriptione & vita *Tryphiodori*, denique *Tryphiodori* versione metrica. Hæc omnia Anglica lingua scripta sunt. Iis adjunctus est *Tryphiodorus* Græce, cum metrica *Nic. Frischlini* versione Latina, & selectis virorum doctorum notis, Autorisque propriis, & supplementis lacunarum e Codice MSto. In vita *Tryphiodori* incertum ætatis ejus tempus quæritur, laudes deinde & editiones ejus variæ enarrantur. Ubi interdum longius excurrit doctissimus Autor ad talia, quæ magis ad *Virgilii* vitam, & ad historiam Lipogrammatistarum, & Pangrammatistarum, & similium vitiorum descriptionem, pertinent. Anglicum Carmen Autoris perfectum jam erat, cum a *Menckenio* nostro *Frischlinianam* editionem *Tryphiodori*, Francofurti A. 1588 expressam, accepit. Ad *v. 10*, *σβέννυτο θωρήκων ἐνοπὴ*, annotat *Merrickius: Sicut strepitus hic dicitur* exstingui, *ita, per ejusdem generis metaphoram, in Statii Thebaide Lib. VI v. 42* clamor *dicitur fores* accendere:

*- - Integratoque resultant*
*Accensæ clamore fores.*

Eadem metaphora utitur *Virgilius Æneid. Lib. X v. 895:*

*Clamore incendunt cœlum Troesque Latinique.*

Ibidem ad verbum *μινύθεσκεν*, quod fere activum est, hoc loco esse passivum, ut apud *Hippocratem* esse solet, docemur. Ad *v. 15* adscribit, sibi videri *νεύσντες* legendum pro *μύσντες*, quia *νεύειν ἐις τὴν γῆν* sæpe sit præ pudore aut mœstitia defixos in terram oculos habere. *V. 30* subjicit, pro *ἀνεδύσσατο* legendum esse *ἀνεδύσατο*. Eodem *versu* Μέμνονος *μήτηρ* habet hanc Notam: *Jes. XIV, 12*, Lucifer, seu Phosphorus, dicitur filius Auroræ. *V. 35* *χορὸν πολέμοιο μολοῦσα* annotationem istam exhibet:

Ellipsis

Ellipsin præpositionum εἰς, vel πρὸς, post verba motum ad locum significantia, usitatam satis esse Græcis, ostendit *Lamb. Bos* in libello *de Ellipsi Græca. Versus 53 & 54:*

Ηθελε καὶ Δαναοῖσι ἐὸν βρέτας ἁγνὸν ἄγεσθαι,
Λήση μὲν ἐοῦσα Φίλης ἐπίκουρος Ἀθήνης,

jam a *Merrickio* ex emendatione Viri cujusdam ingenio præstantis & Græcæ linguæ peritissimi ita conformati sunt:

Ηθελε καὶ Δαναοῖσιν ἐὸν βρέτας ἁγνὸν ἄγεσθαι,
Τοῖς δὴ σημαίνουσα, Φίλη ἐπίκουρος Ἀθήνη.

Cum *Merrickius* ad *v. 95:*

Ανθεσι πορφυρέοισι λύκοισιν ἀναγκαίοιο χαλινοῦ,

pervenisset, propositis multorum literatorum conjecturis, pergit: *Ipse quidem, quomodo restituenda hæc sint, prorsus ignoro. Hoc tantum persuasum habeo, deesse verbum aliquod, quo absolvatur sententia; quod non animadvertisse videtur vir doctissimus,* Ricardus Busbejus, *in Græc. Grammat. rudiment. pag. ult. cum nihil hic mutato opus esse existimaverit.* Hypercatalexis, *ait*, sive Hypermetrum, est, qua syllaba præter justam metri dispositionem superabundat, &c. Nos vero, Cl. *Merrickio* dubitationem eximi posse, autumamus, si, ut veritas jubet, ita legerimus:

Ανθος ἔφυγε λύκοισιν ἀναγκαίοιο χαλινοῦ.

Nunc apparet, unde πορφυρέοισι natum sit, & quid verbi *Tryphiodorus* posuerit, & quomodo septimus pes nobis obtrusus fuerit. Omnibus ergo optimi *Merrickii* desideriis satisfactum credimus. *V. 172* καθιππεύειν non *adequitare Merrickius* interpretatur, sed *dominari, victorum more triumphare.* Quam significationem ex *Æschyli Eumen. v. 150* καθιππάζεσθαι, *Ez. XXVI, 11, Pf. LXVI, 12, Jes. X, 6, Suetonii Jul. Cæs. cap. 22,* declarat. *V. 194* pro ξυλόχοιο *Merrickius* scribi vult ξύλοιο, quia hoc nomen convenientius sit, nec productio primæ syllabæ Poetarum consuetudini repugnet. Id quod aliquibus exemplis probat. *Versui 268*, cum *Rhodomanni & Frischlini* cogitata enarrasset, adjicit: *Mihi etiam, antequam Frischlini editionem videram, legendum videbatur:* νοοπλήγεσσιν ἀτασθαλίῃσι τυπέντες, *quod vertit Rhodomannus:* icti insana mentis improbitate. *Hanc conjecturam mihi suggesserat MS. Reim. in quo legitur*

*legitur* νοῶν πληγῇσιν. Dubitat quidem præstantissimus *Merrickius*, an nomen νοοπλὴξ usquam reperiatur alibi; sed similia tamen usquequaque reperiri, recte contendit, & exemplis monstrat. Huic tamen nomini hoc loco activam significationem tribuendam putat aliorum nominum similium exemplo. Verum, ut Lector etiam *Merrickii* genus poeseos Anglicæ cognoscat, paucos selegimus *Tryphiodori versus 674 & 675:*

Ἴλιος αἰθαλόεσσα· πυρὸς δ' ὀλεσίπτολιν ἄτην
Ξάνθος ἰδὼν ἔκλαυσε γόων ἁλιμυρέϊ πηγῇ,
*Afflicted Troy her slaughter'd sons surveys*
*And crowns their ashes with a funeral blaze.*
*Sad Xanthus mourns the dire destruction made*
*And tears of sorrow swell his wat'ry bed,*

hoc est, *afflicta Troja occisos filios suos prospicit, & eorum cineres funesta flamma coronat. Mæstus Xanthus deplorat diram destructionem, & luctuosæ lachrymæ lectum ejus aqueum adaugent.* Ceterum doctissimus Editor, quem magno literarum elegantiorum bono natum ostendit primum hoc selectissimæ doctrinæ specimen, quicquid probandum suscepit, locis curiose conquisitis probavit, & superioribus *Tryphiodori* editionibus haud dubie palmam eripuit, cum ex MSto etiam lacunas expleverit, *Reimari*que, Viri egregii, Codice MSto prudenter usus sit ac feliciter.

## *DE LINGUA ETRURIÆ REGALIS vernacula Dissertatio, Autore JOANNE SWINTON, A. M. Soc. Coll. Wadh. & R. S. S.*

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1738, 4 maj.

Plag. 4.

Etruscorum monumenta, passim in Museis Italiæ exstantia, interpretari, &, si qua inde ad veterem gentis disciplinam, sacra, mores, erui possint illustrandos, proferre in publicum, frustra olim ab eruditis tentatum fuit. Nostræ vero ætati ea gloria servata est, ut in iis explicandis majori cum successu eruditi versentur. Indyta Academia Cortonensis id sibi præcipue datum putat, ut ignotis illis & ipsa vetustate obscuris marmoribus lucem accendat, & regno literario quasi novam provinciam adjiciat. Cujus vestigiis insistens Cl. *Swin-*

*Swintonus*, ſententias eruditorum de Etruriæ colonis, quos alii a Pelasgis, alii ab Ægyptiis Phœnicibus, convenientia linguæ cultusque Deorum moti, arceſſant, conciliat, Lydosque & Pelasgos unam eandemque nationem eſſe ſtatuit. *Buonarotta* eos ab Ægyptiis, Phœnicibus nempe illis, qui, ex Ægypto pulſi, duce *Inacho*, *Cecrope*, *Cadmo*, in Græciam colonias duxerunt, derivat, qui poſtea per Etruriam diſſeminati, homines, quod Ægyptii abominabantur, immolabant. Pelasgos Græciam omnem atque Etruriam impleviſſe incolis, iisque Cabiricam religionem cum Phœnicibus & Lydis communem fuiſſe, veterum Hiſtoricorum fide compertum eſt. Neque minus nomina locorum in Canitide, aliaque Phœnicia, in linguam Etruſcam recepta, morumque utriusque gentis perpetuus conſenſus, Etruriam Phœnicios incoluiſſe, oſtendunt. Porro Phœnicius ſermo, ſeu Cananæus, tam ſimilis Hebræo deprehenditur, ut unus fere videatur. Primo enim Cananæi propiores Israelitis erant, quam Arabes & Syri, quorum lingua non multum ab Hebraica differt; deinde *Joſua* interpretes cum *Rahab*, Cananæa, loqui poterant, & *Eſaias* Hebraicum ſermonem Cananæum vocat; Punica denique vocabula omnia Hebraica eſſe, *Joſephi*, & antiqui Poetæ, *Chœrili*, autoritate firmatur. Inter Pelasgicam & Hebraicam linguam exigua differentia intercedit, quod tum ex origine Pelasgorum, *Phalegi* progenie, tum e duabus vocibus, *Æmonia* & *Agylla*, quæ ſola certo novimus Pelasgis in uſu fuiſſe, apparet, quippe quarum origo eſt ab אמינה, & ע:ל. Ipſos Cretam, Chium, inſulas, primos occupaſſe, & in Samothraciam Cabirica ſacra intuliſſe, ſcriptores contendunt. De Phrygiæ Lydiæque lingua idem vocabula, ab *Homero* & *Herodoto* adducta, probant. E quorum genere eſt nomen Βριάρεως, gigantis, quem ſuperi Αἰγαίωνα appellant, quæ Phrygia vox eſt, deſcendens ab Hebræo גאון, *ſtrenuus*, *fortis*. *Myrinnæ*, Amazonis, tumulum, *Homerus* ait, a Phrygibus Βατίειαν dictum eſſe, cujus origo ex Hebraico בית, quod pro ſepulcro interdum ſumitur, et יחא, *feſtinavit*, *acceleravit*, eruitur, idque cum epitheto πολυσκάρθμοιο apprime convenit. Κύμηνδις, avis nomen, quam Græci χαλκίδα vocant,

Ddd deri-

derivatur a חום, *fuſcus*, quoniam avis illa virgulis nonnullis ænei coloris diſtincta eſt. Xanthum, fluvium, Phryges, ripas ejus incolentes, Scamandrum vocabant, quam appellationem a סמק, *rubuit*, & נהר, *fluvius*, Autor deſcendere putat, ita, ut, præfixo א Arabico, & transpoſitis literis, σκαμάνδρε nomen, voci ξάνθος reſpondens, proveniat. Eadem ratione montis Idæ, Aiſopi, fluvii, Priami, Paridis, Ilii, Atys, Tmoli, aliarumque Phrygicarum vocum, origo ex Hebræo exponitur, quod alio loco data opera ſe uberius demonſtraturum eſſe, Cl. *Swintonus* pollicetur. Pergit deinde ad Etruſcorum linguam, quorum ante Romam conditam latiſſime patuit imperium, quosque avium cultum a Phrygibus accepiſſe, veriſimile eſt. A dextra ſiniſtram verſus, orientalium more, ſcribunt pro V. conſona, digamma Æolicum plerumque adhibent, quod idem ac Hebraicum ו officium præſtitiſſe videtur. Ipſa *Etruria* eſt ab אתור, Chaldaice pro *Aſſur*, quod etiam *Atturia*, Etruſcorum colonia, innuit. A Syris acceperunt ſacrorum nomina, traditum ab Ebræis Pontificatum maximum, cum Romanis communicarunt. Etruſcum idioma cum Hebræo optime convenire, eruditorum nonnulli animadvertunt; a quibus diſſentiens *Bochartus*, plane diverſum ab orientalibus putat. Vocum, ab ipſo adductarum, Hebraicam originem Cl. Autor exponit, nomenque *Eſar*, Deus, ab אשר, *beatus*, *Nartin*, fortuna, ab Arabico النارد, *Alnard*, *Andas*, Boreas, ex هنك, *gemuit*, Αγαλλήτωρ, puer, ex אגל־יכיר, *columna celebris*, Αυκηλως, aurora, ex אכל, *rubicundus*, & אור, *lux*, deducit, qua occaſione literas *r* & *s* blæſe pronuntiatas eſſe, idque ex Eugubinis tabulis apparere, obſervat. *Iduare* Etruſcis *dividere* eſt, quod Autor ab עתר derivat, quod is multiplicet, qui dividit in partes; quæ tamen etymologia, pace Cl. Viri, coacta videtur. *Mantiſſa* Autori eſt ab Arabico من طيبس, *donum abundantiæ*; Ἄταισον, *vitis arbuſtiva*, a Chaldaico אתא דאן, vel ארשא, *fructus*; unde apparet, quantum a vero *Bochartus* abfuerit, licet negari nequeat, Etruſcæ linguæ tum Græca, tum, Romanis rerum dominis, Latina, immixta eſſe. Quare, quo antiquiora monumenta ſunt, eo pro-

propius ad Hebraica ipſa accedere, cenſendum eſt, ſicut, in varias dialectos linguam eam diviſam eſſe, non ſine veri ſpecie ſuſpicari aliquis poſſit.

## *AD DISSERTATIONEM ERUDITAM Viri Clariſſimi JOANNIS SWINTONI, de Lingua Etruriæ regalis vernacula, Annotatiunculæ J. G. W.*

Hanc opellam, quamvis a placitis meis diſſidentem, legi tamen cum voluptate, cum quia multa lectu digna continebat, tum quia memoriam Viri doctiſſimi, a ſuperioribus annis interceptam, apud me renovavit. Et inter legendum ſequentia annotavi.

I. Si lingua veteris Etruriæ interiit, adeo, ut monumenta ejus nec legi, nec explicari, poſſint ab eruditis; unde ergo judicabimus, illam Hebrææ, aut Phœniciæ, ſimilem fuiſſe? An lingua ignota cum nota contendi poteſt?

II. Dicere, Pelaſgos fuiſſe Phœnices, & linguam Phœniciam Italiæ importaſſe, & cum Tuſcis, a ſe conditis, communicaſſe, eſt ignotum per æque ignotum demonſtrare. Phœnices in Hiſpaniam penetraſſe, legimus, in Italiam, non legimus. Pelasgos in Italiam migraſſe, concedimus; ſed, eosdem ſermone Phœnicio uſos eſſe, negamus.

Certe nomen *Pelasgicum* linguæ Phœniciæ aptari non poteſt, belle tamen Scythicæ & Celticæ, in qua Πελασγος, *Pelasgus*, *Velaſcus*, *Waliſcus*, abjecta terminatione *os*, vel *us*, peregrinum ſignificat. Germani hodie dicunt *Welſch*, antiqui *Waliſc*, & per *Welſch-Land* intelligunt Italiam. Hæc una vox nobis veram & propriam Pelasgorum linguam tanquam in ſpeculo exhibet. Idemque demonſtrant mille vocabula, Græcis, Latinis, Celtis, & Germanis, communia.

III. Pelaſgi ante migrationem in Italiam, per totam Græciam, Europæam & Aſiaticam, erant diffuſi, & conſequenter etiam Lydis, & Phrygibus, & Ionibus, immixti, non tamen Lydi, aut Phryges, aut Iones: prorſus ut Galli, per Germaniam diſperſi, non ſunt, nec cenſentur, Germani.

Migrarunt autem in Italiam, non ſolum e Lydia, ſed etiam e Peloponneſo, Theſſalia, aliisque Græcorum provinciis.

E Lydia profecti, dicti ſunt *Tyrſeni*, hoc eſt, porci marini, ſive quod inſtar delphinorum mare trajeciſſent, ſive quod caput ejus piſcis, *turſionis*, inquam, proris navium ſuarum inſculptum haberent, Atqui *turſio*, unde nomen *Tyrſenſis* quæſitum, non eſt vox Phœnicia, ſed Celtica, a *twr*, *twrs*, *twrſch*, *ſus*, oriunda, & piſci ob roſtrum ſuillum dicata. Sus autem ſic dicitur a *twrio, fodere*, quod terram roſtro fodiat. Vide *Gloſſarium Germ.* in Voc. *Stær*, & confer fabulam de Tyrrhenis in delphinos mutatis apud *Ovidium Met. III.*

Ad §. 4. IV. Pelaſgos fuiſſe paſtores Ægypti, ſub variis ductoribus, *Inacho*, *Phoroneo*, *Lelege*, *Cecrope*, *Cadmo*, *Danao*, ob ſacrificia humana, diverſis temporibus, Ægypto pulſos, pulchra qnidem conjectura eſt, ſed probatione deſtituta.

Eosdem paſtores Phœnicii generis homines fuiſſe, ex ἀνθρωποθυσίᾳ, Phœnicibus familiari, & nomine *Hycſos*, quod in nulla Orientalium lingua *regem paſtorum* ſignificat, non ſatis tuto concluditur.

Auſim dicere, antiquiſſimis temporibus hunc fuiſſe omnium fere gentium, inde ab ortu idololatriæ, morem deteſtabilem, ut in publicis calamitatibus ad placandum Deorum iram hominem innocentem mactarent.

Ægyptios ab hoc crimine ſemper puros fuiſſe, gratis præſumitur.

— *Quis aut Euryſtheæ durum,*
*Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?*

Et nonne *Diodorus* ſcribit, omnes homines rufi coloris a Regibus Ægypti antiquitus mactatos eſſe ad ſepulcrum *Oſiridis*, quod *Typhoni* ſimiles eſſent?

*Cadmum* fuiſſe Phœnicem, & coloniam Phœnicum ſecum adduxiſſe in Græciam, dubio caret. At, Pelasgos illos, quibus *Cadmus* literas tradidit, Græcis antea ignotas, Phœnices fuiſſe, negamus. Qui poterant literas ignorare Pelaſgi, a populo literato (ut ſupponitur) oriundi?

V. Ob

V. Ob communia sacra non licet populos confundere, aut ex illa communione de linguis eorum judicium ferre. Ad §. 5.

VI. In omnibus linguis reperiuntur voces, sono quidem convenientes cum aliis linguis, sed non significatu. §. 6.

VII. Sermonem Phœnicium, seu Cananiticum, cum Hebræo convenire, etiamsi verum sit; nihil tamen facit ad cognitionem linguæ veteris Hetruriæ. §. 7.

VIII. Lingua Pelasgica, quæ ab initio fuit barbara, diuturna Pelasgorum inter Græcos commoratione, facta est Græcæ simillima. Et, sicut Græcam innumeris vocibus locupletavit, ita vicissim a Græca innumeras voces accepit, quæ tam sono, quam significatu, cum Æolicis conveniunt. Hinc ille stupendus & incredibilis linguarum, Græcæ & Latinæ, cum Celtica & septentrionalibus linguis, recentibus & antiquis, in tot millibus vocabulis concentus, quem animadvertere cuivis licet, qui *Glossarium Germanicum* evolvere dignabitur. Cujus rei causam reddere non possunt, qui Pelasgos cum Phœnicibus confundunt. §. 8.

IX. *Lingua Deorum* apud *Homerum* non potest esse Phœnicia. Nulla enim ratio excogitari potest, cur Poeta Phœnices, aut posteros eorum, Pelasgos, Deos appellare voluerit, qui certe non erant Dii, sed hostes Græcorum in bello Trojano. Sed omnino est *lingua Titanica*, hoc est, lingua *Acmonis*, *Urani*, *Saturni*, *Jovis*, & reliquorum, quos stulta antiquitas in numerum Deorum recepit. Quam Celticæ & Scythicæ similem fuisse, *Pezronius*, Gallus, in Antiquitatibus gentis & linguæ Celticæ sat probabiliter ostendit. §. 9.

Ad hanc linguam spectat etiam vox *Βέκκος*, *panis*, quia panificium est inventum Deorum, Titanum puta, qui in Phrygia sedem antiquam habuerunt. Germanis *weck* etiamnum est panis, *becker* pistor, *backen* pinsere, conficere panem, manifesta cum lingua Deorum cognatione.

Quicunque Etruscæ linguæ originem ad Hebræam referunt, videntur hoc ex linguæ ejus amore m agis, quam ulla solida ratione facere.

Et his non magis assentiri possum, quam literaturæ

Phœnicis instaurator, *Bochartus*, qui, si tantam, quantam Phœniciæ, linguarum septentrionalium peritiam habuisset, præclare vidisset, vetera Tuscorum vocabula, quæ ad linguam reduci Phœniciam posse negat, Pelasgica quidem esse, sed Tuscis & Scythis communia. Talia sunt,

Pag. 20. Ἄισοι, Dii,

25. ἄυταρ, aquila,

21. *Falantum*, cœlum,

24. *Iduare*, dividere,

22. *Lucumon*, magistratus,

et alia plura, de quibus in *Glossario Germanico* actum copiose, in vocibus *As*, Deus, *ar*, aquila, *pfaltz*, locus editus, *waise*, orphanus, & in voce *Lucumones*. Cetera, quorum jam recordari non possum, nunc mitto.

## *LEXICON HEBRAICUM SELECTUM JO. CHRIST. CLODII, in Supplementum Lexici Gussetiani, & aliorum quorundam, adornatum.*

Lipsiæ, sumtibus Wolffgangi Deer, 1744, 8 maj.

Alph. 1 plag. 13.

Prodiit nunc tandem, post varias remoras, Supplementum illud *Lexici Gussetiani*, quod in ejus Præfatione Cl. Autor pollicitus erat. Hoc autem Lexicon Hebraicum *selectum* nominare ei libuit, quia plerumque voces tantum rariores obscurasque selectas in eo illustrare, sensum iis & nonnullis aliis proprium, ac primarium, investigare, radices deperditas restituere, simulque haud pauca Codicis Hebræi Biblici loca explicare, venustatem illorum atque emphasin ex proprio vocum significatu ostendere, conatus est. Quem ad finem obtinendum subsidio usus est, a præcipuis Philologis summopere commendato, nempe harmonia dialectorum affinium linguæ Hebraicæ, inprimis Arabicæ, ceu integrioris & copiosioris, quam *Gussetius* absque sufficienti ratione rejecit, ut in Præfatione hac & priori

& priori monstratum fuit. In illa de aliis, eo pertinentibus, argumentis fusius Autor disserit, optatque, ut, quia linguarum cum Hebraica harmonicarum tanta est utilitas, ad brevem hunc libellum perlustrandum, & in suos usus vertendum, plures, quam conjicit, accedant. Ibidem quoque novum Opusculum, scilicet Commentationem de Germanis, qui linguarum orientalium peritia inclaruerunt, seu Germaniam orientalem, promisit, *Colomesium (Colomiez)*, Gallum eruditissimum, imitatus, qui Galliam, Italiam, & Hispaniam, orientalem scripsit. Ceterum lector hujus Supplementi sciat, Indicem Latinum pleniorem, ad *Lexici Gussetiani*, cui observationes Autoris MStæ insertæ fuerunt, evolutionem meliorem, separatim editum esse, qui cum Lexico & Supplemento ejus mediocri pretio venditur. De illo autem Lector quoque monendus est, fuisse nonnullos obtrectatores malevolos, qui falsum hunc rumorem disseminare non sint veriti, omissa esse in secunda editione quædam, in priore exstantia. Sed huic calumniæ Cl. Editor strenue contradicit, & ipsa inspectio satis probat, non solum omnia Addenda primæ editionis suo quæque loco inserta esse, sed & ipsius Autoris Observationes MStas sub signo manus ubique adjectas. Præterea Indice, superius adducto, in prima editione non inveniendo, secunda auctior, eaque, correctis nunc plurimis locis Biblicis, falso allegatis, emendatior, & sic non uno intuitu melior longe, reddita est.

*ANTIQUITATES EBRÆORUM, DE ISRAELITICÆ gentis origine, fatis, rebus sacris, civilibus & domesticis, fide, moribus, ritibus, & consuetudinibus, antiquioribus, recentioribus, exponentes. Volumen primum Ebræorum scripta sacra, libros symbolicos, antiquitatum scriptores, & præcepta; Volumen secundum Ebræorum Chronologiam, historiam, sectas, & eruditionem, sistit. Delineante ANDREA GEORG. WÆHNER, Lingu. Or. P. P. Ord. in Academia Georgia Augusta.*

Goet-

Gœttingæ, typis A. van den Hœck, 1743, 8.
Vol. I Alph. 1 plag. 17, Vol. II Alph. 2 plag. 4.

In indagandis ritibus inſtitutisque gentis Hebrææ priſtinis a longa ætatum ſerie magna animorum contentione, laudabilique conatu, occupati fuere Viri præſtantiſſimi, *Relandus*, *Daſſovius*, *Carpzovius*, alii, quorum nomina nec vulgus eruditorum ignorat. Alterum tamen altero in hoc argumento gravius, copioſius, enucleatius, diſtinctius, amœnius, verſatum, nemo non intelligit. Quamobrem neque dubitandum eſt, quin illo in campo, finibus circumſcripto latiſſimis, plures, ætate etiam noſtra, doctrinæ præſidiis, apparatuque ſubſidiorum, instructi, vires periclitari poſſint, &, quæ in hac eruditionis parte adhuc deſiderantur, labore improbo ingeniique acie ſupplere. Quo præſtantior autem eſt, & quo pluribus tenebris circumfuſa, de ritibus Hebræorum doctrina, hoc inſignius beneficium ac meritum in illam exiſtit Eruditiſſimi *Wæhneri*, qui non ſolum Orientis linguas in Academia Georgia magna cum laude adhuc tradidit, ſed aliis etiam politis ingenii monumentis inclaruit, jam vero duplici hoc *Antiquitatum Hebræarum* Volumine, cui plura ſubjuncturum ſe in poſterum promittit, quam exercitatus ſit in erudito hoc pulvere, egregie declaravit. Præmiſſa eſt Præfatio, qua Antiquitatum Hebræarum neceſſitatem inſignem Autor Doctiſſ. recte tuetur, partim ob leges, ritus, ac cerimonias, tabulis Veteris Inſtrumenti magna ubertate inſertas, partim ob ſtatuta Phariſaica, quæ, una cum perverſa legum divinarum dilucidatione, a Phariſæis facta, Novi Fœderis ſcriptores repræſentant; quibus accedit, quod, argumentum librorum Novi Fœderis maxima parte Anti-Judaicum eſſe, conſtet, præterea ad Epiſtolam Paulinam, Romanis inſcriptam, eo dignior accedere interpres credatur, quo accuratiori diſputationis Talmudicæ intelligentia fuerit inſtructus. Laudatur *Reuchlinus*, qui effecerit, ut *Lutherus*, aliique Theologorum, magnum Hebraiſmo ſtatuerint pretium. Contra vero in Theologos, Hebrææ linguæ cognitione deſtitutos, invehitur

tur Autor, iisque merita *Lightfooti*, *Surenhusii*, *Pfeifferi*, *Carpzovii*, opponit. De *Surenhusii* Βίβλῳ καταλλαγῆς haud inscite monet, non videri Virum hunc interdum satis intellexisse, quæ scripserit, sed, lectores etiam ipsos multa in eo nondum satis assequi, suo exemplo edoctus est. Jam liber ipse Cl. *Wæhneri* examinandus est, qui *Sectionibus VIII* absolvitur, quarum quælibet in *Capita*, *Capitum* vero singula in *Paragraphos*, distinguuntur. Infra textum libri subjecti sunt fontes, unde omnia petita, eosque & sacræ literæ utriusque Instrumenti constituunt, & opus Talmudicum, ceterique Judæorum libri. Ipsi etiam Christianorum Commentarii magno numero citantur. *Sectio I* de *Scriptis Hebræorum sacris* differit, cujus in principio, omnem Judæorum doctrinam, fidem, mores, consuetudines, tum ex Codice sacro, tum ex libris eorum symbolicis, intelligi posse, docetur. Inquiritur in librorum sacrorum numerum, nomina, classes, ordinem, distinctionem in capita ac versus. De singulorum librorum sacrorum autoribus ac scriptoribus affertur sententia Judæorum ex *Bava Bathra fol. 14, 2, 15, 1.* Agitur de figuris literarum, & recte contra primævum characterem Samaritanum, a nonnullis perperam fictum, pugnatur. Differitur etiam de canone sacro, de libris canonicis & apocryphis, adjecta quæstione, utrum libri sacri vel per librarios, vel per Judæos, corruptionem subierint, ad quam circumspecte respondetur. Examinantur libri singuli. In examine Pentateuchi quæritur, utrum *Moses* sit verus Pentateuchi autor; utrum liber illius interpolatus. De sectionibus etiam Sabbathicis majoribus & minoribus, quantum satis est, traditur. Pergit Autor ad Libros propheticos. Exponitur ratio distinctionis Judaicæ in priores & posteriores. In recensendis *Esaiæ*, ceterorumque Prophetarum, libris hunc ordinem ingreditur Autor doctissimus, ut vitam vatum singulorum præmittat compendiariam, eique vaticinii editi tempus, autorem, & scriptorem, orationis genus, atque ordinem, subjiciat. In *Capite* de *Ezechiele*, nomine *filii hominis* insignitum eum ideo, docet, ut opponatur civibus suis ceteris, quorum plerique vita flagitiosa pene obbrutuerint. De Hagiographis ul-

 timo

timo differit loco, ibidemque de Poesi Hebræorum nonnulla erudite adſpergit. *Pſalmi* ubi examinantur, etiam Hallel Judaici fit mentio, quod recte in minus ac majus diſtinguitur, quorum tamen illud, ex ſex *Pſalmis* conſtans, *in feſtis majoribus*, ſed *Pſ. XXXVI in nocte paſchali*, decantari, cur Autor Clariſſ. tradat, mirari poſſumus. Utrumque enim in nocte paſchali receptum fuiſſe, & illud quidem præcipue, monumenta Judæorum confirmant. Accedit Cl. Autor ad *Jobum*, cujus libro multum lucis affundi ex lingua Arabica, largitur; utrum tamen eo tempore, quo *Jobus* vixit, eadem fuerit Arabicæ linguæ indoles, quæ hodie, merito quæri poſſe, judicat. Abſolutis S. Codicis libris, progreditur ad doctrinam de Maſora, de diviſione S. Codicis in claſſes, inde in libros, in capita, ac verſus. Verſuum jam mentionem in Talmude fieri, oſtendit. De vocum numero multæ obſervationes Maſoretharum adſperguntur, ac demum ad Talmud, quod criticam hanc Maſorethicam haud ignoret, provocatur. Inquiritur in literas, in earum numerum, figuram inſolentem, & myſteria. De diverſis lectionibus erudite etiam commentatur Doctiſſ. Autor. Per notam *Piska* non ſignificaſſe credit Criticos ſacros, textui ſacro hic aliquid deeſſe, ſed indicare voluiſſe, traditionem, ore propagatam, habere, quod iis locis inſerat. Ad quæſtionem: Quænam lectionum diverſarum præferenda ſit alteri, reſpondet, eam, quam textui convenientiorem deprehendamus. Eſſe lectiones in textu, quæ cubent in mendo, ſed eſſe etiam, quæ criſi indigere haud videantur. Codices veteres vocalibus deſtitutos pronuntiat; ſicubi tamen in lectione errari poſſit, annotatum fuiſſe, quæ puncta ſubjicienda. Poſteris temporibus hæc vocalium ſigna excogitata dicit, & vulgaribus Codicis ſacri exemplaribus adjecta, ut ruditati legentium ſuccurreretur. Ætatem *Moſis* hæc ſigna non attingere, in ſequentibus indicat, eamque rem copioſe exponit. Tandem in eo acquieſcit, puncta vocalia, eorumque nomina, poſt conſcriptum demum Talmud eſſe excogitata. Reſpondetur ad diſſentientium dubia. Dicuntur etiam nonnulla de matribus lectionis. De accentibus ſententia Autoris eſt, Maſorethas ſignorum horum inventores

tores

tores exstitisse. Vestigia accentuum ex Talmudis Codicibus *Nedarim*, *Megilla*, *Chagiga*, *Joma*, aliis pluribus, demonstrantur. Sequitur Masoræ historia, crisis, fata, forma, laudes. Optandum tamen, ut majori paulo circumspectione, & ad mentem Criticorum cordatiorum, ab Autore Doctissimo disputatum fuisset tum de vocalibus, tum de accentibus. Venitur jam ad versiones, & quidem primo Græcas, quo *Origenianæ*, Biblia item tetrapla, hexapla, octapla, referuntur; inde ad Græcobarbaras, ad Pentateuchum Samaritanum, ad Orientales plerasque, Hebræo-Germanicam, tandem ad Occidentales. De versione Græca Alexandrina, itemque de Targumim, sigillatim singularique studio exponit. Recenset etiam Codices MStos, qui alicujus sunt nominis, vetustissimos quosdam, in atrio templi repertos, præterea Codices *Hillelis*, *ben Ascher*, *ben Naphtali*, Codices Sinai, Pentateuchum Hierichuntinum, & Codices Sanbuki. His antiquioribus Codicibus recentiores subjungit. Sequuntur editiones librorum sacrorum celebriores, Polyglottæ, Hebraicæ item & Rabbinicæ. De rotatilibus Judæorum Pentateuchi voluminibus copiosissima inprimis & erudita deductio inseritur, quam Lectori maximopere commendamus. Enarrantur libri, in S. Codice allegati, eorumque de singulis epicrisis additur. Librorum Apocryphorum subnectitur tractatio, *Judithæ*, *Sapientiæ*, ceterorum. *Sectio II*, quæ *libros Judæorum symbolicos* exhibet, exponit primum, quinam sint ejusmodi libri, & refert huc eos, qui doctrinæ, viva voce propagatæ, originem debent. Hic Talmud Babylonicum primo loco in censum venit. Ad quæstionem: Utrum illud æquiparetur a Judæis, vel anteferatur Hebræo Codici, respondetur, vim inferri Judæis, si quis ea de re existimare ita velit. Talmud rejici a Karæis, postea indicatur. Exponitur de Talmudis fatis, ejusque usu. Quod irreverenter & blaspheme de Deo loquantur Judæi, negatur; insolentibus tamen, orientali more, phrasibus de Deo loqui eos, & in Christum convicia conjicere, Autor largitur. Persequitur Commentarios in Talmud, variasque ejus editiones. De Judæorum doctrina, viva voce proposita, copiose disputat. Subjicitur doctrina de Mischna

R. *Jehudæ Sancti*. Ejus enarrantur ordines & Codices. Ætas ejus cum plerisque & hic confertur in finem Seculi II, vel initium Seculi III. Erudite exponitur de Doctoribus Mischnicis, & Mischna cum Gemara confertur. Varia subnectuntur de vocabulis ac phrasibus Mischnæ, & de formulis, ad Mischnam provocandi. Sequitur Tosiphta, sive additamentum, qui titulus confertur in librum, effata doctorum Mischnicorum, a R. *Jehuda* in opere omissorum, comprehendentem. De exoticis etiam, seu Baraithoth, dicitur, hoc est, de reliquis libris, Doctorum Mischnicorum effata omissa complectentibus. Egregie hic atque erudite declarantur traditiones exoticæ. Adducuntur formulæ provocantium ad exotica. Postea copiose differitur de Gemara, de Doctoribus Mischnicis, cum Gemaricis comparatis, de formulis disputationum Gemaricarum. De Talmude ipso plura leguntur, & Babylonico, & Hierosolymitano, de illius contentis, de quadruplici Scripturæ S. sensu, duplici innato, duplici illato, & de aliis observationibus exegeticis. Traduntur Regulæ Hermeneuticæ Doctorum Gemaricorum, Regulæ XXXII R. *Jose Galilæi*, Regulæ XIII R. *Ismaelis*. De ultimis uberrime, quia Judæis magno in pretio sunt, accurate etiam & subtiliter, agitur. Adjiciuntur ea capita, quæ spectant ad traditiones *Mosaicas* ex Sinai, ad exempla, ad decisiones, ad doctrinam moralem. De disputatione Gemarica iterum latius Autor disputat, quod ea insignis est usus. De ordine conscriptæ Gemaræ ubi loquitur, exemplum suppeditat in primam Mischnam Cod. *Bava Kama*. *Sectio III* enarrat *Antiquitatum Hebræarum scriptores*, *Philonem*, *Josephum*, *Josephum Gorionidem*, scriptores legum Judæos recentiores, Rabbenu *Alphes*, R. *Mosen Maimonidem*, Rabbenu *Ascherem*, *Baal Hatturim*, R. *Josephum Karo*, R. *Mordechaum Japheh*. *Sectio IV* confecta est *de præceptis Hebræorum*. Hic de præceptis *Mosaicis* disputatur, & axiomata quædam adjiciuntur. Descenditur ad numerum præceptorum *Mosaicorum*, quorum a Judæis, ex præscripto R. *Samlai*, 613 numerantur, horumque iterum 365 prohibitiva, 248 injunctiva. Adduntur regulæ universales pro iis definiendis. Statuta Doctorum excutiuntur.

*Volumen II*

*Volumen II* orditur *Sectionem V de Chronologia Hebræorum.* Hic de die civili & naturali, de horis astronomicis & planetariis, varia expenduntur. Quæstio, an horas ignoraverint Hebræi veteres, proponitur, ad eamque respondetur, quamvis שעה *Dan. III, 6, 15, IV, 16,* ut & Græca vox, non semper horam notet, tamen, cum horas habuerint Babylonii, secundum *Herodotum II, 109,* neque eas Judæis videri negandas. Dicitur postea de Horologiis, quæ scioterica dicuntur, de scrupulis Chaldaicis, de momentis Judaicis, de aliis, huc pertinentibus, de vigiliis etiam nocturnis, quarum tres numerasse priscos secundum *Judic. VII, 19,* ait Autor, sed quatuor exstare in Nov. Test. *Marc XIII, 35.* Hebdomadum originem ex Sabbathi institutione deducendam, recte asserit. Vestigia hebdomadum comparere in *Genesi*, quosdam dicere, subjungit, quibus non prorsus accedit. Sabbathum pro hebdomade sæpenumero sumi apud Judæos, ac dies hebdomadum non planetarum numerari nominibus, sed numeris, docet. Mensium species recenset varias, menses commemorans Patriarcharum, ac sequentium temporum. Mensium nomina, quæ ante Babylonicam captivitatem non legi observat, vel Babylonica, vel Persica, esse, conjicit. In *Capite* de annis, de variis illius speciebus loquitur, de annis Patriarcharum, de anni cardinibus ac tempestatibus. Persequitur Chronologiam Patriarcharum ante *Mosen*, annum etiam creationis, annum diluvii, Chronologiam item usque ad exilium Babylonicum, indeque usque ad *Hillelem* juniorem, ubi de tempore novilunii, ejusque consecratione & publicatione, de intercalatione etiam anni, varia non contemnenda leguntur. Exponitur etiam de Chronologia Judæorum Rabbanitarum, ab *Hillele* juniori ad nostra tempora. De Chronologia Karæorum, de incertis temporum periodis, & quid sit עונה, עולם, מקץ, עולם זה, & עולם הבא, postea dispicitur. De æris copiosam disputationem ingreditur Autor. De anno porro Sabbathico, de variis ejus nominibus, juribus, ex mente etiam Talmudistarum, quæstiones difficiles producuntur. Annus Jubilæus, ejusque jura, traduntur. Calendarium Judaicum operose describitur, ad



Digitized by Google

ad quod conficiendum & calculum, & festorum ordinationem, denique & assignationem lectionum sabbathicarum, Autor Doctiss. requirit. Hæc latissime deducuntur, magnoque studio, usque ad finem *Sectionis*. *Sectio VI Historiam* tradit *Hebræorum*, certis periodis, numero 8, comprehensis. In qualibet periodo primum de rebus civilibus, postea de rebus fidei ac morum, postremo de re literaria & artis, Autor commentatur. *Sectione VII Sectas* exponit *Hebræorum*. Præmittuntur nonnullæ, per errorem sic dictæ, ut Nasiræorum, Rechabitarum, Chasidæorum, Hellenistarum, Herodianorum, *Judæ Gaulonitæ*, itemque Ascetarum, & Νομικῶν. In Samaritanorum inquiritur originem, linguam, idololatriam, judicia Judæorum de iis. Quid ex S. Codice recipiant, qui ritus apud eos recepti, declaratur. Eleganter in compendio Theologia Samaritana exhibetur. De Sadducæis etiam disputat Cl. Autor, postea de Pharisæis, simul de dissensu *Hillelis* & *Schammæi*. Essæos subjungit, quorum nominis rationem reddere, difficile judicat. De origine eorum erudite pronuntiat, se, autore *Josepho Ant. XIII, 5*, ortum hujus sectæ ad ætatem *Jonathanis*, ducis ac pontificis, referre. De cultu eorum publico ac dogmatibus varia observat, itemque de vita eorum. Rabbanitas postea discedere a Karaitis docet, in eo, quod priores præter Codicem sacrum libros etiam Judæorum symbolicos recipiant, hi traditiones repudient, solique legi innitantur. Libros horum raros esse, & dogmata eorum a Sadducæis maxime dissidere, addit. De origine eorum plura dicuntur, quæ commendamus, itemque de sedibus Karæorum. *Sectio VIII* de *Eruditione Hebræorum* exponit. Diversæ eruditorum apud Hebræos ætates aperiuntur, diversi tituli, ut Rabban, Rabbi, Rabbenu. Agitur de Prophetia, de Prophetis, & Pseudoprophetis, de visione prophetica, de variis Prophetiæ gradibus ac modis, de prærogativis *Mosis*, Prophetæ. Doctrina Judæorum distinguitur in sacram & profanam. Ad hanc Mathesis, Physica, Medicina, Astronomia, refertur. In *Capite* de Scholis commemorantur scholæ Prophetarum, Academiæ Hebræorum, auditoria, professores, studiosi, methodus docendi, didactrum. Pedem promovet Autor ad promotionem,

tionem, ad ejus jura, ad promotorem, promotionem extra Palæſtinam, ad officia denique & docentium, & diſcentium. Hæc brevis eſt delineatio Operis utiliſſimi, lectuque digniſſimi, de quo tamen pro dignitate ferri judicium non poteſt, niſi ipſum ab eruditis, harumque inprimis literarum gnaris, lectoribus aſſidue excutiatur, qui multo plura, quam quæ nos perſequi potuimus, lectu digna ibidem offendent. Cui ideo ut Partes reliquæ, eadem tela textæ, in poſterum ſubnectantur, Autorem Clariſſimum, quibus poſſumus, modis obteſtamur.

## *JACOBI THEODORI KLEIN HISTORIÆ Piſcium naturalis promovendæ Miſſus quartus, de Piſcibus, per branchias apertas ſpirantibus, ad juſtum numerum & ordinem redigendis. Horum Series prima, cum Additamento ad Miſſum tertium.*

Lipſiæ, proſtat apud Jo. Frid. Gleditſchium, Gedani, typis Schreiberianis, 1744, 4 maj.

Plag. 9, cum Tab. æri inciſ. 16.

In *Miſſu ſecundo* Cel. Autor Piſces pulmonibus reſpirantes, Phyſeteres, vel Flatores, in *Miſſu tertio* vero piſces branchapocryphos, ſive branchiis occultis, vel abſconditis, gaudentes, expoſuerat; in hoc igitur *quarto Miſſu* ad piſces branchendelos, ſeu branchiis apertis gaudentes, progreditur, illosque duodecim faſciculis complectitur. Cum vero non omnes in hoc *Miſſu* proponere poſſit; ſeriem tantum primam uſque ad faſciculum ſextum tradit; ſcilicet faſciculo

1) Capite & ventre notabilis *Silurus*
2) Notabiliter roſtrati ore vario
   a) Ore prono edentulo ſub roſtro ſolido. *Acipenſer.*
   b) Ore fiſſo.
      1) Labrace, roſtro retuſo, dentibus horridis. *Latargus.*
      2) Mandibula ſuperiore in roſtrum notabile exeunte, inferiori brevi, triangulari, mucronata. *Xiphias.*
      3) Mandibula inferiori ultra ſuperiorem producta. *Maſtaccembelus.*

4) Utra-

4) Utraque mandibula æqualiter roſtrata. *Pſaliſoſtomus.*
c) Ore in roſtri tubuloſi extremitate. *Solenoſtomus.*
d) Capite & cauda roſtratus. *Amphiſilen.*
3) Notabiliter plani & oculati.
a) a dextro latere oculati.
1) Branchiis conſtrictis corpore longiuſculo. *Solea.*
2) Corpore attenuato in pinnas aculeatas, ſed inermes, exeunte. *Paſſer.*
b) a ſiniſtro latere oculatus *Rhombus.*
c) Utrinque oculati.
1) Rhombi figuram habet. *Rhombotides,* ſeu *Europus.*
2) Quadratus adſpectu eſt. *Tetragonopterus.*
3) Linguæ latæ figuram exprimens, *Platigloſſus.*
4) Thoracati notabiliter armati.
a) Circumquaque armis munitus. *Cataphractus.*
b) Galea armatus. *Coryſtion.*
c) Pungens. *Centriſcus.*
5) Vel ſterno, vel capite, notati; ad inſtar ricini omnibus corporibus ſibique invicem adhærentes.
a) Corpore tumefacto. *Oncotion.*
b) Corpore producto. *Echeneis.*
6) Corpore teretiuſculo anguillæ adſpectum habens. *Enchelyopus.*

Exhibitis igitur generibus omnibus, quæ in hoc Miſſu occurrunt, nonnulla de methodo Autoris, qua in his declarandis uſus eſt, addenda erunt. Varios ille piſces ex generibus ab *Artedo* conditis vindicavit, & ad alia genera reduxit, ſæpius condita genera diverſa ad pauciora contraxit, vel ſpecies erronee congeſtas ad certiora genera retulit. Ubique vero accuratas deſcriptiones, & generi ſtabiliendo aptas, expoſuit, & Autores optimos, qui de his egerunt, & ſynonyma generica, diligenter citavit, ne diſſenſus nominum aliquam in conferendis Autoribus pareret difficultatem. Nomina Græco-Latina, quibus ipſe uſus eſt, ſatis explicavit, cum non raro characterem genericum exprimant, nomina vero ſpecifica ampla ſatis expoſuit, ut deſcriptionis uberioris loco inſervire queant. Cum vero in omni

Hiſtoria

Historia naturali præstantiores & naturæ respondentes icones, characteres corporum naturalium egregie illustrent, speciebus hic recensitis non tantum *Willughbæi*, *Rondeletii*, & aliorum Autorum, nomina & citatas icones adjecit, sed ipse in sedecim Tabulis plurimas piscium figuras, accurate delineatas, & æri incisas, exhibuit; quæ non tantum Opusculum hoc ornant, sed etiam dicta egregie declarant. In omnibus vero diligentia, eruditio, candor, & singulare prorsus Historiam naturalem adjuvandi & amplificandi studium, satis elucent, ita, ut non tantum reliquos *Missus* de Piscibus, maximam partem jam adornatos, sed & alia Historiæ naturalis specimina, avide exspectemus.

## *JAC. THEODORI KLEIN SUMMA DUbiorum circa Classes Quadrupedum & Amphibiorum in Celebris Domini Caroli Linnæi Systemate naturæ, sive naturalis Quadrupedum historiæ promovendæ Prodromus, cum præludio de Crustatis. Adjecti Discursus 1) de Ruminantibus, 2) de Periodo vitæ humanæ, collata cum brutis.*

Lipsiæ, prostat apud Jo. Frid. Gleditschium, ubi & reliqua Autoris Opuscula, Gedani, typis Schreiberianis, 1743, 4 maj.

Plag. $6\frac{1}{2}$, cum Tab. æri incisis 2.

Hoc Opusculum varias observationes & meditationes circa Historiam animalium, inprimis quadrupedum, continet, quarum summam brevissimis indicabimus. In præloquio, de animalium lustratione a primo homine celebrata, asserit Cel. Autor, *Adamum* ex characteribus externis dispositionem in ordines, genera, & species, seu potius denominationem animalium, suscepisse, & omnes, qui systema animalium condunt, omnino quoque ad faciem externam respicere, nec ad viscerum structuram, quod nonnulli fecerunt, recurrere debere. Dum vero hanc suam sententiam exemplis illustrat, simul indicat, characteres, a dentibus petitos, sibi displicere, licet hi, certo quodam respectu, ad externas corporis partes referri possint. Hæc & alia

 Cel.

Cel. Autori, systema animalium Cel. *Linnæi* consideranti, dubia moverunt, quæ postquam cum amicis in literis communicaverat, nunc quoque nonnulla, scilicet summam dubiorum circa Classem primam & tertiam de quadrupedibus & amphibiis, omnium Historiæ naturalis indagatorum judicio exponit. Qua in re ita quidem versatur, ut ordines & genera ex systemate *Linnæi* ipsis Autoris verbis proponat, & in notis additis moneat, quinam characteres sibi incerti videantur. Varia igitur animalia & characteres, quibus dignoscuntur, describit. Licet vero nos ea, quæ hic exhibentur, repetere haud possimus; tamen quilibet perspicit, ex dissensu celeberrimorum virorum methodum animalium semper perfectiorem reddi, cum nec quilibet omnia animalia inspicere, nec characteres, quibus cognoscuntur, cum congeneribus conferre, queat, sed ex collatis Autorum observationibus posteri tandem ad systema excellentius condendum excitari possint.

Addit Cel. Autor Præludium de Crustatis, & speciatim de squillis & insectis malacostracis maris Balthici, ubi & de Oniscis agit. Malacostraca audiunt animalia branchiata, pedata, & caudata, quæ partem solidam foris, mollem vero & carnosam intus, habent, unde crustata, sive crusta, vel tunica fragili, loricata, salutantur. Duo genera summa condit: 1) quorum corpus lorica integra munitum cauda sola tabellata, ut Cancri, Gamari, Squillæ; 2) quorum vel integrum corpus caudaque tabellata, vel pectus pedesque loricati, reliquo corpore caudaque nudis & insectis, ut entoma, sive insecta crustata. Omnium differentias & characteres exponit, in squillis vero & entomis varias species adducit. In Discursu brevi de ruminantibus, ruminare dicit deglutitum pabulum per bolas ad masticandum in os regurgitare. Ruminant autem 1) omnia animalia quadrupeda & cornigera, ungulis bisulcis, bovinum, ovinum, hircinum, & cervinum genus; 2) animalia ex digitatis, quæ non nisi in pratis, campis, & sylvis, pabulum quærunt, arbores non frequentantia, α) pedibus didactylis, sive callis distinctis, Camelus; β) pedibus anterioribus pentadactylis, Lepus & Cuniculus cum cognatis. In Discursu de periodo vitæ humanæ, collata cum brutis,

brutis, obſervationes nonnullas de hominibus longævis utriusque ſexus proponit, & Autorum ſententias de vita longa diverſorum animalium brutorum addit. Ex omnibus his apparet, Cel. Autorem egregia cognitione hiſtoriæ animalium pollere, ita ut ea, quæ in piſcibus hactenus cum laude præſtitit, de reliquis etiam animalium claſſibus exſpectare nobis liceat.

DISSERTATION SUR L'ESTIMATION ET LA Meſure des forces motrices, etc.

hoc eſt,

*DISSERTATIO DE ÆSTIMATIONE ET MENſura virium corporum motricium, Autore DE MAIRAN, Regiæ Scientiarum Academiæ Secretario perpetuo.*

Pariſiis, 1741, 8.

Plag. 6, Tab. æn. 1.

LETTRE DE M. MAIRAN A MADAME ***, etc.

hoc eſt,

*MAIRANI EPISTOLA AD DOMINAM *** examinans quæſtionem de viribus vivis, reſponſionis loco ad objectiones, quas ipſi circa hanc rem fecit illa in Inſtitutionibus Phyſicis.*

Pariſiis, 1741, 8.

Plag. 3.

Virium menſura, quam in his ipſis *Actis* primus publicavit illuſtris *Leibnitius* anno Seculi præteriti octogeſimo ſexto, inde ab eo tempore ſuos reperit & fautores, & adverſarios. Neque jam, poſt tot annos præterlapſos, poſt tot ſcripta utrinque publicata, ita debellatum eſt, ut non ſummi etiam Mathematici, & quibus nulla, ut plebi eruditorum interdum, in controverſiis quærenda eſt celebritas, ingenium digne in hac quæſtione exerceri, exiſtiment. Parum vero aliena a partium ſtudio videri poterant *Acta* noſtra, niſi, quæ etiam contra *Leibnitium* diſputata ſunt, diligenter recenſeant, præcipue ſi a viris proficiſcantur

ſcantur, quorum vel ſola autoritas perſuadere poſſe videatur, ſi nec argumenta cogant; quæ res in cauſa eſt, cur harum etiam Diſſertationum ſummam inſerendam *Actis* noſtris judicemus. In nuda autem contentorum recenſione acquieſcemus, perſuaſum nobis habentes, haud noſtrum eſſe, ut controverſiæ, a tantis viris agitatæ, nos immiſceamus, id quod nec brevitas nobis propoſita, permittit.

Prælecta eſt prior Diſſertatio in illuſtri Academia Pariſienſi, & ſcriptis Academiæ, die 14 Aprilis A. 1718 publicatis, jam inſerta; nunc vero cura Abbatis *Deidierii*, qui eandem quæſtionem etiam ſingulari ſcripto examinavit, denuo comparet. Dividitur totum Opuſculum in capita quaſi quædam, quorum indices primo loco enumerabimus: 1) Quid per vim atque motum intelligatur, & de menſura virium in motu uniformi; 2) de menſura virium in motu variato: ubi & dubia, difficultates, & experimenta, pro ſententia *Leibnitiana* afferuntur; 3) ad difficultates, & ad experimenta, quæ *Leibnitio* favere videntur, reſponſio; 4) novæ difficultates, & inſtantia pro *Leibnitio*; 5) ad inſtantiam reſponſio, dubia, difficultates, & experimenta, contra *Leibnitium*; 9) propoſitio fundamentalis, ſolutio difficultatum, & explicationes generales; 7) ſolutio & explicationes magis particulares; 8) nova cogitata de motu in genere; 9) alia propoſitio fundamentalis, nova cogitata de motu variato contra *Leibnitium*, & pro ſententia communi; 10) Theoriæ præcedentis univerſalitas; ubi & de ſimplici tendentia ad motum, & de viribus mortuis; 11) de decompoſitione virium & celeritatum. Hæc eo animo deſcripſimus, ut Lectori noſtro uno intuitu œconomia totius Operis obverſaretur, in quo illuſtris Autor eo ordine cogitata ſua expoſuit, quo ipſi, hac de re meditanti, ſeſe ſuggeſſerunt.

Jam, ut rem ipſam aggrediamur, vim conſiderat eam, quæ, corpori applicata, ſi non impediatur, motum producit. Supponatur hic primo uniformis, eruntque vis, effectus, ſpatia æqualia, abſoluta temporibus æqualibus. Proinde in duobus mobilibus, diverſis viribus, ſed motu uniformi actis, non poteſt alia virium ratio aſſignari, quam ſpatiorum, quæ eodem

eodem tempore percurrunt, hoc eſt, velocitatum. Unde enim vires menſurentur, niſi ex effectibus, non perſpici poteſt, neque effectus hic alii adſunt, quam dato tempore per datum ſpatium translatio. Igitur, motus uniformes aut non poſſe decidere quæſtionem, exiſtimat, aut, ſi decidant, pro ſententia communi judicaturos. Ceterum non diſſimulat, in eodem motu uniformi alio adhuc modo quantitatem motus conſiderare nos poſſe, ita, ut ab illis, qui vires in duplicata celeritatum ponunt, parum recedamus; ſcilicet ſi vim motricem, abſoluta quantitate eandem, per diverſa temporis ſpatia mobilibus duobus applicatam concipiamus. Ita, ſi duo corpora æquabiliter eadem velocitate moveantur, alterum quidem horæ, alterum duarum horarum, ſpatio, dici poteſt, aliquo ſenſu alterius motum reliqui duplum eſſe. Verum hæc vis motricis expreſſio non poteſt nobis ullam vis motricis primitivæ notionem exhibere, nec niſi ejuſdem vis diverſam perdurationem indicat. Proinde, quæ conſideratio maximi momenti eſt, quotiescunque de vi corporis moti loquimur, vim illam, motumque, conſideramus, quales ſunt in tempore quovis actuali, atque independenter a motus duratione. De hoc tacite quaſi inter Mathematicos convenit. Cum ratio duarum virium, aut duorum motuum, quæritur, neceſſario ſpatia aut tempora æqualia, aut, quod eodem redit, in ratione conſtante ponenda ſunt. Inde duplum ſpatium, duplo tempore abſolutum, tantum vis atque motus dat, quantum ſimplum ſimplo. Igitur neceſſario in hoc negotio tempus attendendum eſt. In corporum, quæ infinite dura ſupponuntur, motu ex percuſſione nihil eſſe, quod communi virium menſuræ contradicat, ab omnibus conceſſum eſt. Quare jam ad motus variatos, & corpora flexibilia, progredimur. Hic autem primo illud *Leibnitii* argumentum ex adſcenſu corporum a gravitate retardato, reſolvitur ex magno, quod vocat, principio, in omni ratione communem ſubintelligi debere menſuram. Quæ cum hic tempus ſit, non recte inferri, exiſtimat, duplicata celeritate quadruplicari vim, quod corpus tunc ad quadruplicatam

catam altitudinem adſcendat. Ineſſe enim, inquit, temporis conſiderationem, qua adhibita, in corpore duplæ celeritatis, duplum ſaltem ſpatium, duplusque adeo effectus, eodem tempore agnoſcantur. Quæ cum jam *Leibnitio*, ſi recte meminimus, objecta ſint; illis longius non immorabimur, hoc ſaltem monito, quod eadem, ad tempus attentione facta, reſpondeat etiam ad experimenta *Poleniana* & *ſ Graveſandiana*. Velocitatem enim globi gravis, ex ſublimi in argillam, aut corporis elaſtici fibras, irruentis, ſi dupla ſit, duplo tempore exſtingui, & adeo hoc duplo tempore utique quadruplum effectum generare, cum ſimplo tempore duplum generet. Hic vero urgent *Leibnitiani*, vim ex effectu ſuo, licet duplo tempore producto, æſtimandam eſſe. Aliud hic contingere, quam in motu uniformi, ubi duratio motus nihil in vi motrice mutat, cum contra in motu retardato idem, quod motus uniformitatem tollit, vim etiam ſucceſſive imminuat, tandemque omnino deſtruat. Quæ vis proinde tanto major eſt, quanto diutius majori cum velocitate agere poteſt, eritque proinde ut tempus & celeritas conjunctim, hoc eſt, cum celeritas ſit ut tempus, in duplicata velocitatis. Hoc loco nodum quæſtionis latere, Autor exiſtimat, & judicium ſuum adhuc ſuſpendens, ſequentia ſaltem notat: Non probabile eſſe, analyſin tam ſimplicem & principia tam clara, quæ in motibus uniformibus, & in variatis ad uniformes reductis, vim celeritati proportionalem poni juſſerunt, ſubito nos deſerere, in vi per exiguum tempus durante, aliamque ei ſequente, e. g. temporis ſecundo, ac primo aſſignari quantitatem permittere. Nihil huc facere, quod ſæpius allegatum eſt, exemplum hominis, quadrupla vi idem pondus per quadruplum ſpatium transferentis. Nam & plures hic immiſceri circumſtantias phyſicas, quæ, ne idem viribus corporum inanimatorum applicetur, impediant, & aliud eſſe, eandem vim quatuor vicibus ſucceſſive habere, aliud vero, eodem momento quadruplam vim habere. Animales motus non contingere ex impetu primo impreſſo, nec leges motuum variatorum ſequi. Deinde experimentis, quæ pro *Leibnitio* afferuntur,

runtur, aliud opponit, antiquius, ſimplicius, magis tritum, & quod ab utraque parte concedatur. Scilicet, corpora velocitatibus, quæ reciproce ſunt ut maſſæ, in ſe incurrentia, vel quieſcunt poſt ictum, vel, ſi elaſtica ſint, iiſdem, quibus advenerant, velocitatibus reſiliunt. Jam horum corporum vires inæquales ſunt in hypotheſi *Leibnitiana*. Nam, ſi unius celeritas e. g. ſit 3 maſſa 1, alterius velocitas 1 maſſa 3, vires in hac hypotheſi erunt ut 9, & 3, videturque adeo prius corpus debere vi ſua majore ſuperare alterum, atque ſecum propellere. Nam, quod *Leibnitiani* regerunt, vis majoris partem impendi in compreſſionem commotionemque partium ejus corporis, quod minore vi gaudet, inde illud porro cogitur, corpus, minore vi pollens, dum reactione ſua in vi alterius corporis partem aliquam deſtruit, tantundem impendere propriæ vis, ad ſuſtinendum, impetus, compreſſiones, etc. in moleculas ſuas ab altero corpore exſertas, eoque ipſo, quod tantum vis perdit, magis ad cedendum diſponi.

Convertimur jam cum Autore ad Propoſitionem, quam fundamentalem vocat, *Sectionis VI* titulo indicatam. Hæc ita habet: *Vim quamcunque, quatenus oritur ex velocitate mobilis, cui inhæret, agere contra obſtacula, in quæ ſucceſſive temporibus æqualibus incurrit, in ratione celeritatis, & præterea agere, ſeque exſerere, per tempus, quod ſit etiam in ratione celeritatis, unde prodit actio totalis ut quadratum celeritatis. Sic, ut ſpatia percurſa in motu accelerato, vel retardato, impreſſiones, & reliqui effectus, in conflictu corporum ſint ut quadrata velocitatum, viribus, quæ hæc ſpatia abſolvi faciunt, reliquosque effectus generant, atque in hoc ſe conſumunt, exiſtentibus in ratione ſimplici velocitatum.* In hoc enuntiato explicando evincendoque poſtea verſatur. Ponit vero ſyſtema *Galilæanum*, & quæ de eo utrinque conceduntur. Sint jam duo mobilia ejuſdem maſſæ A & B, ponatur vero prioris velocitas dupla alterius. Hæc ſi motu rectilineo uniformi feruntur, per ante poſita, vires motrices ſunt ut ſpacia eodem tempore abſoluta, vel ut velocitates. Quid igitur cogit, aliam virium menſuram inire, cum iiſdem mobilibus obſtacula opponuntur, quibus

motus

Google

motus eorum retardetur. Remoras, resistentias, impulsiones contrarias, vel objicere mobili, vel tollere, nihil mutare videtur in quantitate vis mobili applicatæ, quæ illud secundum certam directionem propellat. Extera hæc sunt, nihilque ad vim motricem spectantia. Effectum ejus diminuere, vel omnino eam destruere, possunt, nihil vero in natura aut quantitate ejus mutare. Proinde, si ex hypothesi vis motricis in ratione velocitatis deduci queunt spatia in duplicata velocitatis, nihil jubet vires quadratis velocitatis proportionales ponere. Accedant ergo impulsiones gravitatis, & per viam amborum mobilium quasi disseminentur. Constat, illorum ope motus retardatum & tandem destructum iri. Exstinguatur e.g. ipsius B motus omnis tempore unius secundi, &, cum hoc tempore absque vi contraria 2 pedes absolvisset, ponatur, absolvisse motu retardato unicum. Constat, gravitatem simile spatium per idem tempus ablaturum mobili A, qualiscunque sit velocitatum ratio, dummodo finita sit. Ergo A, quod primo secundo temporis 4 pedes percursurum erat, retardatum non nisi tres absolvit. Sunt autem velocitates acquisitæ, vel perditæ, ut tempora; igitur mobile A perdidit velocitatis gradum, seu velocitatem suam dimidiam, quia habebat velocitatem = 2, contra mobile B perdit eundem velocitatis gradum 1, & adeo velocitatem suam totam. Jam gradus velocitatis, corpori A residuus, efficit, ut secundi unius tempore idem spatium absolvat, quod corpus B æquali tempore percurrit. Percurret igitur A adhuc pedem 1, & proinde totum spatium, ab eo peragratum, complectitur pedes 4. Dupla igitur vi ex dupla velocitate orta, A motum est per duplum temporis, quo B movebatur, & quolibet temporis articulo, altero alterum compensante, absolvit spatium duplum spatii, ab ipso B absoluti, unde oritur spatium quadruplum, seu in duplicata velocitatis. Scilicet non absolute dici potest, quovis temporis articulo A absolvere spatium duplum ipsius B, quia percurrit tres pedes instanti primo & unum sequente. Diviso vero tempore in partes infinite exiguas æquales, primis tempusculis corporis A spatium exacte duplum erit ipsius B, postea vero plus quam duplum

Digitized by Google

duplum, cum mobilium velocitatibus in ſerie arithmetica decreſcentibus, ratio velocitatis majoris ad minorem ſemper augeatur, ſitque ſpatium, tempore elementari percurſum, ſemper proportionale velocitati inſtantaneæ, ut in motibus uniformibus.

Ut vero clarius adhuc pateat, duplo longius durare motum corporis, & dupla velocitate initiali gaudentis, conſiderari debet, mobile majoris vis atque velocitatis in iiſdem obſtaculis iiſdem temporibus vincendis, cum corpore minoris vis atque velocitatis, nec majorem vim impendere, nec majorem velocitatem perdere, unde conſequens eſt, vires & velocitates perditas temporibus eſſe proportionales, quia, ceteris paribus, vires oppoſitæ tanto plus agunt, & tanto plus vis motricis conſumunt, quanto longiori tempore illis applicatur. Ita corpus A duplo majoris vis atque velocitatis duo obſtacula vincit, eo tempore, quo B unicum ſuperat, & quodlibet obſtaculorum ipſi A dimidium temporis actioni ſuæ expoſito, dimidiam vim atque velocitatem aufert ejus, quam idem obſtaculum ipſi B adimit. Igitur corpus & unum velocitatis atque vis gradum perdit eodem tempore, quo B qualiscunque numerus ſit obſtaculorum, ab utrovis ſuperatorum, cum, uti dictum, reactio obſtaculorum ad vim conſumendam ſit directe ut tempus, ſeu reciproce ut velocitas. Igitur vis, a majore velocitate orta, tanto longius durat pro ratione velocitatis, & agens ſimiliter pro eadem ratione impreſſiones & ſpatia generat in duplicata velocitatis, cum ipſe ſit tantum in ſimplici.

Ut in motu uniformi non ſequitur, vim infinitam eſſe, qua corpus finitum, finita celeritate, in æternum movetur; ita non inferri poteſt in rigore, vim motricem corporis in motu retardato majorem eſſe, quod longius duret. Non enim major eſt, quam quia majora ſpatia iiſdem temporibus abſolvi facit, vel potius hæc ſpatia majora ſunt, quia ob majorem velocitatem vis major eſt, unde per accidens ſimul tardius perit. Longior duratio igitur majorem quidem velocitatem indicat, non autem denuo in velocitatem multiplicanda eſt, niſi vitioſe velis vim per effectum ſuum atque effectus effectum conjunctim metiri. Jam, ſi vis augeatur velocitate



Digitized by Google

non aucta, massa augenda est, & tum considerari debent obstacula, non in majori *longitudine* quidem, sed in majori *latitudine*, pro mole corporis majore, superata.

Jam vero ad aliam propositionem theoriæ suæ fundamentalem explicandam probandamque se accingit. Tantum scilicet abesse ait, ut vires ex spatiis percursis æstimandæ sint, ut potius earum mensura constituenda sint *spatia non percursa*. Sit corporis B ea velocitas, ut dato tempore motu uniformi 2′ percurrere possit, corporique A, ut ante, tribuatur velocitas dupla. Jam, si his velocitatibus corpora perpendiculariter in altum projiciantur, accedentibus gravitatis impulsibus contrariis velocitas ipsius B omnis destructa sit, ubi B absolvit 1′, eritque 1′ residuus, quem B velocitate, seu dato tempore, adhuc percurrere poterat, nisi gravitas obstitisset, spatium a B non *percursum*. Idem nomen respectu ipsius A tribuetur itidem spatio 1′ residuo, siquidem A percurrisset, motu uniformi 4′ & motu retardato percurrit 3′. Jam vero, finito hoc primo instanti, destructa est vis omnis, qua B pollebat ad adscendendum, in corpore A vero vis hujus dimidium saltem destructum est, & residua velocitate gradus adscendet A motu retardato per tantum spatium, per quantum B ab initio eodem velocitatis gradu adscenderat. Igitur instanti sequente conficit A adhuc viam 1′, cum motu uniformi poterat celeritate, quæ adhuc residua erat, conficere 2′. Rursus itaque hoc secundo instanti est spatium ab eo *non percursum* 1′. Talia spatia *non percursa* dicuntur respectu vis motricis corporum A & B & directionis ipsorum, perpendiculariter versus superiora vergentis, cum contra re vera percursa æstimari possint directione opposita, ab effectu vis alterius motricis, viribus corporum oppositæ, & illas perpetuo modificantis. Esse vero his spatiis *non percursis* proportionales vis motrices, inde colligit, quod talia spatia quovis instanti repræsentant vim, eo instanti consumtam atque perditam, vel, quod eodem redit, effectum vis oppositæ, vim motricem destruentis. Est vero etiam summa virium perditarum, seu energiarum oppositarum, æqualis vi mobilis totali. Spatia percursa a mobili primo instanti sunt effe-

effectus vis constantis & conservatæ, non vis deperditæ. Igitur illis mensurari nequit quantitas vis deperdita eo tempore, quo percurrebantur. Spatium percursum non exprimit, nisi repetitionem vis totalis, aut partis ex ea residuæ, essetque infinitum, si vis esset cujuscunque magnitudinis, dummodo invariata maneret; est igitur spatium non percursum, quod partem deperditam mensurat. Jam facile perspectu est, spatia hæc non percursa singulis momentis æquali numero adesse cum instantibus & gradibus velocitatis, & proinde illarum summam proportionari velocitati simplici initiali. Ergo & vires, per demonstrata illis proportionales, sunt in ratione simplici velocitatum. Eodem modo, mutatis mutandis, ostendi potest, vires esse ut particulas materiæ, *loco non motæ*, ut elastra *non tensa*, & in genere ut obstacula *non superata*.

Hæc adeo generalia esse, existimat *Mairanus*, ut & ipsam *tendentiam* ad motum, seu quietem, ex virium æquilibrio oriundam, sub se contineant, ejusque a vi motui conjuncta discrimen accurate explicent, nulla relicta ratione, cur pro sententia *Leibnitiana* discrimen inter vim vivam atque mortuam tantopere urgeatur. Cum enim tendentia ad motum consistat in velocitate infinite exigua, & concipiatur mensureturque in quovis tempusculo elementari durationis suæ, percussio contra producatur in summa tempusculorum infinitorum, quæ tempus finitum componunt; facile perspicitur, quibus in casibus inter utramque etiam analogia quædam intercedere possit. Scilicet, si in tendentia integratur quasi, series instantium infinita æqualis percussionis durationi finitæ. Tunc tendentia erit ad percussionem ut spatium motu uniformi percursum ad spatium, motu accelerato, vel retardato, absolutum, vel ut parallelogrammum ad triangulum super eadem basi. Similiter tendentia rationem habet ad percussionem, in conflictu corporum inflexibilium, quia illorum conflictus est instaneus, nec non in concursu corporum flexibilium, si illius non nisi unicum instans, puta finale, consideretur; tunc enim, proprie loquendo, non comparatur nisi ultima ordinata trianguli, ordinatæ parallelogrammi super axi communi. Inde est, quod veloci-



Digitized by Google

locitates corpornm elasticorum post ictum iisdem formulis exprimantur, sive vires in simplici, sive in duplicata, velocitatum ratione ponas. Inde etiam quidam delati videntur ad illud experimentum, vires ope corporis, in brachium libræ incidentis, & pondus, alteri brachio impositum, elevantis, æstimandi. Sed hoc experimento difficulter accurati quid obtinebitur, tum propter frictionem, cui subjectum est, tum quod percussio gravis irruentis, ad impetum suum exserendum, tempore finito indigeat, atque, durante hoc tempore, pondus oppositum, quantumcunque sit, accipiat motum in ratione inversa massæ suæ. Nam, vel a minima percussione vinci maximam potentiam finitam, motu locali carentem, jam *Borellus de Percussione Cap. 29 Pr. 30* animadvertit. Tandem potest adhuc tendentia ad motum motui actuali comparari in compositione & decompositione virium. Nam, si vires, punctum aliquod directionibus quibuscunque trahentes, circa illud in æquilibrio sint, corpora, secundum harum virium directiones versus punctum mota, vel non elastica, quiescant post conflictum, vel elastica, iisdem, quibus advenerant, velocitatibus resilient, si motus eorum sint ut vires illæ trahentes.

Neque mirum est, leges simplicis tendentiæ ad motum easdem esse cum legibus motus generalibus. Omnis enim tendentia, omnis sollicitatio, gravitas, attractio magnetica & electrica, effectus motus alicujus actualis aut sunt, aut ita concipi possunt. Imo *vis inertiæ* ita concipi potest, aut ad minimum tanquam potentia aliqua actualis, cujus mechanismus nobis incognitus est. Et *Massa* ipsa, quam intelligimus, dum de motus quantitate loquimur, aut est vis actualis, aut ei æquivalet. Dum enim pondus corporis ut massam, vim ut massam in velocitatem ductam esse dicimus, aut nullam notionem voci massæ jungimus, aut notionem potentiæ, quæ vim, exterius corpori applicatam, modificare potest, Alias massa non magis opponeretur vi externæ, quam volumen, color, aut aliud quodvis accidens corporis. Neque enim vis augeri, vel minui, potest, nisi ab alia vi ejusdem naturæ. His positis, clarum est, id, quod vim corporis moti vocamus, non esse quan-

quantitatem linearem, ſed rectangulum, quod continetur ſub duabus viribus, una, quam nomine maſſæ indicamus, altera, quam tanquam exterius ex impetu viſibiliter corpori collato advenientem concipimus.

Neque exempla ex compoſitione virium, quibus *Leibnitiani* utuntur, illos aliquid juvant, cum ſuperius jam annotatum ſit, utramque virium menſuram in compoſitione idem præſtare. Et, cum in hoc negotio vis totalis reſolvatur quaſi in factores, nulla conſequentia eſt, ex his factoribus additis eandem vim totalem conflari debere tanquam ſummam. Hæc omnia fuſe ac dilucide Autor perſequitur; cum vero, qualibus hic uſurus ſit ratiociniis, facile poſſit ex antecedentibus colligi, reſtentque nobis aliqua adhuc de altero ejus opuſculo dicenda, filum hic abrumpimus, & ad illud convertimur.

Æſtimatio virium *Leibnitiana* mereri viſa eſt calculum ſuum fœminæ, quam non injuria *Voltærius Minervam Gallicam* vocavit, Marchioniſſæ *Chateletia*, atque in Inſtitutionibus ſuis phyſicis id egit, ut tum corroboraret argumentis hanc ſententiam, tum, quæ *Mairanus* in opuſculo modo recenſito contradixerat, infirmaret. Quod in cauſa fuit, cur *Mairanus* ſcriptum ſuum ſeparatim imprimi curaverit, adjectis, quas nunc aggredimur, ad *Chateletiam* literis.

Non longi erimus in recenſendo Epiſtolæ exordio, in quo falſe perſtringit antagoniſtam *Mairanus*, quæ ſcriptum, ante ſolidum & elegans ſibi viſum, cum illa *de natura ignis* Diſſertatione inclareſceret, jam demum damnare, & craſſiſſimorum errorum accuſare, inciperet, ubi Philoſophiæ *Leibnitianæ* addicta, omnia *Leibnitio* ſacrificaret. Enarrabimus potius, & quæ monuerit *Chateletia*, & quæ *Mairanus* regerat. Negat autem *Mairanus*, ſcriptum ſuum ea attentione ab antagoniſta perlectum eſſe, ut non ſæpius ſententias ipſi tribuerit, quæ nunquam ſibi in mentem venerint. Huc refert, quod accuſetur aſſeruiſſe, quod corpus ea vi, qua 4 elaſtra tendere poſſit, 6 tendat, cum tamen ex ſcripto ſuo non poſſit aliud enuntiatum colligi præter hoc, corpus, cujus vis atque velocitas motui per duo inſtantia continuando ſufficiunt, primo inſtanti & ſe-

& secundo 2 elastra tendere. Similiter, cum negavit *Chateletia*, jure motum retardatum ad uniformem esse a *Mairano* reductum, nil aliter fecisse se hic contendit, quam quod in motu accelerato *Galilæus* fecerit, faciantque omnes Geometræ, *Galilæum* secuti. Accusatur etiam Physicæ Autor, quod parum fideliter *Mairani* sententias expresserit, suppressis sæpius iis, quæ maxime necessaria erant, quorsum spectat, quod referendo *Mairani* enuntiatum: *Vires spatiis* non percursis proportionales esse, omittat, quæ sequuntur: *quæ percursa fuissent quovis instanti motu uniformi, si vis motrix non fuisset diminuta.*

Produxerat *Chateletia* argumentum invincibile, omnesque *Leibnitii* adversarios ad silentium redacturum, cujus *Hermannus* autor est. In corpus B quiescens elasticum massæ 3 irruat corpus A massæ 1. velocitatis 2, dabitque illi velocitatem 1. & reflectetur velocitate 1. In regressu incurrat in corpus C itidem elasticum, & quiescens massæ 1, cui conferet gradum velocitatis sibi residuum, & quiescet. Jam ex ipsa eorum, qui *Leibnitio* adversantur, sententia corporis B vis est 3, & ipsius C vis 1. multiplicando respective velocitates in massas. Ergo summa virium, post ictus in natura existentium, $=4$. Non vero potuerunt hæ vires oriri nisi a vi ipsius A. Oportet ergo, ut vis A fuerit 4, æqualis quadrato velocitatis 2. Sed, qui huic argumento tantum tribuunt, eos *Mairanus* homini comparat, qui, binarii exemplo seductus, duplum cujusvis numeri esse ejus quadratum, pronuntiaret. Resumantur enim tres globi, & detur ipsi A velocitas 4. Tum vero post ictum progredietur B velocitate 2, hoc est, dimidia ipsius A, ut ante, &, cum A, tanta velocitate, quantam globus B communicaverat, resiliat, transferet in C totam suam vim atque velocitatem, scilicet $-2$. Computando igitur vires, ut faciunt, qui vires vivas non admittunt, erit vis ipsius $B = 2 \times 3 = 6$, & ipsius $C = 2 \times 1 = 2$, viriumque summa $= 8$, quæ ex sententia *Leibnitianorum* debebat esse $= 16$. Reducuntur ergo *Leibnitiani* eo, ut facere debeant vim proportionalem summæ massarum ductæ in duplum velocitatis. Nam in ipso *Hermanni* exemplo 2 velocitatis non

non dat numerum 4, nisi quatenus $4 = 2 + 2$, non vero quatenus $4 = 2^2$. Si data ipsi A ante ictum velocitate $= 2$ dentur ipsi B massæ differentes, a 3 sequendo in ceteris eundem computum, obtinebitur post ictum in natura vis vel major, vel minor, quam resultare debebat ex velocitatis quadrato, in massam ducto, contenebiturque omnis hæc varietas intra duos limites, quorum unus est massa ducta in ipsam velocitatem. Concedent igitur virium vivarum adversarii, vim post ictum majorem esse posse vi ante ictum, sed ex hoc ipso cogent, vim non mensurandam esse modo *Leibnitiano*. Et tamen hoc ipsum argumentum *Hermannianum*, a *Chateletia* difficultati temporis, si qua esset, subjectum esse censetur, cum globus *A* reliquis duobus motum diversis instantibus communicet, sed, hanc difficultatem locum hic non habere, *Mairanus* judicat. Post conflictum enim inter *A* & *B* sunt in natura, ut adversarii fatentur, & *Chateletia* computat, 4 gradus vis in *A* & *B* simul sumtis, neque opus est, corpus *C* intrudere. *Chateletia* igitur, objectionem pertimescens, quam nemo facturus erat, ad alium casum provocat globi, velocitate 2 irruentis in duos alios, quorum massa est suæ dupla, & summa quadrupla, & quidem directione obliqua sub angulo dato, puta 60°, ita, ut cuivis communicetur gradus 1 velocitatis, adeoque 2 vis, unde oritur summa virium $= 4$; *conciditque plene objectio temporis, quam tantopere urgent adversarii.* Circa hoc vero exemplum plura adhuc monenda censet *Mairanus*: 1) enim ictus duplex non magis simultaneus est, quam ante erat ictus *A* in *B* unicum; 2) eo magis particulare atque fortuitum censendum est, quo plura data supponit, scilicet rationes globorum percussorum ad percutientem, cum hujus velocitate & directione obliqua constante. Igitur, sumendo alia data, habebuntur infiniti casus, ubi vis ex percussione genita a quadrato velocitatis in massam ducto differt; 3) temporis etiam considerationem hic habendam esse pro ratione velocitatis durante compressione & restitutione elastrorum, & præterea cum massæ duplæ, triplæ non nisi duplo, triplo tempore transferantur; 4) in oculos incurrit, ea omnia, quæ ex hoc exemplo colliguntur, deberi decompositioni

virium,

virium, & eadem omnia prodire pro simplicibus tendentiis, quas vires mortuas appellant.

Hæc præcipua sunt, quæ *Mairanus* adversario regerit. Unum adhuc addemus. Indignatur scilicet, tantum tribui hic præjudicio autoritatis, cum tamen *Leibnitio*, quem magnum fuisse non negat, *Newtonus* certe in hoc scientiarum genere non cedat. Germaniam fœcundam magnorum ingeniorum matrem appellat; Angliæ tamen idem elogium denegari non posse, contendit. De reliquis Europæ cultioris partibus absque injuria virium vivarum dici posse, quod circa hanc sententiam divisæ sint. Ipsam etiam Germaniam plures uno Geometras nutrire, qui jure pro magnis habeantur, & qui viribus vivis valedixerint, quas ante, autoritate magistrorum suorum adducti, defenderant. Exempli loco provocat ad egregiam, quam vocat, Dissertationem *Hausenii* nostri *de Viribus motricibus.* Non constat nobis, an *Mairano* visa sint ea, quæ Cel. *Heinsius* de eadem re continuavit, & quæ de mente sua *Hausenius* ipse in Programmate, A. 1741 edito, ulterius exposuit.

## *PERICULUM EXEGETICO-DOGMATIcum, de primo primorum hominum peccato, factum a WILHELMO CHRISTIANO JUSTO CHRYSANDRO, Philosophiæ & Artium Magistro.*

Helmstadii, 1743, 4.

Plag. 15.

Quo difficilior est, & quo pluribus spinis vepribusque septa, de *defectione primorum hominum* doctrina, hoc insigniori laude exornandi sunt, quotquot in ea copiose non minus, quam accurate & distincte, indaganda nervos omnes contendunt. Non postremus horum existit Autor doctissimus, qui in erudita hac Diatriba omne studium suum eo confert, ut capiti illi, multis eruditorum dissensionibus a longo tempore agitato, lucis aliquid affundat. Quæ disputat, ordine proponit, & singula, succinctis thesibus comprehensa, animadversionibus non contemnendis illustrat,

illustrat, ex omni eruditione, & philosophica, & philologica, maxime tamen theologica, petitis. Præmissa definitione, qua
primum primorum hominum peccatum *defectum convenientiæ* §. 1.
*cum lege divina positiva universali, in mutatione aliqua eorum libera, in nulla ante obvium,* vocat, distinguit omnem laborem suum in partes duas, quarum altera *legem* ipsam, præeunte
*Gen. II, 16, 17,* tradit, altera *convenientiæ cum lege defectum,* de- 2. 3.
clarat. Commendat argumenti hujus & gravitatem, & utilitatem, quam quidem in introspicienda conditione nostra præsenti, in vindicanda etiam Scripturæ S. autoritate, spectari, scienter monet. Exponit etiam de argumenti difficultate, sed ita, 4.
ut neminem forsan eruditorum dissentientem sit habiturus. Post- 5.
ea eos producit in conspectum, qui de lapsu protoplastorum copiose jam commentati sunt, quorum in numerum explanatores Bibliorum, & librorum speciatim *Mosaicorum,* referuntur, præter eos tamen præcipue illi, qui singulari opera caput hoc excutiendum sibi sumserunt, & de lapsus illius cognoscendi principio, tempore, causa externa, & interna, de culpa lapsus, de arbore cognitionis, &c. disputarunt. Argumenti hu- 6.
jus sedem ex *Gen. II, 9, 15, 16, 17, Cap. III tot.* præsertim *v.*
*3-8, 22, 23,* rectissime indicat. Postquam librorum *Mosaicorum* 7. 8.
divinitatem & integritatem paucis ab adspersis maculis liberavit, propelli ab iis jubet rationem scribendi hieroglyphicam, quam *Witterus* inprimis animo confingere haud erubuerit. Sensum
literalem sectandum hic esse, tribus rationibus evincit. Ordi- 11. 12.
tur jam Clariss. Autor *Caput I,* &, explosis quorundam de arbore cognitionis hypothesibus, *veram* intelligendam esse *arborem,* tum ex voce עץ, octies hic occurrente, tum ex conjunctione cum arboribus ceteris, ex ipsa etiam commemoratione loci arboris, seu horti, itemque speciei ejus & fructus, feliciter
demonstrat. Situm arboris *in medio paradiso* quærendum, 14. 15.
duce oraculo *Gen. II, 9,* ita docet, ut, observata accentuum 16.
serie, verba ultima omnino ad בתוך הגן referri posse, præclare moneat. Obscuram esse arboris hujus *naturam,* recte ob- 17.
servat, idque exinde enasci, quod partim prædicata non eo proferantur fine, ut naturam indicent arboris, sed ut repræ-

 sentationes

Digitized by Google

ſentationes *Evæ* confuſæ pateſiant, partim quod, ſi vel ipſum
qualitatis indicium intenderit Deus, illud tamen non ſufficiat
§. 19. ad conceptum completum. Ut naturam obſcuram dicit, ſic
pariter ſubjicit, in profundo latere *ſcopum* illum, ad quem exi-
ſtentia arboris illius collinearit. Variæ ea de re variorum opi-
20. 21. niones producuntur, ab iisque diſceſſio fit. Omni niſu in id
jam incumbit Cl. Autor, ut, ***arborem vitæ*** & ***arborem cogni-
tionis boni & mali*** eandem eſſe arborem, conficiat. Mentem
ſuam ea de re declarat ita. Unam arborem exſtitiſſe, ait, in
parte Paradiſi media, dictam hominibus integris ***arborem in
horto medio.*** Hanc tamen arborem præter illud nomen duo
ſortitam eſſe alia, unum ***arboris vitæ***, alterum ***arboris cogni-
tionis boni & mali.*** Utrumque eorum nominum ***poſt hominum***
22 ſeq. ***ſeductionem*** obtigiſſe, a protoplaſtis inditum. Hanc identita-
tem arboris utriusque fulcit obſervatione quadam de ו in ulti-
mis verbis loci, *Gen. II, 9*, quod [illegible] *declarativo* potius haben-
dum, quam pro disjunctivo, ſignificat, ita quidem, ut, quem-
admodum ו in ועץ החיים *inſuper*, *ſpeciatim*, vertit, ſic in
ועץ הדעת per *nempe* transferendum præcipiat, eo ſenſu, ut ver-
bis ſequentibus eadem indicetur arbor, de qua antea jam fuerat
dictum. Probat hunc particulæ ו ſenſum tum ex locis Vete-
ris, tum ex aliis Novi Teſtamenti, ex profanis etiam ſcripto-
31. ribus, qui particula καὶ conſimili notione utuntur. Idem et-
iam ו exinde corroboratur, quod prædicata arboris vitæ & ar-
34. 35. boris cognitionis non niſi uni arbori a *Moſe* vindicentur. Re-
ſpondetur ad ***objectiones***, quæ diſtinctionem arboris utriuſque
tollere videntur, & tum ad clariſſimam duplicis arboris deno-
minationem redeunt, tum ad גם, in loco *Gen. III, 22*, ex-
36. preſſum. Conſtans eſt in ſententia Autor, arborem in medio
Paradiſo ***duplici nomine*** fuiſſe inſignitam, &, nomen ***arboris vi-
tæ*** explicari, credit, per alterum ***arboris cognitionis.*** Provo-
cat ad res polyynomas, in ſacris Pandectis obvias, ad unum
locum, ***Miſchpat*** & ***Kadeſch*** dictum, *Gen. XIV, 7*, ad unam
uxorem, ***Ada*** & ***Baſmath***, *Gen. XXVI, 34*, ad unum virum,
37. 38. ***Raguel*** & ***Jethro***, *Exod. II, 18, III, 1.* Differit poſtea de
geminæ denotationis ***autore***, & de ***tempore*** impoſiti nominis
utrius-

utriusque. Omnia ad normam hypotheſis, ſupra ſtructæ, confirmat. Indagat rationem verumque ſenſum illorum nominum, §. 39.
& *arboris* quidem *vitæ* nomen ex וחי לעולם *Gen. III, 22*, coll. *17, 18, 19.* Contra vero alterum *arboris cognitionis* ex יודעי
טוב ורע deductum opinatur. Quia *arbor vitæ* non ex ſolo 40.
hominum arbitrio, ſed & ex conſilio divino, nomen ceperit, repeti illud, animadvertit, & alibi, *Prov. XIII, 12, Apocal. II, 7*, ſed *arborem cognitionis*, cujus nomen ex mendacio ſatanæ
profluxerit, a Spiritu S. præteriri. Reddit rationes legis de 42 ſeq.
*prohibito fructu* arboris, *pœnam*que confert, legi adjunctam,
ejusque in transgreſſores ſtatutam. *Caput primum* excipit *ſecundum*, de *Legis transgreſſione.* Docte hic atque accurate 50.
graviſſimi momenti excutitur quæſtio, utrum Deus ſit ipſa peccati cauſa, ac negativa ſententia multis rationibus confirmatur.
In *cauſa externa* deſcribenda, & ſeductionis diabolicæ modo 51 ſeq.
indicando, ad imaginem ſerpentis corpoream attenditur, illudque corpus phantaſticum fuiſſe, exinde declaratur, quod ſerpens non naturalis, ſed plane ſingularis, exſtiterit, quod poſſibile ſit ſerpentinum ejusmodi phantaſma, denique, quod ſerpens ſeductor ab eo, quem fecerit Deus, *Gen. III, 1*, manifeſto diſcernatur.
Ad modum *ſeductionis*, præter corpus 55. 56.
ſerpentinum, refertur etiam ſermo, arte fraudibusque diaboli ad tempus aſſumtus, isque & mendax, & ſtratagematibus ſuffultus.
*Cauſam externam* ſequitur *interna*, quæ explicatur per 57.
negligentiam hominis in recte adhibendo libero arbitrio. Ve- 58.
nitur ad modum ſeductionis *paſſivæ*, ad quem intermiſſus virium naturalium uſus, indeque ſubnatus error, cum ἀπιςία, ſenſitiva etiam appetitus inclinatio, poſtremo celerior conſilii
executio, ex eaque delectatio, referuntur. Peccati primi *for*- 59.
*ma* conſtituitur & illegitima mentis primorum hominum determinatione, & actu comeſtionis, divino interdicto vetito.
*Atrocitas* peccati hujus, quoad ſubjectum, objectum, formam, 60.
effectum, declaratur. Ultimo loco peccati producitur *effectus*, qui in corpore vocatur corruptio humorum & conturbatio vis in corpore motricis, in animo confuſio totius vis repræſentativæ. Hæc ſumma eſt elegantis hujus Commentatio-

 nis

Digitized by Google

nis Autoris doctissimi, cujus sententiæ nonnullæ, non ubivis receptæ, ob rerum propositarum apparatum, delectum, pondus, ordinem, duriorem aliorum censuram fortasse effugient.

## NOVA LITERARIA.

Gottingensibus prelis exiturus est proxime liber prorsus egregius, hisque omnibus, qui rei diplomaticæ student, nec, quantum hæc valeat ad historiarum cognitionem, ignorant, insigni usui futurus. Indicem ei Autor hunc dabit: *Lexicon Diplomaticum, abbreviationes syllabarum & vocum, in Diplomatibus & Codicibus a Seculo VIII ad XVI usque occurrentes, exponens; junctis alphabetis & scripturæ speciminibus integris. Studio* Joannis Ludolphi Waltheri, *S. R. Majest. M. Britann. in Archivo Electorali a Secretis: Cum Præfatione* Joannis Davidis Kœleri, *in Georgia Augusta Historiarum Professoris.* Excudetur Opus sumtibus Bibliopolarum Academiæ Gottingensis, fratrum *Schmidiorum*, qui de omni hoc instituto publice certiores fecerunt Viros doctos in Epistola, eam in rem edita, cui hic locum concedere integræ, non abs re fuerit Lectorum nostrorum. Est autem hæc:

Quanquam præstantissimi hujus Lexici argumentum ex præmisso titulo jam commode intelligi possit, vinoque vendibili, ut ajunt, neutiquam hedera opus sit; haud supervacaneum tamen fuerit, de Operis hujus instituto atque conditione nonnulla in medium afferre, quæ, usquedum justæ epulæ apponi possint, promulsidis locum obtineant. In hocce Lexico Latinæ scripturæ compendia, quæ hodie *abbreviaturas* vocamus, dilucide & perspicue explicata sunt, eaque duplicis generis esse constat. Veteres enim alia scribendi ratione in libris & Codicibus manu scriptis, alia in Diplomatibus chartisque, usi sunt, pleraque autem verba & syllabas ita miris obscurisque figuris, nec non signis, expresserunt, ut subinde vel exercitatissimo molestiam afferant, crucemque figant. Huc refer omnes illas *variantes lectiones*, quarum mole hodie premimur, & in quibus interpretandis eruditi in tot contrarias distrahuntur sententias. Ne vero per

futura

futura secula ejusmodi lites trahantur, eruditissimus Autor de utriusque scripturæ Abbreviaturis enodandis quam maxime solicitus fuit, tantumque abest, ut quis adhuc tam exactam, omnibusque numeris absolutam, harum Abbreviaturarum enarrationem in dias luminis auras miserit, ut ne aliis quidem occasio suppeditata fuisse videatur, id genus αὐτόγραφα chartasque veteres, quas hic labor efflagitat, manibus versandi. Nemo hinc est æquus rerum æstimator, qui insignem usum, exinde in literatorum rempublicam redundantem, non facile perspiciat. Ita enim antiquos libros & avthenticas tabulas, quas vix e millibus unus sensu assequitur, facile, nisi mens omnino læva fuerit, intelligere, ac latentes in iisdem thesauros in usus nostros vertere, poterimus. Quam multos quantivis pretii Codices & documenta in tabulariis Monasteriorum caliginosa nox premit, quæ, quod istorum usus, foliorum Sibyllinorum & hieroglyphicorum instar, haud pateat, pulveri blattisque relinquuntur! Via autem sic emunita, exemplisque commonstrata, monachi, aliique horum talium κειμηλίων possessores, bona sua nosse, iisque quæstu longe uberrimo uti, discunt. Ad clausa & fastidita penetralia jam clavem porrigit præsens Lexicon diplomaticum, quod, tanquam Phidiæ aliquod signum, omnium procul dubio eruditorum admirationem merebitur, quodque vel eorum, qui satis perfunctorie hanc eruditionis partem callent, oculos animosque in se convertet. Contentæ in hocce Opere Abbreviaturæ prioris classis, de qua supra dictum est, desumtæ sunt ex veris ac genuinis avtographis Imperatorum, Regum Diplomatibus, Papalibus Bullis, processibus Rotæ Romanæ, Responsisque juridicis; tum ex Episcoporum, Principum, Comitum, Monasteriorumque, chartis, quales in omnibus Europæ regnis fieri consueverunt. Secundæ classis Abbreviaturæ haustæ sunt ex Codicibus & membranaceis, & chartaceis, & quidem ex theologicis, juridicis, medicis, philosophicis, & astronomicis, Codicibus, Liturgiis, Missalibus, Calendariis, librisque rationum, easque omnes diligentissimi Autoris manus ad primigenia exempla improbo labore

descripsit, atque iterum iterumque castigavit. Quod ad tempus attinet, quo quævis Abbreviatura in usu fuit, utriusque generis exempla, puta Diplomatum & Codicum, ex Seculo VIII usque ad XVI collecta sunt; licet ad hocce tantum Abbreviaturæ, in Notariorum instrumentis obvenientes, pertineant, pervulgatis jam reliquis scribendi modis, qui passim in huius seculi Codicibus MStis observantur. Ut vero protinus in propatulo sit, cuinam tempori hoc vel illud scripturæ compendium proprium sit, ad primæ classis Diplomata atque chartas ipse annus & dies, quo documentum prodiit, adscriptus est; in Abbreviaturis vero secundæ classis, sive Codicum MStorum, duntaxat Seculum, in quo Codex scriptus est, (quando scilicet hoc jam ipse Codex monuit,) exsignatum est; adjectis tamen literis *i. m. f.* significantibus *initium*, *medium*, ac *finem*. Illæ autem Abbreviaturæ, quibus neque Seculum, neque annus, adjectus est, ex Codicibus, tempus conscriptionis haud referentibus, haustæ sunt; quod summo studio a Clariss. Autore ita observatum fuit. Dispositio ipsius Operis ita ordinata est, ut quævis linea in quavis Tabulæ columna quaternas res sistat: 1) figuram Abbreviationis ad fidem archetypi accuratissime delineatam; 2) literas, in ipsa figura latentes, perspicue expressas; 3) integram vocem, quam figura refert, omnibus literis exaratam, ut vera figuræ significatio in aprico sit; et 4) tempus, quod ejusmodi ænigmata sibi speciatim seposuit. Quæret fortean benevolus Lector, num omnia ita certa sint, ut nullum dubium supersit, collectas figuras id ipsum innuere, quod eruditissimus Autor tradidit, earundemque explanationem a Scriptoris antiqui mente haud alienam esse. Scias ergo, caute Lector, vigilantissimum Autorem hanc sibi perpetuo legem dixisse, ne prius de figura quadam, aut ejusdem abbreviatura, certi quid pronuntiaret, nisi eandem plus vice simplici in eodem Diplomate, vel Codice, invenerit, ipsique ex verborum cohærentia constiterit, non alium, præter quem apposuit, figuræ sensum esse. Ex quo simul apparet, hoc Lexicon neutiquam purum putum mechanicum opus esse, quod sola figurarum & vocabulorum deli-

delineatione constet; sed ad verum & genuinum sensum cujusvis figuræ indagandum dispectu & ferrea diligentia opus fuisse, solicitoque πρόσω καὶ ὀπίσω. Quicunque ergo de vera expositarum figurarum significatione dubitabunt, consulant, si commodum est, Diplomata Codicesque MStos a Seculo VIII usque ad XVI, rigidissima ad illos censura ænigmatum enodationes examinent, habituri deinde profecto, cur literatissimo *Walthero*, non tantum ut magni operis patratori, sed & ut desperati laboris victori, ex animo gratulentur. Haud simus ferendi, si superbe jactemus, omnes, quotquot sunt, quotque fuerunt, abbreviaturarum species, nulla prætermissa, in hocce Lexico occurrere; id tamen ex certa scientia profitemur, laudatissimum hujus Lexici Autorem, licet jam Opus ad umbilicum perductum esset, per multos adhuc annos innumera Diplomata, omnisque generis Codices MStos, diurna nocturnaque manu eo consilio versavisse, ut spicilegia post messem instituerer; vix tamen in unam alteramve figuram, vel scripturæ compendium, incidisse, quod collectioni amplissimæ nihildum fuisset insertum. Fidem nobis habebunt, qui noverunt, Autorem ultra viginti annos perpetuam rei diplomaticæ operam navasse, nullamque occasionem, Abbreviaturas colligendi & interpretandi, e manibus amisisse. Ne tamen Opus nitidissimum plus justo grandius fieret, aliquot chiliades abbreviationum faciliorum, quas nemo non intelligit, provida *Waltheri* diligentia missas fecit. Seriem Abbreviaturarum, ordine alphabetico dispositarum, excipiunt signa, quæ non inflexis literis, sed longe aliis figuris, expressa sunt, innuentibus tamen syllabas & integra veterum librorum & Diplomatum vocabula, e. g. particulas *con*, *com*, *contra*, *esse*, *est*, *&*, *etcetera*, *etiam*, &c. Deinde characteres numerorum exhibentur, & notæ, sive signa, Calendariorum, interpunctionum, commatum, punctorum, notarum, paragraphorum, asteriscorum, citationum marginalium, ponderum, & mensurarum, nec non artis musicæ, cum locupletissimo in hæcce commentario. Denique huic Operi immortale decus conciliant Alphabeta absolutissima, & integra specimina scripturæ ex Diploma-

Digitized by Google

plomatibus, Chartis, & Codicibus omnis ævi, desumta, non solum accommodatissima ad veram ætatem cujusvis Codicis cognoscendam, sed & ad rectum judicium de cujuscunque Diplomatis & veterum documentorum fide ferendum. Plura de insigni hujus Lexici præstantia & utilitate dixit Cel. *Kœlerus*, Historicorum nostra ætate facile princeps, in Præfatione, huic Operi præmissa. Totum Opus a capite ad calcem Tabulis æneis constat, quod tanta veterum & insolitarum figurarum multitudo non aliter exsignari potuit. Licet vero hocce institutum quam maximos sumtus efflagitet; omnia tamen ita provisa sunt, ut Operi jam inchoato fastigium, favente Deo, imponi possit. Ne vero privati a coemendo hocce thesauro arceantur, bibliopolæ, impensas suppeditantes, curabunt, ut & æquissimo pretio prostet, & Opus in duas Partes distribuatur. Quævis præter propter centum viginti Tabulas in æs incisas continebit, & prior quidem Abbreviaturas a litera *A* usque ad *M*, posterior a litera *N* usque ad *Z*, cum omnibus supra laudatis figuris, numeris, alphabetis, & integris scripturarum speciminibus. Decus externum internæ præstantiæ omnino respondebit, ceu ex primis plagulis, jam æri incisis, perspicuum est. Forma eadem est, quæ in *Mabillonii* Codice diplomatico conspicitur; in eo autem differt, quod præsens liber, quantus quantus est, tabulis æneis exhibeatur. De summa Chalcographorum diligentia neutiquam dubitandum est, quandoquidem solertissimus Autor non modo ipse omnia delineavit, sed & illi sub ejus auspiciis pensa sua Hanoveræ perficiunt, ut adeoque vix ullum σφάλμα irrepere possit. Versus finem hujus anni 1744 Bibliopolæ *primam Partem* in lucem mittent; *alteram* futuro anno versus festum S. *Joannis*, vel *Michaelis*. Deus annue coeptis!

Nos Bibliopolarum votis nostra jungimus, plurimum ex hoc Opere & commodi in elegantiores literas, & gloriæ in præstantissimum Autorem, redundaturum, hoc certius ominantes, quo minus dubitare licet, eruditissimum *Waltherum* in hac sparta ornanda ita se gesturum, sicut ab insigni ejus doctrina & industria bonis omnibus licet exspectare.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXLIV.

*MONUMENTA INEDITA RERUM GERMAnicarum, præcipue Cimbricarum & Megapolensium, quibus varia antiquitatum, historiarum, legum, juriumque Germaniæ, speciatim Holsatiæ & Megapoleos, vicinarumque regionum, argumenta illustrantur, supplentur, & stabiliuntur. E Codicibus MStis, membranis, & chartis avthenticis, erui studuit, notulasque adjecit, & cum Præfatione instruxit, ERNESTUS JOACHIMUS DE WESTPHALEN, Cæsariæ Regiæque Celsitudinis, Magni Ducis Russiæ, Ducis Slesvici & Holsatiæ, Cancellarius in Aula & Senatu intimo, Ordinis Ducal. Slesvicens. Holsat. Eques.*

*Tomus III.*

Lipsiæ, impensis Jo. Christ. Martini, 1743, fol. Alph. 13 plag. 20, Tab. æn. 60.

De *tertio* præstantissimi hujus Operis *Volumine*, haud ita pridem edito, pro instituto nostro dicturi, non possumus, quin statim in limine bonis Musis præstantissimum hunc studii & laborum suorum socium gratulemur, Illustrissimum hujus Operis Editorem. Nimirum, summum hunc Virum, tantis dignitatibus & honoribus præfulgentem, atque in tanto munerum fastigio constitutum,

inter curas & labores, quos non unius tantum reipublicæ administratio, ſed integrorum regnorum & imperiorum, quibus negotia aulæ Holſato Gottorpicæ ab aliquo jam tempore innecti cœperunt, ſalus, ab ipſo requirit, adhucdum his ſacris Muſarum vacare, iisdemque aliquam operæ ac temporis ſui partem tribuere poſſe, ut res ſatis mira omnibus habenda eſt, ita, dum, nihilo minus fieri atque factum id eſſe, intelligunt, non poterit non inter præclariora facinora reputari, quæ vulgarem rerum humanarum ſortem longe ſuperant.

Hac generali hujus literarii theſauri conſideratione præmiſſa, ad ea, quæ nobis in eodem recluſa ſunt, κειμήλια propius contemplanda ſtatim accedimus. Facientes autem hoc ipſum, & monumentorum, in hoc *Volumine* exhibitorum, ſyllogen cum longioris, quam eidem præmiſit Illuſtriſſ. Editor, Præfationis argumentis contendentes, id facile obſervamus, non adeo hæc inter ſe cohærere, ut, quemadmodum in ſuperiorum hujus Operis *Voluminum* recenſione fecimus, una cum ſingulorum, quæ hic exhibentur, opuſculorum enumeratione, de præcipuis capitibus, quorum tractatio in Præfatione occurrit, referre queamus. Etenim, ut vel ipſe, qui Præfationi additus eſt, titulus indicat, in hac præcipua tantum *Tomi* hujus *III* monumenta recenſentur, de originibus vero & fontibus jurium Cimbricorum uberius diſſeritur. Quæ quidem argumenta cum non per omnia inter ſe connexa ſint, ſingula autem conſiderationem mereantur, ut eorum ſummam oculis Lectorum noſtrorum ſubjiciamus, neceſſitatem nobis impoſitam eſſe intelligimus, ſeorſim de iisdem tractandi, ac proferendi primum, quid aliorum curis & laboribus in præſtantiſſima hac monumentorum collectione debeatur, tum vero demum adjiciendi, quid ab Illuſtriſſ. Editoris induſtria allatum ſit, ut deſtinationi ſuæ in Cimbricorum jurium fontibus & originibus cummaxime indagandis ſatisfaceret.

Ut prius illud inſtitutum noſtrum perſequamur, ſingulorum, in hoc *Volumine* comprehenſorum, monumentorum indicem

cem ita exhibebimus, ut brevibus simul commemoremus, si quid sit, in quo literariam eorundem notitiam nobis impertiri Illustriss. Editori allibuerit. *Primum* horum monumentorum *Chronicon Holsatiæ vetus* est, cum quo conjungere nobis licet *alterum* & *tertium*, siquidem in illo interpretatio Latina, ex originario exemplo Germanico facta, & eidem e regione posita, in hoc autem continuatio ejusdem ab A. 1428 usque ad A. 1460, exhibetur. Autorem hujus Chronici Presbyterum Bremensem esse, qui Seculo XV vixerit, copiose nos docet Illustriss. Editor, addens, Latinam ejusdem ἔκδοσιν pridem fuisse datam a Cel. *Leibnitio* in Accessionibus historicis, Hanoveræ A. 1700, 4, vulgatis; qui vero cum Codice tantum unico, eodemque vitioso admodum & manco, usus sit, hic vel quinque textus vernaculi & septem Latini Codices, qui Editori nostro ad manum fuerunt, adducuntur; ex quibus inter se comparatis & illud omnino conficitur, avthenticum & originarium idioma vernaculum esse, ex quo Latinum exemplar demum transsumtum sit, unde & continuatio illa, quæ post utriusque exempli editionem, sibi e regione junctam, legitur, atque ipsi etiam illi primævo Chronici Autori haud vana conjectura tribuitur, unico tantum, eoque Germanico, idiomate scripta hic exhibetur. Plura, quæ de Presbyterorum atque aliorum ex Clericorum ordine dignitate, ad quam ævi illius conditio eosdem provexit, hac occasione ferente pluribus commemorata sunt, hic repetere haud vacat; illud saltem, quod pro Autore hujus Chronici, Presbytero illo Bremensi, Illustriss. Editor inde infert, adducemus, quando characterem ejus *pag. 13* Præfationis his quidem verbis designat: *Haud igitur addicendus est Presbyter ille scriba Bremensis numero hominum ex fece plebis, quibus* Leibnitius *illum annumeravit, referendus quippe merito suo in censum Clericorum honoratiorum, qui plures sui ordinis ævique eminentiori industria & eruditione vicit, scribaque ideo, seu primarii Consiliarii, dignitatem adeptus est. Quarto* loco cum exhibetur *Hieronymi Cypræi Chronicon Episcoporum Slesvicensium*, hæc quidem opella, quæ velut fons & scaturigo spectanda erit, ex qua prolixiora gentis *Cypræorum* in histo-



Digitized by Google

riam Cimbricam merita profluxerint, quæ sola *Jo. Adolph. Cypræus*, Apostata, suppressis fere aliorum nominibus, sibi vindicavit, occasionem Editori nostro sufficit, latius hinc in Præfatione excurrendi, edisserendique, tum quæ *Cypræorum* omnium ex communi stipite, *Nicolao Kopperschmidio*, qui A. 1533 Senator, & deinde Consul Slesvicensis, evasit, cujusque nomen posteri in Græcum *Cypræorum* pro more seculi transformarunt, origo fuerit, tum vero, quam fœcundam is ex se propaginem reliquerit; in qua cum *Hieronymum* hunc nostrum, Slesvicensis Capituli quondam Archidiaconum, ac *Paulum Cypræum*, celebriorem ævi sui JCtum, fratres germanos fuisse, primum constituitur, atque ex hujus etiam numerosa prole quinque filios, *Paulum*, *Nicolaum*, J. U. D. *Hieronymum*, J. U. L. *Philippum*, atque *Joannem Adolphum*, porro inclaruisse, & ex monumento sepulchrali *Pauli Cypræi*, quod in templo cathedrali Slesvicensi adhucdum conspicuum, hoc autem loco æri eleganter incisum est, abunde comprobatur, tandem, quid in his tum *Hieronymo* nostro, seniori, tum *Paulo*, tum *Hieronymo*, juniori, tum denique *Joanni Adolpho*, qui & patris ac patrui fratrisque præsidiis usus sit, quique adeo omnes in argumento historiæ patriæ elaborarint, seorsim debeatur, ita exponitur, ut, quantum cuilibet tribuendum sit, ex instituenda cum monumento, hic exhibito, comparatione nunc satis perspicuum evadat. Cum autem *Paulus* ille *Cypræus* ex culta pro ævi sui more Jurisprudentia, & ex scriptis, in hanc rem editis, magnum sibi inprimis nomen paraverit, atque ejus in hac parte meritorum vix alibi memoria servata sit; prolixiorem eorundem recensum hic reperire licet; ad plura vero Juris privati ac Cimbrici potissimum argumenta uberius explicanda, eademque ad genuina sua principia revocanda, cum Illustriss. Editor hac occasione longius se abduci passus sit, de iisdem nobis commodior infra dicendi locus dabitur. Redimus ad nostrum recensionis institutum, ubi *quinto* loco incidimus in *Fragmentum Historiæ Slesvicensis*, ab A. 826 usque ad A. 1526, quod cum nihil differat a Chronico Slesvicensi *Broderi Boyssen*, a *Jo. Burch. Menckenio Tom. III Rer. German. pag. 563 seq.* edito, hic

hic quidem typus ejusdem repetitus a priori in eo distinguitur, quod is ad plures, eosque accuratiores, & ex avtographo, ut videtur, descriptos, Codices recognitus, & non modo cum iis, sed & cum *Jo. Adolph. Cypræi Annalibus Episcop. Slesvic.* A. 1634 editis, sedulo collatus, quin & iconibus, ad protographa diligenter adumbratis, exornatus sit. Cum *sexto* monumento, quod *Adami Trazigeri Topographiam Slesvici*, oppidi ac olim metropolis Cimbricæ Chersonesi, exhibet, ipse Editor junxit *Ulr. Petersen* Sciagraphiam historiæ civitatis Slesvici MStam, & loco *septimo* seorsim addita ejusdem *Petersenii Narratio historica de veteri & hodierno statu Slesvicensis Cœnobii nobilium virginum S. Joannis*, itemque *octavo* loco *Diplomatarium Cœnobii Slesvicensis S. Joannis*, ab A. 1250 ad 1566 collectum ex avtographis M. *Hieronymi Kupfferschmidt*, ob argumenti affinitatem arctius cohærent; quare & junctim eorundem hic mentionem inferre, atque illud tantum monere, licebit, Editori non defuisse spicilegium, quo *Trazigeri* in superiori volumine suppeditatam vitæ ac rerum gestarum notitiam nunc denuo in Præfatione augere & locupletare potuerit; ipsam vero topographicam Slesvici descriptionem ab ichnographiis tum urbis ipsius, tum adjacentis eidem arcis Gottorpiensis, quæ faciem earundem antiquiorem æque ac hodiernam repræsentant, quasque exercitatissimi in his rebus artificis *Fritzschii* manus elegantissime cælavit, haud exiguum decus accepisse. *Nono* & *decimo* loco *Jac. Fabricii*, F. Eccles. Slesvic. Holsat. quondam Superintendentis generalis, & *Frid. Christ. Feustkingii*, V. D. M. in cœtu Tolckensi, *Notæ & observationes ad Jo. Adolph. Cypræi Annales Episcoporum Slesvicensium*, itemque ejusdem *Feustkingii Observationes ad M. Adami Historiam Ecclesiasticam*, comparent, quas cum ipse Editor absque ulla animadversione sua dimiserit, nec nobis circa illas, quod levioris momenti sint, diutius hærendum erit. *Undecimo* loco *Erpoldi Lindenbruchi*, Canonici Hamburgensis, *Historia belli Cimbrorum*, quod cum Romanis per octo annos fortiter gesserunt, quæ, Germanice divulgata Hamburgi A. 1589, nunc primum reddita Latine, & ad testimonia Historicorum Romanorum recognita, emaculate prodit, non indigna judicata

 est

Digitized by Google

eſt Illuſtriſſ. Editori, ad quam ex divite ſua penu expromeret, quicquid ad illuſtrandum antiquiſſimum hoc, quod exſtat, Cimbriæ monumentum quoquo faceret modo; ſiquidem non tantum in Præfatione, quicquid vel in antiquiorum, vel recentiorum, ſcriptorum tabulis de hac Cimbrorum expeditione traditum eſt, in partes vocavit, & rigidiori examini ſubjecit, ſed & tum ibidem, tum in ipſo textu *Lindenbruchiano*, nummos & effigies, *Marii* ac *Catuli* nomen præ ſe ferentes, trophæa item, ſtatuas, & monumenta alia, in memoriam *Caji Marii, Cimbrorum* victoris, apud Arauſiacos & in campis ſeu caſtris aquæ Martiæ exſtructa, conſpiciuntur, quorum delineationes, in *Theod. Gallæi*, *Joſeph. Piſæi*, ac *Bern. Montfauconii*, magni pretii & rarius obviis voluminibus alioquin ſervatæ ſunt, inde mutuandas, & in æs denuo incidendas, curávit, ut adeo nec operæ, nec ſumtibus, pepercerit, ne quid deeſſet, quod vel ad ornatum faceret, vel ex quo cauſa hæc rectius dijudicari poſſet. Quæ hinc ſequuntur, *Cornelii Duplicii Scepperi Literæ*, ad *Jo. Dantiſcum*, Epiſcopum Culmenſem, ſcriptæ, eo nomine huc pertinent, quod Autor illarum, in Belgio alioquin natus, *Chriſtierno II*, Regi Danorum, a conſiliis, ejusque in exilio comes, fuit; cujus & proinde hiſtoriæ inſerviunt hæ literæ, quanquam & alia plura ſint, ad ſtatum Europæ iſtius temporis publicum pertinentia, & aularum arcana nonnunquam prodentia; quale eſt illud, in quod forte inter legendum *Epiſtolam VI pag. 434* incidimus, de conſummatis Maſſiliæ A. 1533 nuptiis *Henrici*, Galliarum juvenis Principis, cum *Catharina Medicea*, *Clementis VII*, R. Pontificis, nepte, quod matrimonium auribus non credens Pontifex ita celebrandum voluerit, ut, ſe & Galliarum Rege inſpectante, nudus cum nuda coirent in opere, atque ſic opere ipſo exercerent matrimonialia; quod ſpectaculum Pontifice & Rege dignum Epiſtolæ ſcriptor judicat, nos vero, quod alibi haud de eodem relatum eſſe meminimus, noſtra commemoratione haud indignum exiſtimavimus. Monumenta, quæ in ordine ſequuntur, XIII *Claudii Lyſchandri*, Hiſtoriographi Danici, libellus *de Scriptoribus Danicis*, ordine alphabetico digeſtus, XIV *Jac. Ulefeldii*, Equitis Dani, Conſiliarii regni Danici, *Hiſtoria Da-*

*nica*

*nica* ab A. 1333 ad A. 1559, a *Waldemaro IV* usque ad *Fridericum II* conscripta A. 1585, XV *Georg. Hilarii rerum gestarum Christiani IV*, Daniæ, Norvegiæ, Vand. Goth. Regis, Libri II, scripti A. 1636, & XVI *Quatuor Fragmenta rerum Cimbricarum & Danicarum*, e Bibliotheca *Rostgaardiana* petita, monitione nulla ab Illustriss. Editore in Præfatione instructa sunt; illud ergo dicere tantum possumus, opuscula hæc minutiora lucem non conspexisse antea, sed nunc omnia e MSto in eandem primum protracta esse. Quæ his subjectæ sunt XVII *Origines & incrementa fraternitatis Calendarum in Welna & Consistorii Münsterdorpiensis*, ab A. 1304 usque ad A. 1677, ex Diplomatibus & literis avthenticis consignatæ, autore *Justo Valentino Steinmanno*, itemque XVIII *Liber fundationis regularum & incrementorum Calendarum Kiloniensium*, A. 1334 e Codice fraternitatis membranaceo desumtus, & XIX *Copiarius literarum pagensium in Kiel ab A. 1297 usque ad A. 1490*, ex originalibus registraturarum pro communi bono descriptus manu *Luder Mynrick* A. 1490 ex avtographo ipsius membranaceo, cum *Adam. Trazigeri* consilio de componenda lite, inter Ducem & provisores bonorum S. Spiritus & S. *Georgii* exorta, & *ejusdem causæ documentis A. 1571 & 1572, & reliquis de A. 1604, 1633, & 1667*, eo, quod circa argumenta inter se cognata versantur, juncta sunt, & Illustriss. Editorem adduxerunt, ut post alios, qui in origines & instituta fraternitatum hujusmodi Calendariorum inquisiverunt, quorumque pleniorem, quam usquam alibi, catalogum hic invenimus, suas etiam huc attulerit symbolas, atque, societatum hujusmodi usum apud Anglo-Saxones, Cimbros item, & Danos, multo antiquiorem, quam in locis aliis, exstitisse, connotarit; quod tum sigillorum, ære exsculptorum, tum documentorum aliorum, in Præfatione prolatorum, fide abunde comprobatum dedit. Succedit *n.* XX *Justitia Lubecensis*, *ab Henrico Leone*, Duce Saxoniæ & Nordalbingiæ, *civitati Lubecæ A. 1158 data*, ab Imp. *Friderico I* A. 1187, & *Friderico II* A. 1226, confirmata, quam Consules Lubecenses cum civitatibus Cimbricis, Holsaticis, & Megapolitanis, Seculo XIII præcipue communicarunt.

runt. Prodit hæc e tribus Codicibus membranaceis & avtographis, Kilonienſi A. 1232, Oldenburgenſi A. 1235, & Tunderenſi A. 1243, quoad ordinem & argumenta ad verbum conſonantibus. N. *XXI Acceſſiones ad juſtitias Lubecenſes A. 1270 datæ a Conſulibus Lubecenſibus, & cum civitate Kilonienſi communicatæ*, prodeunt e Codice Juris Lubecenſis Latino & membranaceo, A. 1270 exarato, & ex *Aſmi Bremeri*, Conſulis quondam Kilonienſis, Chronico Kilonienſi MSto. Qui *n. XXII* legitur, *Codex Lubecenſis antiquiſſimus vernaculus*, in membranis exaratus, A. 1240 ex avthentico, qui etiamnum aſſervatur in Cancellaria civitatis Lubecenſis, deſcriptus eſt. Accedit huic collatio cum Codice ejusdem juris vernaculo curiæ Kilonienſis membranaceo de A. 1337. Hæc quidem monumenta ejusmodi ſunt, ut facilem Illuſtriſſ. Editori viam pararint, in ſacra Themidos ſuæ exſpatiandi, & integram Commentationem hiſtorico-pragmaticam Præfationi inſerendi, in qua non modo Juris Lubecenſis literariam notitiam, ſed & in peculiaribus quibusdam capitibus prævalentem ceteris legibus uſum, latius ita ediſſeruit, ut, uberiorem hinc copiam nobis relictam eſſe, intelligamus, infra in altera recenſionis noſtræ parte plura ex hoc argumento adhuc connotandi. Sequuntur *n. XXIII Fragmentum Chronici veteris Holſatiæ* ab A. 1121 usque ad 1170, continens res geſtas *Henrici Leonis*, præcipue Lubecenſes, ex avtographo, quod Bibliotheca *Gudiana* olim ſervavit, deſcriptum A. 1713; *n. XXIV M. Thomæ Broderi Bircherodii*, Gymnaſii Othinenſis Fioniæ Prof. & Scholæ ibidem Rectoris, *de deperditis Septentrionalium antiquitatibus, & maxime Gotho-Cimbricis*, Epiſtola ad amicum; & *n. XXV Georg. Rixneri Origines & inſignia* Regum Obotritarum & Ducum Mecklenburgenſium, *Hiſtoriſcher Auszug von dem Herkommen und Wapen der Kœnige und Hertzoge in Mecklenburg A. 1530*, ex Autoris avtographo, quod aſſervatur in tabulario Ducali Suerinenſi, deſumtus liber, tabulisque & inſignibus, æri inciſis, ornatus. Ex inſcriptionibus ipſis, quæ his tribus Opuſculis præfixæ ſunt, quodammodo colligere licet, cujus ſint generis atque pretii, & unde hæc ſors illis obtigerit, ut eorum hic editione gaudeamus. Præterea haud

haud quidquam in Præfatione ab Ill. Editore de iisdem commemoratum est. De medio, quod hæc inter legitur, *Bircherodii* nempe Antiquitatibus Septentrionalium deperditis, nobis hoc observatum est, ejusdem Commentatiunculæ epistolaris aliam quandam ἔκδοσιν eodem fere tempore curatam esse ab editoribus Bibliothecæ Danicæ, sermone Germanico evulgatæ, in cujus *Volumine IV*, quod Hafniæ & Lipsiæ, ut titulus præfert, A. 1743, 8, prodiit, eadem *pag. 369 seq.* exhibetur. Utramque hanc editionem inter se contendentes, in locis quibusdam has inter se differre, animadvertent, ut adeo ex diversis exemplis depromtas esse oporteat. In eo tamen *Westphaliana* hæc alteri præstat, quod ei accesserit tabula æri incisa, qua res præcipuæ quædam, in tumulis Danicis, Cimbricis, & Holsaticis, repertæ, partim e museolo *Westphaliano*, partim e *Bircherodiano*, repræsentantur, cum addita earundem explicatione. Majoris molis est, & vel tertiam hujus *Voluminis* partem complet, opus quadripertitum unius Autoris & argumenti, quod *n. 26, 27, 28, & 29*, his distinctis titulis inscriptum exhibetur: 1) *Antiquitates Rostochienses*, hoc est, historia urbis, Academiæ, & Ecclesiæ Rostochiensis, duobus Libris comprehensa, ex variis MStis, monumentis, & archivis, studiose olim collecta a *Sebastiano Bacmeistero*, V. D. M. iterumque revisa, aucta, & emendata, a filio, *Joanne Bacmeistero*, Med. D. & Prof. Tubingensi, Consiliario & Archiatro Bado-Durlacensi; 2) Ejusdem Autoris *Megapoleos literatæ*, hoc est, *Historiæ literariæ Megapolensis, speciatim Rostochiensis, Prodromus*, in quo agitur de Rectoribus Academiæ Rostochiensis, ab ejus incunabulis A. 1419 usque ad A. 1700, secundum annorum seriem ita distinctis, ut multorum Serenissimorum, Illustrissimorum, generosorum, & præclarorum Virorum, tam matriculæ inscriptorum, quam aliorum etiam, biographiæ, variaque historiarum momenta & memoranda literaria, afferantur; 3) Ejusdem Autoris *Megapoleos literatæ*, speciatim Rostochiensis, *Liber primus singularis*, quo agitur de JCtis Rostochiensibus, ab anno Academiæ initiali usque ad A. 1700; 4) Ejusdem *Megapoleos literatæ*, speciatim Rostochiensis, *Liber secundus specialis*,

 de

de Mediçis a tempore natali Academiæ usque ad A. 1700. Jam *primo* præstantissimæ hujus Collectionis *Volumine* Illustriss. Editorem id egisse meminimus, ut elucubrationes non unas gentis *Bacmeisterianæ*, quibus illa de historia Rostochiensi & Megapoleos universæ quondam bene merita est, ab interitu vindicaret; nunc vero novo hoc ipsum documento comprobat, simul in Præfatione docens, quid singuli ad hoc, quod nunc prodit, opus contulerint, & qua id fatorum injuria jactatum sit, donec apographum ejus primum, hinc autem & ipsum exemplum MStum avthenticum, soluto pro eodem æquo pretio, in manus suas pervenerit. Quod ad internum operis valorem attinet, non id ab omnibus plane vitiis immune prædicat, quin potius a perfectione, qua gaudere poterat, multum abesse fatetur. Est tamen aliorum, quos copiosus, ibidem subjectus, catalogus scriptorum, qui de rebus Rostochiensibus tradiderunt, exhibet, ea conditio, ut multis parasangis præsens *Bacmeisterorum* labor iisdem præstet; alii ita comparati sunt, ut, quoniam inedita eorum monumenta adhuc maximam partem in scriniis privatis delitescunt, operi huic augendo & supplendo inservire possint. Ad insignem vero ornatum ipsi operi conciliandum faciunt effigies XXVII Doctorum Rostochiensium celebrium, quas, ex archetypis suis, in loco Concilii Academici ibidem asservatis, transsumtas, a *Bernigerotho*, Lipsiensi, affabre sculpendas Illustriss. Editor suis impensis curavit. Quæ *n. XXX* & *XXXI* occurrunt, *Diplomatarium Dobberanense primum*, ab A. 1190 usque ad A. 1300 chartas CXI complexum, & *Diplomatarium Dobberanense secundum*, ab A. 1301 usque ad A. 1376 chartas C exhibens, utrumque e membranis avthenticis erutum, argumentis notulisque instructum ab *E. J. de Westphalen*, non modo illam, quam hæc inscriptio laudat, Illustriss. Editoris curam experta sunt, sed & in Præfatione idem diligenter rationes expromit & comprobat, quibus in æra primorum Diplomatum emendanda, & rectius constituenda, usus sit; unde ætas etiam genuina conditi Monasterii Dobberanensis conficitur, quam ex antiquiori quodam Diplomate *Bernonis*, Episcopi Suerinensis, ibidem prolato, porro confirmat; ne dicamus de

usu

usu hujus Diplomatarii, quem non modo in historia hujus Cœnobii a fabulis, quibus scatet, liberanda, sed & in plurimis quæstionibus juris patrii decidendis, prorsus egregium esse, aliquot in medium adductis exemplis commonstratur. *N. XXXII* legitur M. *Bernhardi Hederici*, Freiberg. Miseni, Lycei, quod Suerini viget, olim Rectoris, *Chronicon Suerinense, ab A. 1140 usque ad A. 1598*, cui adhærent: 1) Ejusdem Stemma genealogicum Comitum Suerinensium; 2) Tabula, continens seriem Episcoporum Suerinensium; 3) Status reipublicæ Suerinensis A. 1597; 4) Series V. D. Ministrorum a tempore Reformationis A. 1533; 5) Instructio novi Prorectoris in schola Ducali Suerinensi A. 1574; 6) Epistola *Jo. Neovini* ad Autorem Chronici, data A. 1605. Accedunt Appendiculæ quatuor: 1) D. *David. Chytræi* & D. *Simon. Pauli* Oratio de oppido Suerino; 2) *Jo. Boceri* Suerinus, Ecloga; 3) *Mart. Zeileri* Topographia Suerini A. 1653, cui adjecta est *Mart. Meriani* Ichnographia Suerini, A. 1640 delineata; 4) Reliquiæ præcipuæ monumentorum, in templo cathedrali Suerinensi conspicuorum, e collectione Annalium Suerinensium B. Theologi, *Georg. Westphalii*. Ipsius hujus Chronici *Hedericiani* editionibus Germanicis, quo idiomate & ipse Autor illud primum consignavit, huc usque gavisi sumus; interpretatio ejusdem Latina, quam primus, quod scimus, Illustriss. Editor hoc loco exhibet, satis quidem nobis elegans videtur, cum exemplo autem vernaculo, quod nobis ad manum est, eandem comparantibus illud animadversum est, quod loci in iisdem varii sint, quibus inter se differant, adeo, ut modo hoc, modo illud, altero exemplo locupletius sit; quod unde factum sit, nobis divinare haud licuit, quandoquidem in Præfatione nihil in hanc rem monitum legimus. Accessionum ille apparatus, quo nova hæc editio aucta non minus, quam ornata, fuit, unde Editori Illustriss. obvenerit, ex additis iisdem, & hinc etiam a nobis repetitis, inscriptionibus quodammodo intelligimus. Tria, quæ sequuntur, monumenta, quod ad argumentum, arctius inter se cohærent. Sunt illa *n. XXXIII Consuetudines & leges Ditmarsorum antiquissimæ*, communi consensu in Codicem Juris scripti demum redactæ A. 1447, ex Codice mem-

 branaceo

Digitized by Google

branaceo avtographo descriptæ, & per articulos nunc primum distinctæ, addita in margine Juris provincialis Ditmarsici, sub titulo: *Landesboke tho Ditmerschen*, A. 1539 editi, convenientia; accedunt Jura Busumensia aggeralia A. 1455 & A. 1493. *N. XXXIV* exhibetur *Diplomatarium Ditmarsicum, ab A. 1228 usque ad A. 1559*, continens chartas, ab *Henrico Sedorffio*, *Ant. Heimrichio*, *Jo. Adolphide* & *Detlevo*, *Jo. Russio*, aliisque, omissas, vel ineditas adhuc, ex avtographis descriptas. Subsequitur *n. XXXV Ditmarsia libera*, fide monumentorum, historiarum, variorum Chronicorum MStorum, chartarum, & Diplomatum, descripta, atque hinc usque ad A. 1668 continuata ab *Henrico Sedorff*, Lubec. J. U. D. & Consiliario Hassiaco. Non rivi duntaxat, sed ipsi fontes, in hisce tribus monumentis aperiuntur, e quibus rerum a gente Ditmarsorum celebratissima gestarum curatiorem notitiam haurire possumus; suntque non hoc tantum nomine grates decernendæ Illustriss. Editori, quod thesauros hosce, quibus pauci huc usque gavisi sunt, nunc plurium usibus invidere amplius noluerit, sed hanc etiam ab eodem in fine Præfationis præstitam operam haud ingrati agnoscere debemus, quod partim *Henricum Sedorffium* illum, cujus nomen *Jo. Mollero* & aliis præclaris Historiæ Cimbricæ literatoribus adhuc incognitum fuit, ita nobis descripserit, ut tum, quis ille fuerit, quibusque in hanc causam præsidiis usus sit, tum quæ & alia idem præterea ingenii monumenta reliquerit, inde quodammodo cognoscamus, partim indicem adjecerit Commentariorum plurium de rebus Ditmarsicis adhuc ineditorum, in quibus cum sint, quæ notitiam *Sedorffii* & forte aliorum fugerint, de iis criticum suum judicium interponere haud omisit. Restant adhuc novem huic *Volumini* inserta monumenta, quæ quidem agmen claudunt, nec adeo magnæ molis sunt, in pragmaticis autem maximam partem argumentis versantur, locumque hinc suum vel maximo quodam jure hic tuentur. Quod ad literariam horum omnium notitiam attinet, nihil de iis ab Illustriss. Editore monitum in Præfatione reperimus, quod vel temporis penuria, vel aliorum argumentorum, copiosius in præcedentibus pertractatorum, ubertate, se ab hoc instituto exclusum viderit.

viderit. Autorum, quibus hæ Commentationes ex parte debentur, haud obscura prorsus sunt nomina, quasque vel laboribus, a se relictis, ipsi addiderunt, vel quibus insigniti nunc in lucem prodeunt, inscriptiones, quid in iis præstitum sit, quodammodo aperiunt. Videbimur hinc nostris etiam satisfecisse partibus, si nudum horum Opusculorum, quod ad titulos, iisdem præfixos, recensum hic subjiciamus. Sunt igitur hæc: *XXXVI Joannis Micrælii Observationes ad Helmoldi Chronicon Slavorum*, præcipue ad quasdam *Henrici Bangerti* notas in idem Chronicon, ejusque origines Lubecenses, desumtæ ex schedis Autoris avtographis, Stetini, 1657; *XXXVII M. Bernhardi Latomi Origines Plessiacæ Megapolenses*, collectæ A. 1611 ex avtographo, quod servatur in tabulario Suerinensi; *XXXVIII Jo. Schulzii*, Archivarii & Consiliarii aulæ Suerinensis, *Annales Plessenses diplomatici*, ab A. 1160 ad 1712, seu *Memoriæ Nobilium de Plessen*, gentis Vandalicæ in Megapôli, Holsatia, & Dania, inclytæ, e Diplomatibus & chartis avthenticis erutæ; *XXXIX Melchioris Goldasti ab Haiminsfeld Vindiciæ diplomaticæ Bremenses*, oppositæ dubiis eorum, qui Diploma Imperatoris *Henrici V*, A. 1111 civitati concessum, falsitatis arguunt; adjecta sunt *Hermanni Conringii Dubia* de privilegio *Henrici V*, ejusque expeditione Romana A. 1111, ex avtographo Autoris descripta; *XL Exequiæ Rulandi Bremensis*, hoc est, de *Carolino*, *Henriciano*, aliisque, Bremensium privilegiis, libellus historico-juridicus, in *Sectiones LXVIII* dispertitus, cui præmissa sunt tam tenor privilegii *Carolini* ex Chronico Bremensi, quam prætensa Diplomata *Henrici V*, *Wilhelmi*, & *Wenceslai*, Imperatorum Romano-Germanicorum, eademque in calce notis illustrata, & clariori luci exposita; opus e diversorum JCtorum & Historicorum scriptis collectum, emendatum passim & auctum, curâ *Joannis Justi Winckelmanni*, JCti, Consiliarii Ducalis Brunsuico-Luneburgici & Hassiaci, ex avtographo Autoris; *XLI Joachimi Blütingii*, J. U. D. Judicii aulici Gottorpiensis Advocati, *Commentariolus Juris Jutici*, de emtione rerum immobilium, *von dem Landkauff nach Jutischem Low-Buche*, ex avtographo Autoris; *XLII* Ejusdem *Novem Observationes Juris Cimbrici*, sigillatim:

 1) de

Digitized by Google

1) de origine & introductione Juris Jutici; vulgo *Low-Buch*; 2) de ordine argumentorum; 3) de judiciis formaque processus; 4) de probationibus; 5) de juramentis, quæ fiant manu duodecima, vulgo *Zwælffmannen Eid*; 6) de præscriptionibus, possessionibus, detentionibus legitimis, vulgo *Hæfft* & *Læw-Hæfft*; 7) de alienationibus rerum immobilium, & jure protimiseos; 8) de scotatione & testimoniis judicialibus, vulgo *Scæte* & *Dingeswinde*; 9) de præstatione evictionis; *XLIII Chronicon inferioris Comitatus Cattimelibocensis*, Autore *Valentino Imhoff*; *XLIV rerum inter Theodoricum Morseum*, Archiepiscopum Coloniensem, & *Rempublicam Susatensem, gestarum Adversaria.*

Perfuncti nunc iis partibus, quas in singulis monumentis percensendis supra nobis sumsimus, alterum adhuc institutum, quod ibidem nobis servavimus, persequendum nobis restat, ut de originibus & fontibus jurium Cimbricorum, in quibus indagandis præcipuam ab Illustriss. Editore in copiosa Præfatione curam fuisse positam significavimus, nonnulla hic commemoremus. Inprimis autem hic locum sibi vindicare credimus, quæ circa primum Presbyteri illius Bremensis monumentum observata sunt; ubi autoritas illa & existimatio, qua Clerici & sacri ordinis viri in aulis olim & judiciis Principum præpolluerunt, describitur, qua quippe id effectum sit, ut non modo veterum legum tabulis concinnandis adhibiti, sed & præcipuorum status consiliorum arbitri nominati, fuerint. Et prius quidem illud confirmant Codices legum antiquarum, qui etiamnum superant, quosque Episcoporum Daniæ, *Olai*, *Eskilli*, *Absolonis*, *Sunonis*, *Uffonis*, *Gunnari*, ac aliorum Clericorum, stilo consignatos constat, ut taceamus exempla, ex aliis regnis & Germaniæ nostræ diversis provinciis affatim prolata; alterum vero vel inde palam fit, quod aulæ Cancellariorum & publicorum scribarum munia non nisi ex Clericorum ordine viris pro istius seculi more credita fuerint. Ut autem, ex adducta longa exemplorum farragine hoc ipsum comprobare, in proclivi fuit; ita non minus jucundum est, ex ipsa hac Illustrissimi Autoris tractatione cognoscere, quomodo a Juris Romani peritis & doctoribus ille sanctior ordo a fastigio

gio suo dejectus sit, cum illi doctrina ista transalpina atque aulis Principum pergrata onusti, e schola cummaxime Parisiensi ad patrios Lares redeuntes, in loca & jura, quæ Clerici huc usque soli sibi vindicaverant, Seculo XV successerint; atque ex hac quidem tanta rerum conversione & illam, quæ in Megapoleos & Holsatiæ foris & judiciis provincialibus etiamnum obtinet, divisionem Consiliariorum nobilium & eruditorum, sive Jurisconsultorum, originem suam trahere, haud vana conjectura colligitur. Licet autem Themis illa Romana, ab istis suis amatoribus cummaxime culta, ex isthoc tempore in fora & Academias Germanorum passim intrudi cœperit; abhorruisse tamen ab usu juris extranei cives Cimbricos & Danos, edocemur, dum illi patria jura illibata servarint, & Codicem suum legum *Waldemaro* - Juticarum isti fermento objecerint. A Danis etiam in Capitularibus, novellis Regibus suis solenniter inaugurandis quondam præscriptis, id summa contentione actum esse, infra observatur, ut alienigenis juribus obicem ponerent. Quin & Suecorum passim instituta collaudat Noster, quibus exoticis istis legibus omnem ad se aditum præcluserint; unde & cum doctis quibusdam viris, qui aliquem adhuc usum Themidi Romanæ apud Suecos tribuere novissime ausi sunt, aliquoties in arenam descendit, & ex ipsius regni sanctionibus fundamentalibus, & toties repetitis Regum interdictis, id fortissime contra eosdem tuetur, commendatum illud peregrini juris subsidium, in tanta legum domesticarum luce, præstantia, & autoritate apud Suecos, pro abusu potius habendum esse.

Ad *Pauli* illius *Cypræi*, qui inter Cimbriæ JCtos ævo suo facile principatum obtinuit, commemorationem supra jam notavimus. Illustriss Editori occasionem arreptam esse, de pluribus Cimbrici juris, etiamnum vigentis, capitibus latius disserendi, cujus proinde rei hic aliqua etiam specimina exhibebimus. Et quidem, ubi quæstio incidit *de usu Juris Canonici Pontificii* in causis vel ecclesiasticis, vel secularibus, apud Cimbros agitatis, de eo quidem ita tenet Noster *pag. 35*, hasce causas ad decreta S Scripturæ & rectæ rationis, antiquitates sacras, Historiam Ecclesiasticam, statum primitivæ Ecclesiæ, acta reforma-

tionis

tionis Evangelicæ & visitationum Ecclesiarum, ordinationes Arctoas & Cimbricas Ecclesiasticas, ritualia Ecclesiarum, copiosas Constitutiones Ecclesiasticas, ab A. 1540 latas, ordinationes provinciales & politicas, conclusa & articulos Synodorum consistorialium, & plura alia genuina Juris Ecclesiastici, speciatim Cimbrici, præsidia, de quibus meliores scriptores indicat, revocandas esse. Qui hosce igitur veros Juris Ecclesiastici patriæ fontes adierit, hunc facile carere posse haustu aquæ ex Jure Canonico, cujus plura dogmata, horumque principia & rationes, post emendata sacra, & sancitam pacem Westphalicam, autoritati quippe Pontificis Pontificioque Juri oppositam, luculentissimam mutationem passa sint, ideoque sana explicatione & observantia hodie destituta. Mox, ubi intuitu negotiorum secularium *ad usum Juris Saxonici* apud Holsatos quæstio vertitur, hæcce Noster itidem animadvertit: quæstionem de Juris Saxonici in Nordalbingia receptione, quam quidem *Griebnerus*, *Struvius*, *Hartmannus*, *Steuernagelius*, & forte alii, commenti sint, sponte sua concidere. Non enim Jus Saxonicum apud Holsatos indiguisse introductione, quia illud in horum regionibus natum, adeoque jus ipsum originarium sit & avitum; neque ex Saxonia hodierna in Holsatiam, sed ex Holsatia in Saxoniæ partes, jura Saxonum derivata esse; quorum demum quædam capita, intermixto tamen multiplici lolio, in codicillum redigere tentaverit decantatus Speculator *Repkovius*; & quæ sunt alia, quæ tum hic, tum infra *pag. 47 seq.* copiosius in hanc rem disputantur. De ipsius etiam *Romani Juris* pusilla autoritate apud Holsatos dum Vir summus *pag. 49* decem rationes affert, a justitiæ in his terris sacerdotibus probe subinde pensitandas, hanc demum illis subjungit, quod in his Principatibus sero demum A. 1665 Academia nata & constituta sit, quæ, surgente mox luce Jurisprudentiæ purioris, non solos Juris Romani interpretes, sed JCtos humaniores, aluerit, quin ab initio Professore praxeos Holsatiæ ornata, hodie vero etiam Juris Germanici Professione, instructa sit. Quo enim, ita pergit Autor, antiquiores in Germaniæ provinciis existunt Academiæ, eo citiorem majoremque ibidem observatis Juris utriusque Do-

ctorum

ctorum in aulis & curiis autoritatem, inde tenaciorem ubique Juris Romani cultum & mirum abusum, qui tamen hodie ubique fere devigescit.

Sed non tantum id egit Vir Illustrissimus, quemadmodum huc usque fere commonstravimus, ut de juribus, e foris Cimbrorum vel jam eliminatis, vel adhuc eliminandis, nos edoceret; sed illud etiam sibi datum putavit, ut rationem haberet legum & jurium, quibus in his terris adhuc standum est, & quorum usus & autoritas cummaxime viget; de quibus proinde & nobis hic aliquid afferendum est. Occurrit hic primo loco *Jus civitatis Slesvicensis* municipale, seu statutarium, de quo a *pag. 55* usque ad *96* tam copiosa tractatio instituta est, ut ex ea specimen capere liceat *Historiæ Juris Cimbrici omnis ævi*, quam & supra Vir summus a se exspectare nos jusserat. Traditur nempe primum de juris hujus Slesvicensis ultima ætate & prima origine, quam ad A. 1153 non modo rite constituit Autor, sed & idoneis testimoniis munit, & ab aliorum dissentientium quibusdam dubiis liberat. Sequitur hinc amplior disquisitio de juris ejusdem genuinis fontibus, cumque in hunc censum referantur 1) privilegia Principum, & speciatim a *Suenone*, primo conditore, tributa; 2) mores & consuetudines domesticæ & cognatæ; 3) Leges Veterum Anglionum & Werinorum, seu Cimbrorum; 4) Leges Saxonum Seculo V & VI; 5) Leges Frisiorum; 6) Leges Haraldinæ; 7) Leges Anglo-Saxonum, & denique 8) Jura Waldemariana Scanica, Selandica, & Jutica; latissimum hic fuisse campum Illustriss. Scriptori apertum, intelligere licet; quem ille ingressus & ita emensus est, ut in diversis hujusmodi legibus & juribus, quorum ipsi natales paulo obscuriores & vulgo minus cogniti sunt, itemque populorum commemoratorum originibus, antiquitatibus, moribus, institutis, rebusque gestis aliis, explicatius describendis, & a multorum, quibus alioqui scatent, commentorum & fabularum sordibus purgandis, nihil reliqui fecerit; adeo quidem, ut larga hic nobis materia suppeteret, si de hisce argumentis copiosius referre integrum esset. Autoritatem denique statutarii hujus Juris Slesvicensis ex eo firmat, quod tum



Digitized by Google

Romani Juris, a cujus fæcibus illud immune prædicat, usum prorsus omninoque excludat, tum quod illud velut thecam & fœcundam matrem omnium fere Cimbriæ legum, ad civitates pertinentium, spectare liceat; quo nomine cum hic præcipuarum urbium jura municipalia producuntur, illorumque concentus cum Slesvicensi ostenditur, ad Flensburgensium tamen jus Statutarium seorsim divertit Autor, ejusque integram historiam ita nectit, ut origines fontesque ejusdem investiget, Codices diversos, & quibus id subinde accessionibus auctum sit, indicet, ac denique ex Latino ejus exemplo, quod Codicibus vernaculis, & præcipue Statutis Slesvicensibus, Germanice editis, sive eorundem antiquas lectiones requiras, sive spectes vocum obscuriorum explicationem, multam lucem affundit, quoad præcipuos articulos hic inserat. Altero loco inter jura, quorum usus hodiernus in foris Cimbricis ab Illustriss. Viro constabilitus est, reponemus *Leges & Consuetudines Ditmarsorum provinciales.* Nam, quod supra, Codicis earundem vetustioris, cum adjunctis quibusdam monumentis aliis, editionem ab eodem curatam esse, commemoravimus, vel hoc nomine factum id interpretari licebit, quod, ab usu haudquaquam easdem recessisse, hoc ipso simul indicare voluerit, licet pro eadem re firmanda, præterquam quod easdem cum aliis juribus passim comparaverit, peculiares quasdam rationes hic prolatas haud reperiamus. Sed alia ex parte insigne summi Viri studium fuit, quod jam supra laudavimus, cum editos ab eo *Codices Juris Lubecensis* antiquissimos adduceremus. Hoc etenim jure municipali cum, præter civitates Holsaticas, & aliarum mari Balthico adjacentium regionum, Megapoleos Pomeraniæque, urbes præcipuas, peculiaribus in hanc rem privilegiis munitas, etiamnum uti fruique, in vulgus notum sit, hoc tanto rei argumento & pondere facile se induci passus est, ut latius hic excurreret, & in causa omnibus nota largam minus cognitarum observationum segetem afferret. In harum etenim numero censemus, quando mox ipsam sic dictæ justitiæ Lubecensis notionem, quam novissime post *Lambecium* Cel. *Richejus* in *Historia Statutorum Hamburgensium* in alienum prorsus sensum detorquere

quere voluit, genuino suo significatui vindicat, eamque adeo non beneficiorum & privilegiorum concessionem, sed ipsam legum scriptarum syllogen potius, denotare, pluribus in hanc rem adductis testimoniis & rationibus confirmat; censemus & illud, quod obmotum a Cl. *Arpio* dubium, dum is ætatem Codicis Lubecensis scripto consignati in *Feriis æstivalibus* ex eo ambiguam reddere connisus est, quod iis temporibus aliquid in literas referre, inter Germanos res insolens & inauditi exempli fuerit, ita refellat, ut eidem in causa plane simili exempla scriptorum jurium municipalium opponat, quæ ipsum primum, ab *Henrico Leone* tributum, Statutorum Lubecensium codicillum adhuc ætate vincant. Quod hinc varios Juris Lubecensis Codices antiquos, quorum numerus ad XIV adscendit, quique ab eo, quem A. 1582 ipse magistratus Lubecensis recognovit, & ad usum fori sui hodiernum adaptavit, non parum differunt, Vir Illustriss. recenset, licet primo intuitu ad literariam tantummodo notitiam hoc pertinere videatur, ita tamen comparatum est, ut in usum longe maximum se diffundat. Etenim civitates illæ, Holsaticæ inprimis, quæ jure isto Lubecensi antiquitus donatæ sunt, haud recentem illam & recognitam ejusdem formulam simul susceperunt, antiquiori illa duntaxat regula & lege se adstringi patiuntur. Quod, cum in causis longe pluribus conspicuum sit, tribus tamen potissimum argumentis sibi Noster comprobandum sumsit. Primum a valore testamentorum reciprocorum recentissima juris Lubecensis formula reprobato desumtum est; alterum ad resignationem judicialem spectat, cujus nondum factæ exceptionem haudquaquam venditori, sed tertiis potius, competere, ostenditur; tertium denique, resignationi eidem terminum haud quidem annalem, sed menstruum duntaxat, præfigendum esse, docet; in quibus juris capitibus practicam, quæ in foro magistratus Kiloniensis obtinet, judicandi rationem non modo copiosius expositam, sed & firmissimis in hanc rem allatis præsidiis corroboratam, hic legimus. Cum, ex productis huc usque speciminibus quemlibet, quo Illustrissimi Scriptoris mens tendat, satis intelligere, existimemus, plura quidem Jurisprudentiæ

tiæ Cimbricæ, auſpiciis ejusdem noviter inſtructæ, argumenta non attingimus, ſed recenſionis noſtræ filum hic demum abrumpimus.

## *JO. GEORG. WALCHII, THEOL. DOCT. ET Prof. Publ. Hiſtoria Eccleſiaſtica Novi Teſtamenti, variis obſervationibus illuſtrata.*

Jenæ, ſumtu hæredum Meyeri, 1744, 4.

Alph. 9 plag. 18½.

Et latiſſimus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ campus, & amœniſſimus, eſt, qui quamplurimas quidem difficultates ſæpenumero objicit, nihilo minus tamen dulciſſimum animo pabulum ubique præbet. Quamobrem non defuerunt omni ætate, qui, in erudito hoc pulvere ſe exercuiſſe, laudi ſibi duxerunt. Vivit illorum memoria in animis omnium, quotquot bonis literis juſtum ſtatuere pretium didicerunt, nomenque eorum politiſſimis ingenii monumentis propagatur ad poſteros, nulla unquam temporum injuria obliterandum. Præclaræ illi doctiſſimorum hominum ſocietati nunc ſe adjungit Summe Reverendus *Walchius*, qui Opus parat, multa laude dignum, in quo res, a nato Servatore in cœtu ſanctiori geſtas, copioſius recenſere, in animum induxit. *Partem* laboris hujus *primam* jam luci publicæ ſiſtit, annorum fere quadringentorum memoriam ac ſpatium, ut in Præfatione ſignificat, complexam, videlicet a partu Virginis uſque ad tempora *Conſtantini* Imperatoris. Huic ut propediem, *ſine injuſta mora, & cunctatione*, ut loquitur in Præfatione, reliquæ Partes ſuccedant, effecturum ſe, pollicetur ac ſperat. Præmiſſa *Prolegomena*, copioſe adornata, magnoque eruditionis apparatu inſtructa, perſequuntur omnia, quæ ad hoc doctrinæ genus accurate noſcendum neceſſaria videntur. Diſſeritur de *hiſtoria*, generatim ſpectata, variisque ejus generibus, poſtea de *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, quot ea partibus abſolvatur, quæ res, commemoratione dignæ, ibi occurrant, quo ordine ea proponenda, quomodo ſingula, quæ in Eccleſia acciderunt, dijudicanda. Præcipitur de *fine Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*,

*clesiasticæ*, ejusque utilitate. Venitur ad *subsidia*, quæ constituunt scriptores, tum ii, qui fundamenta prima tradiderunt, tum qui majori mole doctrinæque copia in hoc genere versati sunt. Ex posterioribus tres adducuntur classes: prima eorum, qui pro fontibus Historiæ Ecclesiasticæ habentur; altera eorum, qui unam duntaxat alteramque partem Historiæ Ecclesiasticæ persecuti sunt, v. c. de Patribus, Conciliis, vexationibus, hæresibus; ultima eorum, qui in Chronologiam ac Geographiam operose inquisiverunt. His subsidiis denique adjicitur meditatio & precatio. Prolegomena hæc, longiori filo texta, excipit ipsa *Historia IV Seculorum.* Singula Secula quatuor complectuntur *Capita* majora: *primum* de Doctoribus & Scriptoribus Ecclesiæ Christianæ, *secundum* de statu Ecclesiæ Christianæ interno, ubi ea, quæ ad propagationem religionis Christianæ, ad historiam doctrinæ Christianæ, ad vitam & mores Christianorum, spectant, indagantur, *tertium* de statu Ecclesiæ Christianæ externo, tum quod ad ritus Ecclesiæ, tum quod ad regimen Ecclesiasticum, tandem & quod ad disciplinam Ecclesiasticam; *quartum* de fatis, Ecclesiæ Christianæ adversis, de falsis doctoribus & hæreticis, de vexationibus Christianorum, seu persecutionibus, ut vulgo dicuntur, denique de Conciliis. Ordiamur a *Seculo I.* Hic inter *Doctores* ac *Scriptores Cap. I* apparent *Joannes Baptista* & *Christus.* Disseritur de *Joannis* ortu, vitæ munerisque ratione, itemque supplicio. In definiendo *Joannis vestitu* Cel. Autor accedit iis, qui *Joanni* vestem vindicant, neque ex lino crasso textam, neque ex vellere unius cameli constantem, sed artificiose compositam ex pilis camelorum. Ἀκρίδες de *locustis*, proprie dictis, recte explicantur. *Mel sylvestre* accipitur de eo, quod apes vel in nudo solo, vel in cavis arborum, vel in fissuris rupium, deponunt. Vitam Christi latius enarrat Autor, examinans vaticinia Sibyllina, miracula, quæ circa nativitatis Christi tempora suborta feruntur, historiam *Mariæ*, ac *Josephi.* *Matrimonium Josephi* cum *Maria*, secundum *Epiphanium* octogesimo ætatis anno initum, fabulam dicit. Suppeditat familiam Christi, unde prognatus; eosque indicat, qui scriptis eam illustrarunt. Varia de *Beth-*



Digitized by Google

*lehemo* commemorat, quæ lectionem multam loquuntur. *Nativitatis* Christi *annum* accurate definiri non posse, neque admirandum, quod in eo constituendo veteres dissenserint, recte monet. Probabile tamen putat, Christum non tempore hiemis, ut vulgo creditur, sed *veris*, & quidem *noctu*, natum esse. Φάτνην de *præsepi*, proprie sic dicto, explicat, adversa quorundam opinione repudiata. In excutienda quæstione difficili: Utrum Christus *clausis matris meatibus* editus fuerit, adversus *Jo. Meisnerum* negativam amplectitur sententiam, ob verbum τίκτειν, quod de partu valeat, aperto utero facto. Nihilo minus sartam illibatamque urget *Mariæ* virginitatem. *Partus dolores* persensisse *Mariam*, labe peccatorum conspersam, non dubitat. In quæstione vero, utrum *obstetricis* etiam *adjutorium* expetierit *Maria*, eoque sublevata fuerit, nihil definit. Reliqua subjicit, ad vitam Christi spectantia. Probabilem vocat sententiam eorum, qui, Christum per tres annos, & sex circiter menses, ministerio functum esse, & in quarto mortem subiisse, propugnant. In loco de passione ac morte Christi inquirit in causas *supplicii crucis*, argumenti dignitate commotus. Christum non solum *agnum Paschatis* θανάσιμα vere *edisse*, sed *eodem* etiam cum Judæis *die*, *eademque hora*, asserit. Fulcit sententiam rationibus, quas Lectoris eruditi examini relinquimus. De *forma faciei* & *corporis Christi* ubi agit, tres sententiarum classes adducit; ipse tamen accedit iis, qui formam faciei Christi *pulcherrimam* admittunt, eamque ipse ex ἀναμαρτησίας evincit. Disputat de literis Christi ad *Abgarum*, de testimoniis *Josephi*, & paganorum de Christo, de actis etiam *Pilati*, quæ, longum foret, jam persequi. A *Christo* & *Joanne* progressio fit ad *Apostolos* & *Evangelistas*, eorumque scripta. Exponitur de *Apostolorum* nomine, munere, & potentia, certis limitibus circumscripta. De *Baptismo* Apostolorum, a quo illis collatus, quo loco, quo tempore, certi quid afferi non posse, Cel. Autor significat, quanquam de baptismo ipso non videatur dubitandum. De *Petro* uxorato ex sacris differit, de *ceteris Apostolorum* uxoratis ex scriptoribus Ecclesiasticis. De *Pauli conjugio* ubi quæstio suboritur, plu-

res rationes pro negativa ſententia, quam pro affirmativa, aſferri poſſe, Autor judicat. Enarrantur Autores, qui de *Apoſtolis* ſigillatim ſingularique ſtudio egerint. Et poſtea ordine dicitur de ſingulis. Indagantur quæſtiones difficiles, dudumque agitatæ: Utrum *Petrus* Antiochiam venerit; utrum Romæ Epiſcopi munere fuerit functus; quo ſupplicii genere affectus; utrum *Jacobus Major* venerit in Hiſpaniam; quid ſit ſtatuendum de itinere *Joannis* Aſiatico, ejusque ſede in urbe Epheſiorum, de dignitate ejus pontificia, de conjectione in oleum, damnatione ad metalla, de fuga ſocietatis Corinthi in balneo, & quæ ſunt aliæ quæſtiones, quæ hic accurate non minus, quam perſpicue, expediuntur. Sequuntur aliæ: Utrum ſibi conſtet promulgatio Evangelii, a *Bartholomæo* in India, Lycaonia, Armenia, facta; utrum *Matthæus* Evangelium ſcripſerit Hebraice, an Græce. Venitur etiam ad *Thomæ* legationem ad *Abgarum*, ad itinera ejus, propagandi Evangelii cauſa ſuſcepta. Recenſentur Apoſtoli reliqui, tandem & *Paulus*, de quo plura. Martyrium ejus Romanum ſub tyrannide *Neronis* certum eſſe, ſed de loco & tempore ſcriptores diſſentire, Autor Cel. obſervat. Epiſtolam ad Hebræos vindicare *Paulo* non dubitat, quanquam nomen non præfigatur. Dicit etiam quædam de ſcriptis *Pauli* apocryphis, adulterinis, ſuppoſitis. Ab *Apoſtolis* deſcendit ad *Evangeliſtas*. Animalia *Heſekielis I, 10*, itemque *Joannis Apoc. IV, 7*, ad Evangeliſtas a quibusdam referri, ſed veram adhuc ſignificationem latere, circumſpecte docet. Poſtea *Evangeliſtarum* ſingulos, quod ad vitam & ſcripta, recenſet. Sequuntur *LXX diſcipuli*, cum *Viris* ac *Patribus Apoſtolicis*. Numerum eorum ſeptuageſimum Codices Græci & monumenta antiquitatis Eccleſiaſticæ confirmant. Officium eorum conſtitit in itineribus, propagandæ doctrinæ Chriſtianæ cauſa inſtitutis. *Virorum* ac *Patrum Apoſtolicorum* diverſa ſuppeditantur genera. Enarrantur plerique illorum, ut *Timotheus*, *Titus*, *Silas*, *Philippus*, *Soſthenes*, *Apollo*, *Dionyſius Areopagita*, *Zeno*, *Stephanus*, *Prochorus*, *Ananias*, *Epaphroditus*, *Epaphras*, *Eraſtus*, *Philemon*, *Oneſiphorus*, *Nicodemus*, *Linus*, alii. Adjunguntur his *Scriptores* quidam Apoſtolici, *Evodius*, *Marcellus Abdias*,

*dias*, *Anacletus*, *Martialis*, *Clemens*, etiam *Alexandrinus*. Subnectitur *Barnabas* & *Hermas*. Omnia singulari studio pertractantur. Venitur jam ad *Caput II de statu Ecclesiæ Christi interno*. Multa hic ex Actis Apostolicis, ex Epistolis Canonicis, & Apocalypsi *Joannea*, hauriri posse, Cel. Autor annotat. Plura vero, adjicit, res illas & Ecclesias circumstantia, latere, adduci tamen cœtus sacros in Palæstina & extra Palæstinam in Codice Sacro, & Ecclesias illas nunc a provinciis, nunc ab urbibus, commemorari. Utrum Apostoli venerint in Americam, affirmari a quibusdam, & quidem rationibus maxime probabilibus, putat. Christianam religionem, ejusque propagationem, celerrime accidisse, docet, annum tamen post Christi adscensionem, quo Hierosolymis discesserint Apostoli, definiri non posse. *Historiam doctrinæ Christianæ tres Partes* absolvunt, quarum *prima* agit de Scriptura S. velut fonte ac regula doctrinæ sacræ, *altera* de iis, quæ ipsi Apostoli ac Viri Apostolici docuerunt, *tertia* de modo docendi, in Ecclesia Apostolica recepto. Denique de *vita* exponitur & *moribus Christianorum*, ac primum quidem de iis, qui vitæ sanctiori operam dederint, postea de sanctimoniæ fundamento, postremo de ipsius sanctimoniæ descriptione. *Caput III* sistit *statum Ecclesiæ Christianæ* illius temporis *externum*. Enarrantur *ritus Ecclesiastici*, conventus sacri, loca, iis destinata, partes cultus divini, lectio librorum sacrorum, adhortatio ad populum, ut vel interpretetur sacra, vel ab aliis explicata dijudicet, preces, hymni, baptismus, cœna, agapæ, osculum sanctum, jejunia, ægrotorum unctio, manuum impositio. In *regimine Ecclesiastico* describendo distinguuntur Charismata ab officiis sacris, muneribus, & munera ordinaria ab extraordinariis. Dicitur de Presbyteris, Episcopis, Diaconis, & Diaconissis, de Metropolitanis, Archiepiscopis, Patriarchis, Archidiaconis, Chorepiscopis. *Disciplina Ecclesiastica* distinguitur in ordinariam & extraordinariam. Extraordinariæ genus aliquod commemorabile erat traditio falsorum doctorum & flagitiosorum hominum in manus Satanæ. Ordinaria vero excommunicatio dicebatur. Ad ordinariam *disciplinam* refertur etiam usus clavis ligantis. *Caput IV* exponit

ponit *de Fatis Ecclesiæ.* Ex *falsis doctoribus* hic enarrantur Pseudapostoli, & hæretici, quos indicat Scriptura, videlicet *Hymenæus*, *Philetus*, *Alexander*, *2 Tim. II, 17, 18, 1 Tim. I, 19, 20*, *Hermogenes* & *Phygellus*, *2 Timoth. I, 15*, *Demas*, *2 Tim. IV, 10*, *Diotrephes*, *3 Jo. IX, 10.* Fit etiam mentio *Simonis* Magi *Act. VIII, 19*, cujus funestum obitum ac statuam, a Romanis decretam, fabulis accenset Autor. Latius de hoc *Simone* hic disputatur. Ad illius dogmata respici a quibusdam, creditur, *1 Tim. VI, 20, Col. II, 18, 2 Thess. II, 8 seq.* sed hæc tantum conjecturas dicit Autor. Refert huc etiam Nicolaitas *Apoc. II, 16*, ac docet, exstitisse omnino peculiarem Nicolaitarum sectam, a Diacono Hierosolymitano, *Nicolao*, dictam, inquirit etiam in quæstionem, utrum illi hæreticis adjiciendi, quam recte affirmat. Progreditur ad *Cerinthum*, ejusque asseclas, ad Ebionitas, Nazaræos, Docetas, Gnosticos, Menandrianos, *Dositheum*, hæreticum. Sequuntur *vexationes Christianorum.* Horum inter hostes numerantur *Judas Ischariotes*, Judæi, gentes profanæ, & Imperatores inprimis Romani. Evolvuntur capita de martyribus & confessoribus primæ Ecclesiæ, de decem vexationibus, ex quibus *prima* & *secunda* describitur. Ex *Conciliis* adducitur tantum primum & unicum Concilium Apostolorum Hierosolymitanum, *Act. XV*, in quo decretum, ut Christo nomen dantes abstinerent ab idolorum victimis, sanguine, suffocato, scortatione. Accedimus jam ad *Seculum II.* Ex *Doctoribus Ecclesiæ* hic occurrunt *Ignatius*, *Polycarpus*, *Papias*, *Quadratus*, *Aristides*, *Aristo Pellæus*, *Melito Sardensis*, *Claudius Apollinaris*, *Miltiades*, *Apollonius*, *Athenagoras*, *Justinus Martyr*, *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Tatianus*, *Theophilus Antiochenus*, *Q. Septimius Florens Tertullianus*, *Hermas*, *Aquila*, *Agrippa*, *Pius*, *Soter*, *Abercius*, *Dionysius Corinthius*, alii plures. Subjiciuntur oracula Sibyllina, & Testamentum XII Patriarcharum. De *statu Ecclesiæ interno* excitantur Ecclesiæ Orientales, quæ florebant Cæsareæ Palæstinæ, Antiochiæ, Ephesi, Smyrnæ, Hierapoli, Nicomediæ, apud Indos, Ægyptios, aliasque gentes. Adjunguntur Occidentales, in Hispania, Britannia, Gallia, Germania,

nia, aliis locis. Ad *historiam doctrinæ Christianæ* referuntur dogmata, ea ætate recte tradita; distinguuntur ab his erroneæ sententiæ Patrum, *Justini*, *Irenæi*, *Clementis*, *Theophili*, *Tertulliani*. Differitur de Theologia illius ætatis polemica, morali, exegetica. Ad *vitam* & *mores* spectat blanda fratrum sororumque compellatio, observatio officiorum erga Deum, socios, ac nosmet ipsos. In *Capite de statu Ecclesiæ Christianæ externo* sistuntur *ritus*, Sabbatha, dies festi, lectio Scripturæ, alii, de quibus supra. *Regimen Ecclesiasticum* eadem ratione, eodemque ordine, quo in superioribus, tractatur. Idem de *disciplina Ecclesiastica* notandum. Inter *fata Ecclesiæ* ex *hæreticis* hujus Seculi enarrantur *Saturninus*, *Basilides*, *Carpocrates*, cujus sectatores *Epiphanes* & *Marcellina* fuerunt, *Prodicus*, qui autor Adamianorum exstitit, *Valentinus*, ejusque sectatores, *Ptolemæus*, *Secundus*, *Heracleon*, *Marcus*, præterea Archontici, *Colarbasus*, *Bardesanes*, *Florinus*, *Blastus*, *Theodotus*, plures alii. Ex *persecutionibus* tum eæ, quæ a Judæis, tum quæ a gentibus profectæ, commemorantur. Copiose inprimis de *tertia*, *quarta*, & *quinta*, disputatur. Agit etiam Autor Cel. de *legione fulminatrice*, ætate *Marci Antonini*, eosque rectissime agere pronuntiat, qui historiam nec probant, nec prorsus rejiciunt, sed verum a falso, certum ab incerto & probabili, distinguunt. Ex *Conciliis* huc pertinent inprimis ea, quæ ob tempus Paschatis constituendum acta. Dantur incerta, ut Lugdunense, Romanum, Hieropolitanum, Siculum, Pergamense; ficta etiam duo, quorum præses & autor *Ignatius* perhibetur. *Seculum III* ex *Doctoribus* exhibet *Minutium Felicem*, *Cyprianum*, *Origenem*, *Hippolytum*, *Gregorium Thaumaturgum*, *Julium Africanum*, *Methodium*, *Dionysium Alexandrinum*, *Ammonium*, *Symmachum*, reliquos. Ex *dogmatibus*, quæ tum viguerunt, varia indicantur. Non tamen omnem corruptionem a doctrina tum abfuisse, ostenditur, illudque ex erroribus & vitiis, apud *Minutium Felicem*, *Cyprianum*, *Origenem*, *Methodium*, *Dionysium Alexandrinum*, occurrentibus, confirmatur. *Status Ecclesiæ internus* ad formam superiorem declaratur. Bene observatum est, ædes cultus divini eo tempore

pore imaginibus eorum fuisse decoratas, ligneas mensas in sacris usurpatas, lucernas noctu accensas, in vigiliis paschalibus, & alio tempore. *Regimen Ecclesiasticum* ibidem, ut supra, describitur. Adjiciuntur tamen varia lectu digna de Exorcistis, Acoluthis, Lectoribus, Ostiariis, itemque de electione ad ordinem Ecclesiasticum, de ordinatione ministrorum Ecclesiæ, de translatione Episcoporum in alias sedes. *Disciplina Ecclesiastica* spectatur in lapsis, sacrificatis, libellaticis, traditoribus, ea affectis. Ad *fata Ecclesiæ* pertinent *hæreses* variæ, ut Noetianorum, Sabellianorum, Samosatenianorum, Nepotianorum, Manichæorum, Hieracitarum, Beryllii, Arabicorum, plurium, præterea Schisma Novatianorum & controversiæ, de baptismo hæreticorum, num sit verus, agitatæ, itemque lis inter *Cyprianum* & *Stephanum*. Ex *vexationibus* describuntur *sexta, septima, octava, nona, decima*. Ex *Conciliis* hic apparent Carthaginiensia, Alexandrinum, Lambesitanum, Bostrenum, Ephesinum, duo Romana, Antiochena, Iconiense. In *Seculo IV* excitantur primum doctores, *Eusebius, Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Ephraemus Syrus, Basilius Magnus, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus*, cum reliquis. Ad *statum internum Ecclesiæ* refertur *Constantini M.* professio Christianæ fidei, de qua copiose & erudite. De *signo Constantini* Autor verisimiliorem putat sententiam eorum, qui illud ad causas naturales referunt, crucemque credunt in halone solari conspectam. Quod signum, quia rarum fuit, potuit in admirationem rapere & Imperatorem, & reliquos spectatores, simulque efficere, ut miraculis postea accenseretur, dum quædam aliter recipiebantur, atque apparebant in cœlo. In *historia doctrinæ Christianæ* notantur quædam sententiæ *Eusebii, Athanasii, Cyrilli, Basilii*. Differitur etiam de *Symbolo Niceno*, ætate illa confecto. In *Capite de vita & moribus Christianorum*, de Monachatu, Anachoretis, Cenobitis, operose disputatur. Ex hac brevi delineatione Operis amplissimi Lectores intelligent, quanti pretii illud sit, & quanto desiderio *Partes* reliquæ sint efflagitandæ. Ad quam igitur telam feliciter pertexendam Autori

Summme Reverendo & otium in munere graviſſimo, & conſtantem valetudinem, candido pectore comprecamur.

## *JACOBI BRUCKERI, REG. SOC. SCIENT. Berolin. Membri, Hiſtoria critica Philoſophiæ.*

## *Tomus III.*

Lipſiæ, apud Bernh. Chriſtoph. Breitkopf, 1743, 4 maj. Alph. 5 plag. 4.

Qualis æſtate nova flores per rura apes exercet ſub ſole labor, quantumque fervet elegantiſſimum artificioſiſſimumque opus illorum, mella liquentia ſtipantium, dulcique nectare cellas diſtendentium, teſte *Virgilio Marone Æn. I, 434*, tale exercet Celeberrimi Autoris ingenium mentemque ſtudium, tantum creſcit miræ artis, elegantiæ, & dulcedinis, opus, tantumque fervet, ut *tertius* jam prodierit ejus *Tomus*, idemque proxime prodituros promiſerit certo reliquos *duos*. Tradit hic *Tomus tertius* Philoſophiæ hiſtoriæ criticæ *Periodi ſecundæ*, ab initiis monarchiæ Romanæ ad repurgatas uſque literas fata Philoſophiæ complectentis, cum *Partis primæ Librum III*, de Philoſophia Saracenica, ſive Arabica, tum *Partem* integram *ſecundam*, hiſtoriam Philoſophiæ Chriſtianæ ad inſtauratas uſque literas exponentem. Abſolvitur illa de Philoſophia Saracenorum, ſive Arabum, hiſtoria *duobus Capitibus*, quorum *primum* de origine & progreſſu Philoſophiæ inter illas gentes, *alterum*
Pag. 3. vero de natura & indole iſtius Philoſophiæ, inſcribitur. Indi-
5. catur primo *primi Capitis* loco tractandi ordo, fontes hiſtoriæ
9. philoſophicæ Saracenorum, ſtatus literarum atque Philoſophiæ
15. & ante Islamiſmi, ſive Muhammediſmi, tempora, & tempore na-
21. ſcentis Islamiſmi, fata Philoſophiæ ſub familiis Ommiadarum &
25. Abbaſidarum, cum cauſis exorientium inter Saracenas litera-
27. rum & Philoſophiæ, atque autoribus ejusdem primis, Medicis ſcilicet Chriſtianis, quibus & artis ſalutaris, & Philoſophiæ, inter Arabes receptæ, patrocinium debetur, quos inter celebris eſt

est *Joannes*, filius *Musa Waichi*, sive *Mesue Damascenus*, cum *Joanne Mesue Damasceno*, hoc multo juniore, itemque cum *Joanne Damasceno Mansure*, scriptore ecclesiastico, non confundendus; quibus adduntur Principum, & præcipue *Al-Mamonis*, de literis & Philosophia merita, progressus Philosophiæ, Pag. 31. 39.
Principibus promotoribus facti, ejus inter alias Asiæ gentes cultura & in Oriente scholæ, inter Arabes vero occidentales 42. 43.
fata. Consideratis ita in genere Philosophiæ in gente Saracenica fatis, de specialibus ejus apud illam circumstantiis sibi porro agendum esse existimat Cel. Autor, nimirum de sectis inter 45. 50.
Saracenos, originibus quoque Philosophiæ & Theologiæ scholasticæ inter Muhammedanos, & secta inter eos Loquentium, 54. 58.
de scriptoribus Philosophiæ inter Saracenos, *Alkendio*, *Thabete*, *Alfaratio*, *Esciario*, *Essophio*, & *Rasio*, superantibus famæ 61. 63. 69.
celebritate sui temporis Philosophos inter Arabes omnes *Avicenna*, & *Averroe*, sectaque *Averroistica*, aliis quoque Arabum 71. 74.
Philosophis, Astronomis, & Mathematicis, Judæis denique Arabibus, inter Saracenos philosophantibus. Deinde, enarrata Philosophorum inter Arabes post C. N. celeberrimorum, ipsiusque 76. 80. 97. 109.
fatorum Philosophiæ, historia, *Cap. II de natura, indole, & constitutione, Philosophiæ Saracenicæ* differit Cel. Autor, idem sequens institutum, quod per omnes temporum quorumcunque 113. 118. 120. 122.
sectas tenuit, ut, generalibus quibusdam observationibus, quibus arcanæ rationes Philosophiæ Saracenicæ recluduntur, præmissis, tum demum de singulis Philosophiæ inter illam gentem cultæ partibus disputat. Docent observationes istæ generales, 123.
Philosophiam inter Arabes ante Islamismum nullam, ipsumque *Muhammedem* cum lege sua ἀφιλόσοφον fuisse, ipsam Philosophiam sub *Abbasidis* demum introductam, sectam Loquentium, 130. 134.
supra dictam, specimen Philosophiæ Saracenicæ & introducti 141.
scepticismi habendam, sectas Muhammedicas Philosophiam evertisse ac corrupisse, fata Philosophiæ inter Christianos tristem 143. 148.
eventum Philosophiæ Saracenicæ peperisse, versiones philosophicorum scriptorum ineptas, damnaque Philosophiæ inde e- 149. 151.
mergentia inter Christianos magna, ipsam denique Philosophiæ 152.
Saracenicæ conditionem miseram fuisse, quamvis Arabibus viri 155.

 magni

magni & ingenia excelsa non defuerint, ipsique de Philosophia omni non ita male meruerint, ut in ejus historia exigua, vel plane nulla, eorum debeat esse memoria, quin potius fatendum, in tanta ingeniorum paupertate & eruditionis nocte, quæ tum totum pæne terrarum orbem oppresserat, laudandam esse Arabum industriam, stellæ instar fulgentem, meliusque fuisse, aliqua Philosophia, licet manca multisque nævis turgente, uti, quam nulla. His præmissis, quid in singulis Philosophiæ partibus statuerint Arabes, explicat Cel. Autor, quorum quidem Philosophia cum tota fuerit Peripatetica, & non modo nihil novi illi addiderint, verum neque ullum ejus errorem emendaverint, facile ex Philosophiæ *Aristotelicæ* placitis intelligi omnis potest; ut tamen habeat Lector curiosus, unde sitim restinguat, faciemque noscat Philosophumenorum Arabicorum, delineavit Cel. Autor Muhammedanorum philosophica ipsis ex
Pag. 157. scriptoribus Arabicis dogmata præcipua, de Theologia naturali,
166. deque doctrina de Deo, spiritibus, anima, ejusque statu & con-
172. ditione post mortem, tum de rebus quoque naturalibus, &
198.211. subjecit Philosophiæ moralis, orientali methodo concinnatæ,
217. compendium. Expositis ita fatis Philosophiæ, quatenus se inter gentiles, Judæos, atque Muhammedanos, post natum mundi redemtorem extendisse creditur, adeoque, absoluta *prima secundæ* hujus Historiæ philosophicæ *Periodi Parte*, restat *altera* ejus *Pars* de Philosophia Christiana ad instauratas usque literas, cujus omnis narratio *duobus* distinguitur *Libris*, quorum *primus* de Philosophia veterum Christianorum, *secundus* de Philosophia Christianorum medii ævi, inscribitur. Ad *tria* redit *primi* hujus *Partis secundæ Libri* tractatio *Capita*, ac *primum* quidem,
242. *de Philosophia Christi & Apostolorum* disquirens, Christianam
243. religionem Philosophiam sensu excellentiori esse, & Philoso-
244. phiæ nomen religioni Christianæ tributum, sed, improprie eam
246. ita dici, observat, addita varia Philosophiæ apud veteres Christianos significatione, simul & vero eos corrigit, qui caput regemque
247. civitatis Christianæ optimum maximum Jesum Christum, ejus-
255.257. que Apostolos, & inprimis *Paulum*, Philosophis annumerare au-
260. deant. Sistit *Caput II, de Philosophia veterum Christianorum,*

*præcipua*

*præcipue Ecclesiæ doctorum*, *in genere considerata*, historiam
ejus, observationibus generalibus comprehensam, docentibus
quidem, Apostolicos viros a Philosophia omni abhorruisse, Pag. 269.
allegoriæ studium mature Philosophiæ Ægyptiacæ portam in 274.
ecclesia aperuisse, Philosophiam ipsam Seculo II in ecclesiam 278.
introductam, ejus quidem satis gnaros fuisse Seculi II Patres, 281.
eandem tamen in apologiis oppugnasse, nullique sectæ peper- 282.283.
cisse, cum hæreses, ex gentili Philosophia ortæ, exosam eam 287.
Patribus reddidissent, id quod exemplo *Valentinianæ* hæreseos
illustratur, ipsumque *Valentini* systema, & Matæologiæ *Valen-* 290.291.
*tinianæ* origines, describuntur; ipsam Philosophiam, postlimi- 294.
nio a Patribus acceptam, in commodos reipublicæ Christianæ 303.
commutatam usus, non quidem sine singulari cautione; veri 310.
insuper nominis Philosophos Patres non fuisse, & Philosophiam 313.
aliquam eclecticam ex omnium sectarum placitis erigere ni- 316.
tentes, unde diversæ de Philosophia gentili voces concilien- 321.
tur, unam sectam alteri prætulisse, &, repudiata *Peripatetica* 324.
secta atque *Epicuræa*, quosdam *Aristoteli*, plurimos *Platoni*, 326.327.
sed certo tantum respectu, quam maxime favisse, multis de 328.
causis laudato, & ab eclectica secta commendato, a *Plato-* 331.335.
*nismo*, sive doctrina illa eclectica, Systema syncretisticum *Pla-* 337.
*tonico* attemperante, Patres ante Nicænos aliosque non immu- 338.
nes fuisse; ceterum disputationes Patrum non satis accuratas 340.343.
ob ratiocinandi imperitiam, eorum in arte critica notitiam nul- 349.
lam, stilum non nisi affectatum & allegoricum, Philosophiam 354.355.
naturalem fere nullam, diligentiam in Philosophia morali par- 356.
ciorem, rigorem vero in ea absurdum nimiumque, ipsamque 359.
Alexandrina, Ægyptiaca, & Eclectica, Philosophia corruptam, 360.361.
haberi posse. Exequitur *Caput III* illam *Philosophiam vete-* 363.
*rum Christianorum*, *præcipue Ecclesiæ doctorum*, *speciatim con-*
*sideratam*, præcipuorum ecclesiæ Patrum exempla intuens, qui
a Seculi post Servatorem natum secundi initio, ad Seculum us-
que octavum, a quo medium plerique auspicari solent ævum,
aliqua Philosophiæ laude clari habentur, qui, cum in duas
distinguuntur classes, quarum una ante conditam sectam Ecle- 368.
cticam, altera illa invalescente, viguit, considerantur eo ordine,
ut

ut Seculi secundi doctores prius illi recenseantur, qui ante con-
ditam eam sectam vixere, tum, qui tertio & sequentibus Ale-
xandrina, vel *Aristotelica* quoque, φιλοσοφέμενα adamarunt.
Pag. 369. Legitur ita Philosophia *Justini Martyris*, *Tatiani*, *Platonicæ*
378. sectæ Seculo II inter Christianos celebritas, Philosophia *Theo-*
396. *phili Antiocheni*, *Platonicæ* amatoris, *Athenagoræ*, *Hermiæ*, *Ire-*
399. *næi*, *Tertulliani*, *Clementis Alexandrini*, ejusque præceptoris,
401.407. *Pantæni*. Inde sequitur Patrum post conditam sectam ecle-
411. cticam Philosophia, speciatim *Ammonii* Philosophia, ab *Ori-*
414.417. *gene* in ecclesiam introducta, ipsius *Origenis* Philosophia, me-
420. thodus docendi, discipuli, philosophumena, *Origeni* tribu-
427. ta, eruditionisque philosophicæ ejus laus & prædicatio, tum
428.433. vero etiam errores, ex Philosophia enati, denique ipsum Sy-
436. stema philosophico-theologicum *Origenianum*, quibus sub-
437. junguntur ceterarum sectarum Græcanicarum fata, inprimis
440. Peripateticæ, ab *Anatolio* excultæ. Comparent porro Patres
442. Seculi quarti Philosophiæ periti, *Arnobius*, *Lactantius*, *Eu-*
443. *sebius*, *Didymus Alexandrinus*, *Chalcidius*, *Augustinus*, *Syne-*
459. *sius*, a Pseudo-*Dionysio* distinctus, *Dionysius Areopagita*. Ad-
463.465. duntur Philosophi inter Christianos Occidentales, Seculi V
470.471. *Claudianus Mamertus* & *Æneas Gazæus*, Seculi VI *Boethius*,
472.485. *Zacharias Scholasticus*, *Jo. Philoponus*, & incertæ ætatis *Neme-*
507.511. *sius*. Jamque, enarrata historia philosophica Christianorum,
523.524. qui sex primis post C. N. Seculis vixerunt, *Libro* hujus *Par-*
527.528. *tis II Periodi II secundo* de Philosophia Christianorum medii
529.530. ævi exponit Cel. Autor, rem omnem *tribus Capitibus* comple-
532. ctens, & *primo* quidem Philosophiæ faciem in Oriente inter
554. Græcos Christianos, a Seculo VII ad expugnatam Constantino-
polin, cujus deploranda expugnatio A. C. 1451 accidit, de-
ibid. pingens, *secundo* Philosophiam Christianorum Occidentalium
a Seculo VII ad XII describens, *tertio* scholasticæ Philosophiæ,
675. quæ ab isto tempore usque ad renatas literas regnavit, histo-
533. riam subjungens. Exhibentur *Cap. I* fata Philosophiæ & *Plato-*
534. *nicæ*, & *Aristotelicæ*, Seculo VII in Oriente, autore præcipuo *Jo-*
536. *anne Damasceno*, barbaries Seculo VIII & IX inter Græcos ingru-
537. ens, contra vero etiam Philosophia ex parte a *Barda* restituta, &
Seculo

Seculo X inter Græcos promota *Mich. Pſelli*, ſenioris, *Leo-* Pag. 538.
*nis* Philoſophi, *Photii*, *Leonis VI* Imperatoris, *Sapientis* dicti, 540.
*Nicetæ Davidis*, *Michaelis Epheſii*, *Euſtratii*, Sec. XII *Nice-* 541.543.
*phori Blemmidæ*, & *Georgii Pachymeris* Sec. XIII, *Theodori Me-* 544.
*tochitæ* & aliorum Sec. XIV, extremiſque imperii Græci tem- 546.
poribus *Michaelis Pſelli*, junioris, ſtudio & autoritate, quibus 550.
Philoſophi Græci, in Occidentem, ſecuta illa rerum perturbatione, 554.
dilapſi, ſubjunguntur. Inde ex Oriente in Occidentem, a Græ-
cis ad Latinos, jam progredienti Cel. Autori, *Cap. II*, indicatis
& fontibus, ex quibus hiſtoria Philoſophiæ medii ævi haurienda, 557.
& tractationis ordine, utilitate, ac ſcopo, deſcribitur barbaries, 558.
Sec. VII ingruens, ejuſque cauſæ, ſuperſtitio ſcilicet odiumque
in Philoſophiam *Gregorii Magni*, ſtudium tamen etiam aliquo- 559.
rum, tanquam claſſicos Autores *Marcianum Capellam*, *Boethium*, 564.
*Caſſiodorum*, *Macrobium*, *Firmicum Maternum*, *Chalcidium*, ex 566.567.
ſacris ſcriptoribus *Auguſtinum*, legentium, quorum lectione ali- 568.
qui, & inprimis *Iſidorus Hiſpalenſis*, Sec. VII in Philoſophia pro- 569.
fecerunt. Hæc excipit Philoſophiæ Sec. VIII delineatio, cujus 571.
ubique fere expulſæ aſyla quaſi fuere monaſteria, maxime Ordi- 572.574.
nis S. *Benedicti*, ſed miſera, meliora Hiberniæ & Angliæ regna, 575.
ſtatores, ſive potius conſervatores, *Theodorus Cilix*, *Beda*, 577.580.
*Flaccus Alcuinus*, gratia *Caroli M.* ad inſtaurandas literas & 583.
Philoſophiam utens, qui magno & Imperatore digno conatu 591.
ſcholas, tum quidem triviales & quadriviales, conſtituebat, 593.
fruſtraneo tamen, cum nihilo minus potiores ſcientiæ philoſo- 594.
phicæ negligerentur. Legitur porro Philoſophiæ Sec. IX con- 598.599.
ditio, ſcholarum fata, cura *Alfredi*, Angliæ Regis, virorumque 601.605.
doctorum, de inſtaurandis literis & Philoſophia, inprimis *Jo.* 610.611.
*Scoti* atque *Eginhardi*, & qui laude aliqua Philoſophiæ illo tem- 614.625.
pore inclaruerunt. Sed non ſuffecerunt illi barbariei pellen- 626.630.
dæ, quæ & Sec. X omnia tenuit, quanquam non defuerint 632.637.
literarum præſides ſummi, *Ottones* ſcilicet in imperio Roma- 638.640.
no, Reges virique docti in Anglia, Gallia, Germania, Italia, 643.646.
alibique; quæ miſera literarum & Philoſophiæ fata ſequenti 651.652.
Sec. XI durarunt, nec literas tunc Principum favor, aut viro- 656.657.
rum doctorum ſtudium, adjuvit. Prodit denique *Cap. III Phi-* 667.

*losophia Scholastica, tribus Sectionibus* descripta, quarum *prima*
statum Philosophiæ in genere a Sec. XII usque ad renatas literas
Pag. 675. exponitur, quo quidem tempore fervens, sed impediens Philoso-
680.686. phiæ incrementa, erroresque & controversias gignens, Diale-
687.692. cticæ studium deprehenditur, una cum incrementis Philoso-
697. phiæ inter Scholasticos *Aristotelicæ* in Gallia, Anglia, Germa-
698. nia, & Italia, nec non Arabica Philosophia introducta, ipsius-
que Philosophiæ Sec. XIV & XV forma adjecta. *Secunda* hu-
709. jus *Capitis Sectio*, de Scholasticis ipsis, nominis eorum signifi-
714. cationem & Scholasticæ Philosophiæ origines observans, *tres*
731. eorum constituit *ætates*, *primam* a *Lanfranco*, ejusque discipu-
734.780. lo, *Petro Lombardo*, usque ad medium Sec. XIII, quo *Alber-*
783.787. *tus M.* vixit, *secundam* ab anno 1220 usque ad *Durandum a*
829.845. *S. Porciano*, annumque 1330, *tertiam* ab eo tempore usque ad
863.864. *Gabrielem Biel*, Theologum Tubingensem, qui circa tempora
emendationis sacrorum, a D. *Luthero* susceptæ, vixit. *Tertia*
869. *Sectio* de natura, indole, & modo, Philosophiæ Scholasticæ, for-
870. mata ejus idea generali, observationibus generalibus ostendit,
871. illius animam Dialecticam eristicam fuisse artemque rixosam, ad
defendenda dogmata sua vana adhibitam, idque malum juncta
872. inani Dialecticæ Metaphysica auctum, indeque exortas logoma-
874. chias innumerabiles, fructus enatos pessimos, maxime Theologiæ
876. corruptionem, fuisse, emolumenta Cleri & hierarchiæ eccle-
877. siasticæ causam hujus labis inter alias magnam, subtilitatem eo-
879. rum affectatam, nimiam, & inutilem, abstractionibus & præ-
880.882. cisionibus mentalibus omnia repleta, inde scepticismum ena-
883. tum, & atheismi impietatem, theoreticam & practicam, jun-
885. ctam barbariem sermonis cum barbarie cogitationum, *Ἀριςο-*
886.887. *τελομανίαν* Scholasticorum insignem, *Aristotelem* non intelle-
888.890. ctum, Theologiam moresque variis de causis corruptos; non
891. defuisse tamen his Scholasticorum temporibus ingenia magna,
acuta, aliorumque mensuram longe superantia; quibus adjungi-
892.893. tur Philosophiæ Scholasticæ, qualis fieri potest, delineatio, Lo-
897.898. gicæ speciatim, Physicæ, Metaphysicæ, Theologiæ naturalis,
899.900. Ethicæ, Juris naturæ & gentium, ac Politicæ, sectarumque, in-
902.904. primis nominalium & realium, enumeratio atque descriptio.
Nemi-

Neminem fore existimamus in orbe erudito, qui non intelligat, quantum commodi hoc uno labore Cel. Autoris ad rem & literariam & sacram pervenerit, & quantum præstiterit Vir doctissimus, argumentum grave, jucundum, utile, desideratum huc usque, adeoque, ob aliorum ejus neglectum, fere novum, non minori integritate animi & ingenii pertractatum, quam sermonis verborumque elegantia, paucissima, quæ excideruut, si exceperis, adornatum, publicæ luci exponens. Pag. 328.

*O fortunati, quorum tam grandia surgunt*
*Sic opera!*

A PRACTICAL TREATISE UPON DENTITION, &c.

hoc est,

*TRACTATUS PRACTICUS DE DENTITIONE, sive eruptione dentium in infantibus; in quo in causas acutorum symptomatum, quæ in hac periculosa vitæ periodo oriuntur, inquiritur; remedia tum veterum, tum recentiorum, in curando hoc morbo examinantur, & quomodo noxiis effectibus occurrendum sit, ostenditur; nonnulli errores insignes corriguntur; objectionibus respondetur, & praxis genuina commendatur; ex observationibus & experientiis omnia casibus & animadversionibus illustrantur, a JOSEPHO HURLOCK, Chirurgo.*

Londini, sumtibus Autoris, prostat apud C. Rivington & S. Austen, nec non J. Hodges, 1742, 8 maj.

Plag. 20½.

Mirandum omnino est, plures homines in ætate tenera ante quintum vitæ annum naturæ cedere, quam in reliquo ætatis decursu; quod illi, qui in catalogos demortuorum cum cura inquirunt, semel iterumque observarunt, nisi forsitan morbi epidemici plurimos adultos e vivis eripiant. Inter causas

Nnn 2 vero

vero mortis prǽmaturǽ dentitio difficilis non ultima eſt; unde Cl. Autor in cauſas & curationem hujus morbi accuratius inquiſivit, & in hoc Tractatu non niſi crebriori obſervatione confirmata exhibuit. De ſtructura & uſu dentium nihil ſpecialius expoſuit, ſed, practica tantum hujus argumenti capita pertractando, 1) ad tempus dentitionis, 2) ad varia incommoda, quǽ hǽc vitǽ initia comitantur, & ſimul cauſǽ noſtri morbi eſſe poſſunt; 3) ad varia remedia, a veteribus ǽque ac recentioribus Medicis ſuppeditata, & huic morbo accommodata, reſpicit, & his omnibus ſuam medendi methodum variis caſibus practicis declaratam adjungit. Rariora ſunt exempla infantum, qui dentes a nativitate extra gingivas prominentes oſtendunt; vix igitur commemoranda ſunt, cum conſueto modo, ſeptimo menſe tandem, in paucis citius, in aliis tardius, erumpant dentes. Tertio anno utplurimum viginti dentes, ſcilicet omnes, qui in infantia prodire ſolent, conſpiciuntur. Autor itaque non ſine ratione monet, illos, qui periodos vitǽ in demortuis commemorandis deſignant, primum non ponere debere anno ſecundo, nec alterum anno quinto, ſed potius primum primo ſemeſtri, alterum tertio anno, tertium quinto anno, quo funeſti dentitionis difficilis effectus eo melius cognoſcantur. Cauſas poſtea dentitionis difficilis adducit. Naturalem appellat diſtenſionem partium, quǽ dentes involvunt & tegunt, unde dolor, ſpaſmus, inflammatio, & alia incommoda, oriuntur, quǽ cuncta inprimis moleſta ſunt, ſi dentes juſto majores ſint, ſi plurimi ſimul erumpant, ſi gingivǽ rigidiores inveniantur. Cum vero diſtenſio in omnibus obſervetur, nec tamen in omnibus morboſa ſymptomata dentitionem comitentur, ad cauſas contingentes, ſeu ſecundarias, quoque reſpicit. Harum aliǽ ſunt internǽ: Augmentum caloris in ore infantis ab actione humorum abundantium, alvus ſtrictior, febris inflammatoria, perſpirationis ſuppreſſio, & cuncta, quǽ puſtulas cutaneas, vel alios morbos cutaneos, repellunt, exſiccatio ſubitanea aurium manantium, vel ſalivǽ copioſius fluentis ſuppreſſio, vel per medicamenta, vel per neglectam diǽtam; aliǽ vero ſunt

funt externæ: nimirum acceſſus aeris liberior ad dentes priores citius ſecedentes, corpora duriora gingivis applicata, nimius calor ingeſtorum, vulnera gingivarum. Inter remedia dentitionis difficilis primum quidem locum requirit accurata nutricis diæta, cum multi infantes hoc morbo corripiantur, quando adhuc lac ſugunt ex mammis; qua de re, cum non preſſius ad inſtitutum ſpectet, pauca tantum exponit, ſed potius ad medicamenta externe gingivis applicata mollientia, refrigerantia, narcotica, examinanda progreditur; quæ quidem non prorſus rejicit, multa tamen incommoda inde oriunda exponit. Hæc excipiunt frictiones gingivarum cum corporibus durioribus, quæ, cum ſolo attritu, nec vi quadam ſpecifica corporum applicatorum, auxilium ferant, non duriſſima ſint, ut corallia, vel dentes animalium, ſed quodammodo flexilia & elaſtica. His remediis annectit inciſionem gingivarum, quæ, licet a quibusdam Practicis ſuadeatur, ab aliis tamen prorſus rejicitur; cum autem in ſingulari quadam gingivarum rigiditate non omittenda ſit, objectiones, quæ contra eandem proferri poſſunt, proponit, & ad illas reſpondet, nec non de inſtrumento inciſioni apto, & aliis circumſtantiis, fuſius differit. Objectionem octavam, quod nimirum gingivæ, ſi incidantur, antequam dens ad plenariam eruptionem diſponatur, interim coaleſcant, calloſæ fiant, & eruptionem ſecuturam dentis difficilem, immo impoſſibilem, reddant, curatius evolvit, & ſigna Cel. *Harriſii*, quibus tempus inciſionis indicatur, vix ſufficere ait, ſed illa experientiis illuſtrata ulterius perpendit, &, ſi etiam inciſio paulo citius perficiatur, noxios effectus haud timendos eſſe monet. His peractis ad normam cauſarum ſuperius propoſitarum, de remediis ipſis agit, & contingentes, ſive ſecundarias, cauſas primum in ſcenam producit, quoniam his ipſis dentitio, quæ ex gingivarum natura ſæpius optime ſuccederet, difficilis redditur. Ea vero methodo utitur, ut, inſperſis recenſionibus caſuum practicorum, afferta ſua ulterius comprobet, & ita remediorum efficaciam in diverſis ægris declaret, quod inſtitutum præſtantiſſimum videtur, inprimis ſi ipſa indicatio ex cauſarum & ſymptomatum comparatione formetur, & ſigna accu-

rate distinguantur; id quod Cl. Autor studiose præstitit, & simul sententias celeberrimorum Practicorum adduxit. Explicatis vero causis secundariis, ad naturalem, ut ipse appellat, accedit, &, cum de rigiditate gingivarum agatur, denuo ad incisionem earundem attendit, eamque, si in tempore fieri possit, maxime commendat, variisque observationibus illustrat.

## *FRANCISCI VIGERI, ROTOMAGENSIS, de præcipuis Græcæ dictionis Idiotismis libellus. Illustravit, perpetuis animadversionibus, & quampluimis idiotismis, auxit, HENRICUS HOOGEVEEN.*

Lugduni Batavorum, apud Jo. Arnoldum Langerak, 1742, 8 maj. Alph. 1 plag. 12.

Cum liber *Vigeri* jam diu manibus literatorum versetur; ea tantum memoranda hic nobis ducimus, quæ a Cl. *Hoogeveenio* nunc demum adjici sunt cœpta. *Pag. 2* igitur *Matth. XXI, 21*, in verbis τὸ τῆς συκῆς subintelligit Autor θαῦμα. Sed, an vocabulum tam infrequens, saltem paucis locis accommodum, hic subintelligi queat, dubitent fortasse aliqui. Omittuntur certe fere nomina, scriptoribus crebro ac frequenter occursantia, quæ propter ingratam repetitionem subticeri mavult diligens scriptor. *Cap. I Reg. IV* ad ὁ μὲν ὁ δὲ annotat varia Autor non contemnenda. Ad *Cap. III Sect. I* annotat, duo substantiva poni pro adjectivo & substantivo, itemque abstracta pro concretis; nomina propria urbium composita dividi, ut ἡλίου πόλις pro Heliopolis, item pro Μεσοποταμία ἡ μέση τῶν ποταμῶν, dicatur; nominativum absolute poni; adjectiva accipi & construi ut substantiva, v. g. Εὐθυκλέα Λακεδαιμόνιον ὄντα πόλεως περιφανοῦς, *Euthyclem*, natum Lacedæmone, urbe celebri; sed id fit fortasse propter subintellectum πολίτης, vel ἄνθρωπος, vel simile quiddam; dativum interdum pro genitivo, vel adverbio, vel nomine, præpositionem *ob*, aut *propter*, subintelligente, scribi, accusativum nominis μέγεθος, γένος, εἶδος, & similia, addi adjectivis, quantitatem, vel

vel qualitatem, significantibus. Quod autem, accusativum absolute poni, nec cum subsequente oratione connecti, rarius putat Autor, in eo alii ab illo dissentient. Legendum hic commendamus Cel. *Jo. Conr. Schwartzii* librum, cui nomen est: *Solœcismi discipulorum antiquati.* Ad *Cap. III Sect. III* nomina ἀγαθὸς, ἄκρος, ἄλλος, ἄμφω, ἀνὴρ, adjicit, ubi, quod ὦ 'γαθὲ pro *quæso, agedum*, accipi opinatur, non probabunt omnes literati. Neque ἄκρος & ἄλλος cum genitivo novam potestatem & novum usum consequuntur, sed communem partitionis & diversitatis constructionem obtinent. Idem dici potest in nomen ἀνὴρ in formula βουκόλος ἀνὴρ, & similibus, qui pleonasmus usitatissimus est. Ἄμφω autem, ut δύο, nonnunquam esse indeclinabile, nihil est novi. Carere quoque poteramus observatione, βασιλέως pro *rege Persarum*, βουλήματος pro *sententia dicti*, βίᾳ pro *violentia, quæ aliis infertur*, σῶμα pro *hominibus, vita, servis*, accipi. Nam & contextus talia facile per se docet, & dativus nominis βίᾳ nihil hic singulare habet, cum omnia nomina, vim & injuriam signantia, cum active, tum passive, ponantur, ut res & occasio fert. Græcæ quidem linguæ propria hæc non sunt, sed cum aliis communia. Videantur, quæ Cl. *Hoogeveen* ipse ad *Vigerum* simili in loco adscribit *pag. 132, 133.* Ita *Hoogeveenius* ad *Vigeri* observationes de nomine ἔργου multa adscripsit, ut ostenderet, *res operosas, clades, facinora, officia, consuetudinem*, & alia, nomine illo significari, & tamen oblitus est, *artificia*, seu *opera artificiosa*, eodem nomine indicari. Sed hæc talia Lexicis potius, quam *Vigero*, inserenda putamus. Copiosa ergo vocabuli ἴσον, κύρωσις, λόγος, μέρος, μέσος, ὀπαῖος, οἷος, ὅσος, &c. explanatio a nobis hic merito prætermittitur. Interdum tamen aliqua bene annotata sunt, v. g. ἐν μειρακείῳ, *in adolescentia*, ἐν παιδὶ, *in pueritia*, πολὺν esse nonnunquam *magnum, copiosum, multis rebus memorabilem*, τοὺς πολλοὺς esse multitudinem, plebem. Αὐθόμηρον esse *alterum Homerum*, αὐθημερὸν, *eodem die*, αὐτερέτην *hominem remigis partes sponte suscipientem.* Satis quidem ingenii & doctrinæ plurimis e locis, quos *Hoogeveenius Vigero* adscripsit, elucet; neque tamen dubitamus, quin posterioribus curis ipse agnoscat, aliqua, bonis admista,

mista, esse subita. Nam, quod *Matth. VIII, 1, 5, 23, 28*, ἐμβάντι αὐτῷ subjunguntur statim verba: ἠκολούθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, necessitas ipsa expressit Atticismi, non ineptus quidam pleonasmus. Nam hujusmodi dativi eodem jure sunt, ac Latinorum ablativi, consequentiam designantes. Reliqua vero exempla pleonasmi pronominis αὐτὸ nituntur itidem autoritatibus nobilissimorum Græcorum. Nam, quicunque casus ab initio orationis temere quasi positus est, is more Attico per particulas αὐτὸς, οὗτος, οἱ, οὗ, ἑ, & similes, debito casu positas, belle corrigitur. Cujus rei infinita proferri possent exempla, si jam id ageretur. Mox *pag. 139* bene observat Cl. Editor, pronomen αὐτὸς interdum omitti. Eandem laudem meretur observatio, quod post præpositiones μετὰ, πρὸς, ἐπὶ, ἐν, σὺν, tanquam adverbialiter positas, subaudiatur τοῦτο, vel ταῦτα. Nolimus tamen, paulo post *pag. 145* καὶ ταῦτα explicari per *quamvis, licet, præsertim*, cum formula ista modo signet *& quidem*, vel, ut *Cic. Lib. I Offic. Cap. 1* loquitur, *idque*. Quam rem Editor mox ipse agnoscit. Addit deinde *Vigero*, αὔξω, ἐπιδίδωμι, πληθύνω, esse etiam *augeor, cresco*, λείπω & ἐλλείπω *deficio*, & alia verba similia, quæ post paulo ipse mavult per ellipsin explicari. *Pag. 159* observat, optativum interdum pro imperativo poni, comitante particula ἄν, ut in *Sophoclis Electr. v. 1498*. *Pag. 160*, Aoristum α subjunctivi pro futuro indicativi adhiberi, ait, ut in *Apocal. II, 11*. Ad *Cap. V Sect. IV Reg. I §. VII* adjicit Autor varias constructiones verbi ἀκούω, & verbum ἀπολαμβάνω: sed prætermittit multa alia, v. g. ἄρχομαι, quod otiosum est interdum. Tales prætermissiones etiam in subsequentibus *Capitibus* observes, quas tamen nos ipsi ad Lexica referri malimus. *Pag. 260* queritur *Hoogeveenius*, *Vigerum*, generalioribus regulis neglectis, ad specialiores adhærescere, eaque re adolescentium memoriam onerare. Quocirca generaliorem usum exemplis declarat. *Capiti* de Adverbiis præmittit *Hoogeveenius* admonitionem, quod crebrius Græci, quam Latini, genitivos adjiciant adverbiis loci & temporis omnibus. Adverbia in δὸν fere similitudinem signare, dicit, neque tamen id semper fieri. *Ibid.* ad *Sect. II* ἀκριβῶς & ἅμα addit ἄλλως

λως τε καὶ, vel ἄλλως τε, quam particulam per *præsertim* explicandam putat. Sed, si quis dicat, eam valere *cum ob alias causas, tum etiam*, nos non magnopere refragantes haberet. Interdum corrigit *Hoogeveenius* corrupta *Vigeri*, v. g. in loco *Platonis Phædr. pag. 249 fin.* Qua de re vide *pag. 311* editionis *Hoogeveen. Pag. 313* monet *Hoogeveenius*, καλῶς cum genitivo jungi. Sed hæc observatio pertinebat ad loci & temporis adverbia, quibus talis constructio vulgo propria esse dicitur. Prolatanda igitur vulgaris regula est, & ceteris adverbiis etiam vindicanda; nisi malis hæc talia per ellipsin explicare. *Capiti* de conjunctione etiam præmittit generaliores admonitiones Cl. Editor, v. g. conjunctiones etiam dissimilia conjungere. Particulæ γε, præter significationes *Vigerii*, tribuere *Hoogeveenius* conatur novam *siquidem*. Sed eadem ipsa loca, quæ ad probandum affert, ad *Vigerianam saltem* referri commode possunt. Similiter, præpositiones a casibus suis divelli, monet, in scriptis Ionum & Poetarum. Sed distractiones hujusmodi etiam Atticis usitatæ sunt. Præpositioni ὑπὲρ adscribi potuerat, quod *Eustathius* ad *Dionysium Periegetam* sæpissime monet, eam australibus etiam locis signandis inservire. Sed hæc talia infinita sunt, nec possunt moneri omnia uno libello.

## CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI *Dissertationum Sylloge.*

## *Tomi I Pars II.*

Gottingæ, apud J. G. Schmid, 1744, 8.

Plag. 16.

*Prima* hujus Voluminis Disputatio, *de Superstitione veræ fidei innocue admixta*, *pag. 255-284*, opposita est Pontificiis, suum sacrarum reliquiarum cultum e *Matth. IX, 21*, & *Act V, 15*, & *XIX, 12*, defendentibus, ubi, qui vel vestis Christi fimbriam contrectarunt, vel umbram *Petri* subierunt, vel *Pauli* sudario fuerunt obtecti, sanitatem recuperasse leguntur. Respondet Noster, non hæc narrari in historia sacra tanquam recte facta, nec factum esse tale quid jussu Christi, vel Apostoli alicujus, imo, eos id non approbasse, manifestis constare indiciis. Fuisse igitur hunc errorem illorum hominum superstitiosum, a Christo pro paterna sua indulgentia toleratum ob ad-

junctam veram firmamque in se fidem. *Secunda* est philosophica Disputatio *de Paupertate*. Distincte pertractatur hoc argumentum, præmissa primaria divisione paupertatis in vulgarem & philosophicam. Vulgaris genera satis diu persecutus Cel. Autor, tandem concludit, illam paupertatem, qua quis, non abundans opibus, tamen habet satis, non esse inter mala referendam. Imo, quantum boni ei insit, demonstrat ejus fructibus, quos diligenter recenset. *Philosophicam* appellat *paupertatem* absentiam bonorum mentis, quibus constat vera hominis felicitas. *Cræso* igitur *Crasso*que ditiores pronuntiat eos, qui instructi sunt vera sapientia, verisque virtutibus, itemque eos, qui multos possident sapientiæ plenos libros, iisque utuntur tum ad hujus vitæ tranquillitatem animi, tum ad æternam illam beatitudinem comparandam. In *tertia*, *Virgilium* in *Ecloga quarta* non exhibere vaticinium de filii Dei adventu in orbem, clarius, quam antea a quoquam factum, demonstratur; simulque, quam vetus sit hic error, docetur, quodque inde a quarto Seculo in orbe Christiano regnarit, ne *Mornao* quidem & *Grotio* in suis *de Veritate religionis Christianæ* libris eum agnoscentibus. *Quarta* exhibet philosophema *de Felicitate regia*. Dividitur hic felicitas Principum in domesticam & publicam; ac utriusque partes ita enumerantur, nulla ut videatur omissa esse. *Quinta* est interpretatio verborum *Lucæ Act. XIII, 48*; ad quem locum mire ingenia sua exercuisse & Reformatos & nostros Theologos, satis constat. Noster ita censet, *Lucam*, cum antea præjudicio Judaico statuisset, solos Judæos salvari, nunc aperire meliorem suam sententiam, quod scilicet Deus ad salutem æternam elegerit non solos *Abrahami* posteros, sed ex universo humano genere eos, qui & pie in Christum credant, & præceptis ejus convenienter vivant. *Sexta pag. 352-414* est *de Origine vera traditionis falsæ de Joanna Papissa*. Argumentum initio profert Noster, quo traditionis hujus falsitatem fieri censet manifestissimam. *Ea narratio*, inquit *pag. 360*, *quæ nullum ejus, quo gesta esse dicitur, seculi, ac ne subsequentis quidem, habet testem, cum tamen gesta esse dicatur & loco & a persona maxime illustri, ut necesse sit, eam in omnium notitiam pervenisse, suaque fœditate inimicis materiam dicacitatis præbuisse; cui præterea repugnat certissimorum*

*tissimorum ejusdem ævi testium narratio, ita instituta, ut manifestissimum sit, id, quod posteriori tempore narrari cœpit, gestum esse non potuisse; ea, inquam, narratio est certo falsa, & ex historiæ monumentis expungenda; eoque magis, si res narrata per se tam abhorreat a vero, ut credi non debeat, nisi testes procedant in medium certissimæ fidei, & quavis exceptione superiores.* Deinde maximos Protestantium ecclesiarum viros producit, qui, adhibita meditatione acri, agnoverunt, hanc meram esse fabellam. Tum, Seculo demum *decimo tertio* literis mandatam fuisse hanc fabulam, docet. Postremo, confutatis aliorum de fabellæ hujus origine opinionibus, contendit, inde ortam hanc esse fabulam, quod Seculum decimum plures Papas, nomine *Joannes*, habuerit tam flagitiose addictos mulierculis, ut ecclesiasticum etiam ipsis permitterent imperium. Natas hinc esse picturas satyricas, ejusmodi mulierem pro Papa *Joanne* regnantem sub *Joannæ* nomine repræsentantes, eodem modo, quo in Papæ *Innocentii X* vicariam, *Olympiam*, nummus est editus, eam exhibens Papali coronarum triade exornatam, circumscriptis his verbis: *Olympia Papissa*. *Septima* Dissertatio est *de Prudentia petendi honores Academicos salva humilitate Christiana*. Quæ Philosophiæ moralis pars omnino necessaria est Academicis; cum alii petitione talium honorum vanæ litent superbiæ, alii inconsulte omnem eorum petitionem Christiano homine indignam judicent. In *octava* illustratur vaticinium *Ezechielis XVII, 22, 23, 24*, de Christi humilitate, eamque secuto regno ejus amplissimo. Hic *Grotii* sententia, excludentis hoc loco Messiam, accurate refellitur, observato simul errore quodam *Calovii*, quem in refutatione *Grotii* admiserat. *Nona* est Dissertatio theologica moralis *de Votis*. Præmissa & definitione & homonymia *voti*, omne votum proprie dictum Noster docet esse ἐθελοθρησκείαν, atque opus supererogationis. Hinc votorum originem refert ad ethnicos, ostendens, ante Hebræorum ex Ægypto emigrationem nihil voti occurrere in sacro Codice; ex quo sequi putat, Hebræum populum, cum in Ægypto degeret, ab ethnicis didicisse hoc pietatis genus, ita tamen, ut, cum vota falsis Diis facerent Ægyptii, ipsi non nisi vero Deo voverent. Addit, pro paterna sua indulgentia Deum in Vet. Test. tolerasse electitiam hanc pietatem;

 at in

et in Nov. Test. neque Christum, neque Apostolos, quidquam de votis præscripsisse, adeoque hoc suo silentio vota abrogasse. Notantur proinde Patres ecclesiæ, superstitionem hanc sua autoritate corroborantes, & locum facientes votis monasticis, præcipuis illis Papatus fulcris, a Protestantium ecclesia merito abrogatis. *Decima* est *de Pilatismo literario* Disputatio logica. *Pilati* scilicet illud: *Quod scripsi, scripsi*, cum docti viri multi imitentur, suosque errores pervicaciter propugnent, huic vitio nomen *Pilatismi* Noster indidit. Diversis hujus vitii generibus pertractatis, remedia quoque *Pilatismi* profert, adducens simul insignia exempla eruditorum hominum, se errasse, professorum ingenue, eaque re laudem posteritatis consecutorum. *Undecimo* loco prodeunt *Emendationes Livii*. Laudatur hic insignis diligentia novissimi editoris *Livii*, Cl. *Drakenborchii*. Nec vero dubitat Noster, quin relictum sit Criticis spicilegium. Quare *Libri primi* triginta duas profert correctiones, *secundi* duas; quas credit ita esse liquidas & lucidas, ut non sit, cur metuant oculos veri nominis Criticorum. Nobis quidem unicam ex his producere libet pro specimine. Ita scilicet *Lib. I Cap. 56* scriptum legimus de clarissimo illo stultitiæ simulatore, *Junio Bruto*: *Is cum primores civitatis, in quibus fratrem suum, ab avunculo interfectum audisset, neque in animo suo quidquam regi timendum, neque in fortuna concupiscendum, relinquere statuit: contemtu tutus esse, ubi in jure parum præsidii esset.* Hæc verba hunc in modum refingit Noster: *Is cum primores civitatis, inque iis fratrem suum, ab avunculo interfectos vidisset, ne in animo suo quidquam regi timendum, neque in fortuna concupiscendum, relinqueret, statuit, contemtu tutus esse, ubi in jure parum præsidii esset.* Postremum hujus Voluminis locum occupat fictitia Epistola ad Papam *Benedictum XIII*, A. 1726 scripta. Narrabatur videlicet eo tempore a *Novellarum* scriptoribus, Papam multa Romæ edere miracula Apostolica; idque diu multumque narrabatur. Docebatur igitur tum in hac Epistola, deesse huic famæ justum veritatis criterium.

*MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum Scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.*

*Volu-*

## *Voluminis II Pars II.*

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium, 1744, 8.
Plag. 12.

Procedit opus, felicibus auspiciis, bonoque cum Deo, inchoatum. Scenam hujus *Partis* aperit *Petri Zornii Dissertatio de* חבלי משיח, *sive doloribus Messiæ, ex antiquorum & recentiorum Judæorum judicio.* Scriptoribus sacris admodum solenne est & familiare, motus mundi, quibus gentes ad regnum Christi adducendæ erant, partum, partusque dolores, vocare. Ansam dictioni videtur suppeditasse locus *Jesaiæ LXVI, 7, 9.* Norunt Judæi, gravissimas tempore Messiæ in orbe terrarum futuras esse calamitates. Malunt itaque ipsum ipsi haud videre, quam dolores illos simul perferre. Hinc dixere in *Gem. Sanhedrin Cap. 11 §. 35: Veniat Messias, at non videbo eum*, & in *Schabb. f. 118: Qui ter convivatur in Sabbato, a tribus malis conservabitur, a doloribus Messiæ, a cruciatu inferni, & a bello Gog ac Magog.* Christus memorat *Matth. XXIV, 8, 9,* & *Marc. XIII, 8,* ἀρχὴν ὠδίνων, initia dolorum partus, eaque eximia. ראש *excellentia* est *Cant. IV, 14, Ezech. XXVII, 22, Exod. XXX, 23, Ps. CXLI, 5.* In postremo loco legitur ראשית, nec non *Amos. VI, 6.* Calamitatum, ad adventum Messiæ exspectandarum, causa erat multitudo criminum, quibus seculum illud erat prorsus immersum. *Jalkut* ad *Amos. IX, 11,* de hisce criminibus affert luculenta Judæorum testimonia. Legitur ibi inter alia: *Tradunt Rabbini: septem anni, seu periodi, præcedent Messiam,* nempe ante collapsionem Judaici tabernaculi, quod *Davidicum* vocatur. Addere liceat, hasce septem periodos *Joanni* in *Apocalypsi* ob oculos versatas esse, desumtas vero ex septem periodis collapsuræ olim Hierichuntis. Addidit Autor, Messiam venisse eo tempore, in quod notæ, a Judæis priscis de illo adventu suppeditatæ, congruant; venisse ipsum, testantibus ipsis Judæis, sed adhuc latitare; nullum vero de illa latitandi mora exstare in Vet. Test. vaticinium. Memoratu dignum est, quod Judæi veteres in celebratione convivii paschalis semper ante oculos habuerunt dolores Messiæ. Ad horum dolorum memoriam videtur *Paulus* respexisse *1 Cor. V, 9,* in verbis: *Etenim pascha*

Pag. 181. 184. 187. 189. 190. 196.

Pag. 199. *nostrum Christus pro nobis immolatus est.* Locum *Jesaiæ LIII, 4*, Judæi prisci de Jesu, patiente pro hominibus, exposuerunt. Hæc & reliqua permulta, frugis optimæ plena, in hac Diatriba
205. continentur. Provocat nos jam specimen aliud, scilicet *Catechesis Racoviensis, Latine a Moscorovio translata, eademque A. 1609 Racoviæ edita, cum Polonica editione, ad cujus exemplum illa conversa est, collata a* Jo. Daniele Hoffmanno, *Lycei Thoruniensis Professore.* Implevit Vir Cl. vota nostra, quæ conceperamus in hisce *Actis A. 1740 Mens. April. pag. 229*, optantes, ut esset, qui Polonicam Socinianorum Catechesin cum Latina *Moscorovii* translatione conferret, differentiasque publice enarraret. Contulit enim hanc cum illa Cl. Vir, cum illa Polonica, quæ A. 1609, 8, Racoviæ formis publicis prodiit descripta, & ad exemplar Polonicum, A. 1605 Racoviæ editum, ceu Præfatio docet, fuit expressa. Mutatio, quæ in Latina metaphrasi evenit, sic est comparata. *Multa* (verbis utimur Cl. *Hoffmanni*,) *ab interprete Latino sunt omissa, multa adjecta, quædam paulo uberius dilucidiusve explanata, nonnulla paucis verbis arctius comprehensa, pauca transposita, immo aliqua mutata, quæ diversi sunt generis.*
228. Quorum hæc nosse refert, eorum est, ad diligentissimam & affabrefactam Autoris Commentationem propius salutandam accedere. Tertio loco comparet I. G. *de Henrici Aucupis expeditione Danica Diss. ad Fridericum Ottonem Menckenium*, qui Præfationem, observantiæ erga Autorem plenam, huic Commentationi præmisit. Autor est illustre illud Daniæ sidus, *Joannes Grammius*, literis optimis ornandis, patriæque suæ concelebrandæ & illuminandæ, aptus natus, quem alibi justissimis laudibus ef-
232. ferre nos in his *Actis* meminimus. Ex cœna ejus dubia apponemus nonnihil dapatile. A. 1743 Vir Cel. doctissimo *Lamio*, qui Florentiæ curam editionis *Meursianorum* Operum gerit, suppeditavit Epistolas, ad *Meursium* datas, additasque a sese ad *Meursianam* rerum Danicarum historiam annotationes, opera & Minerva sua elaboratas. An fascis ille Florentiam fuerit recte perlatus, ipse ignorat. Dixerat in illis annotationibus de eodem, quod hic expositum est, argumento, at parcius strictiusque. *Henricum Aucupem* vocat *Regem Romanorum*, ac de ejus celebri cum Danis bello, nec non de Marchionatu, quem *Henricus* vulgo
234. fertur in finibus Danorum erexisse, disserit copiose. Prævit Autoris

Autoris jam laborem, inventique laudem sibi vindicavit, *Thomas Bartholinus* in Dissertatione, quam *de Danici regni nomine* olim conscripsit, publicæque subjecit disquisitioni. Addit Noster: *Atque hoc nobilissimum est fragmentum, a quo omnis illa mihi lux exorta, cujus ope in spissam fabularum nubem, quæ tot Seculis expeditionem Danicam Henrici Aucupis, haud tantum in Germanorum, verum etiam Danorum, pluriumque septentrionalium, obsedit scriptis, inquisivi, animumque deinde ac spem concepi, totam dispellendi, atque ex sedibus, quas huc usque non solum in historicis, sed & in Juris publici, Commentariis occupavit, quantum in me fuerit, profligandi.* Quæritur itaque: 1) an *Henricus* in Jutiam adjectasve insulas bellicam fecerit expeditionem, & 2) an ipse Marchionatum Slesvicensem fundarit. Concedit Vir Cel. *Henricum* Danos, oris Frisiæ incubantes, eorumque regulos, vicisse, ac adversus eos Marchionatum Antwerpiensem condidisse. Reliquam famam, recentiorem quippe, fictionibus accenset. Primum fabulæ, quam sumsit impugnandam, ni autorem, certe propugnatorem, fuisse *Adamum* Bremensem, idoneis conficit argumentis. Præmittit testimonia *Witichindi Corbejensis*, *Liutprandi*, & *Ditmari Mersburgensis*. Addit ea, quæ leguntur in Autore *Vitæ Brunonis* æque, ac in Autore *Vitæ Mathildis*. Nullus vero horum contendit, ab *Henrico* victos fuisse Danos, in Dania sub *Gormonis* imperio viventes. De iis ipsi locuti sunt, qui, majorum suorum exempla, jam tum longissimo tempore & Galliæ oris & vicinis regionibus formidabilia & funesta, imitati, alienis incubuerunt regnis, atque hinc, associatis sibi Sclavis, *Saxoniam vastarunt*, illinc *navali latrocinio incursarunt Frisiam*. In quibus excursionibus uti haud ullæ fuere partes *Gormonis*, quantum ex Autoribus laudatis ceterisque, si ab *Adamo* ejusque exscriptoribus recedas, constat, ita ad *Gormonem* victoriam *Henrici* pertigisse, iidem coævi scriptores haud tradunt. Sic rationes ducit Noster. *Cnub*, vel *Chnub*, (quæ vox in lingua Danica *truncum ligni duriorem* denotat,) vocatur regulus ille, quem *Henricus* devicit. Solebant enim Dani præfectis rei piraticæ nomen Regum imponere. Ex Dania proprie sic dicta ad Regem Germaniæ ullum aliquid tributi allatum fuisse, Noster negat. *Gundlingium* & *Torfæum* refellit. Operæ omnino is pretium fecit, estque

Pag. 240.

242.

Pag. 304. estque ejus Commentatio, quæ legatur, dignissima. Succedunt huic *Emendationes aliquot criticæ, in Julii Cæsaris Libris de bello Gallico tentatæ, Autore* I. C. H. Indicantur lacunæ, glossemata, & permutationes vocum aliquot, quæ medicam manum in *Libris* duobus prioribus poscunt; adduntur que rationes, cur ea hoc potissimum sit pacto utendum. Sequentur eas sicilimen-
317. ta nonnulla. Tum vero exhibetur I. C. S. *Explanatio Inscriptionis cujusdam veteris*, quam vulgo vocant Bononiensem, & cujus est initium: *Ælia Lælia Crispis.* Per hanc Æliam Cel. Autor designari, multa cum verisimilitudine existimavit, ecclesiam Christi, qualis fere his in terris esse solet. Tandem subjicitur continuatio *Vocum aliquot Latinarum, quæ in Lexicis vul-*
323. *garibus frustra quæruntur*, ex priscis Autoribus collectarum a *Friderico Ottone Menckenio.* Habes hic partem laboris secundam, eamque aliquot porro aliæ sequentur. Nonnihil harum vocum ad *Cassiodorum* est referendum. Nominatim *Menckenius* hic illustravit voces *accedenter, actum,* Substantivum,
329. *adacquisitivus, adminatio, advocata,* Substant. *alarius,* Substant. *aliusvis,* quam *Cicero* habet *Lib. VIII ad Attic. Ep. 4, ambiguosus,* vocem *Cassiodori, amicabiliter,* ejusdem Autoris vocem, *anapæstus,* adjectivum, *ancillatus,* Substant. *andronius* & *andronicus,*
337. adjectiva, *animans,* adjectivum, apud ipsum *Ciceronem* obvium, *annivagus, antefixum,* Substantivum, quo notatur ornamentum
341. ædium fictile, quod sub stillicidiis collocabatur. Subjiciuntur *antidotus* & *antidotum,* Substantiva, nec non vox adjectiva *appetitivus.* Adde *arundinarium,* id est, eum, qui arundines scit parare, *ascitas,* piratarum speciem, *athenippum,* collyrii genus, *avellanus* & *azymus,* adjectivas voces, *barbaram,* Substant. *catapotium,* medicamentum, quod non diluitur, sed ita, ut est, devo-
353. ratur ad sistendam tussim. Sequuntur voces *cedrius,* adject. *chylisma,* Substant. quo succus expressus indicatur, *cinereum,* ex cinere collyrium, *circuminiicio, circumstupeo, columilio, coinfirmo, colophonia,* alias resina colophonia, *commensurabilis, com-*
359. *positum,* Substant. *compugno* pro simplici *pugno, condescendo, confusibilis, conglorior, conscia,* Substant. *conscius,* Substant. *conservus,* adj. *convincio,* & *Cumamum.* Reliquas voces suppeditabit sylloge nostra suo loco.

✲ ✲ ✲

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Septembris Anno MDCCXLIV.*

*Pars I.*

---

## LATINA ET ITALICA D. MARCI BIbliotheca Codicum manu scriptorum, per titulos digesta, præside & moderatore LAURENTIO THEUPOLO, Equite, ac D. Marci Procuratore, jussu Senatus.

Venetiis, apud Simonem Occhi, 1741, fol.
Alph. 2 plag. 21.

Desiderio eruditorum fecerunt satis illustres Reipublicæ Venetæ Patres, quod, paulo ante præmissa Græcorum Codicum editione, ne quid ad integram manuscriptorum Marciæ splendidissimæ seriem deesse videretur, Latinam hanc & Italicam Bibliothecam in publicam exire utilitatem voluerunt. Itaque, cujus studiis Bibliothecæ Græcæ emittendæ curam demandaverant, illius & industriam secunda laudari vice ex merito suo, existimarunt, doctissimi & Clarissimi Viri, *Antonii M. Zanetti*, Bibliothecæ custodis. Scilicet hæc Latina & Italica Bibliotheca eodem modo, quo Græca illa superior, præclarum munus est partim *Bessarionis*, Cardinalis, cujus quamplurimi Codices sunt, quos dono dedit, partim etiam *Jacobi Contareni*, & *Jo. Baptistæ Recanati*; numerusque illorum Codicum, & Latinorum quidem, ad 550, Italicorum autem ad 86, se extendit. Hos omnes ad Bibliothecæ Græcæ exemplar, de qua alio tempore in his *Actis* est expositum, Cl. Editor in

Ppp suas

suas classes descripsit, atque cujusque Codicis materiem, magnitudinem, foliorum numerum, ornamenta etiam subinde, notavit, & animadversiones interdum, in quibus nonnulla, cum ad Autorum historiam, tum ad illorum Operum judicium, spectantia, occurrunt, ad majus Codicum lumen exhibuit. Quæ quidem re contra malum illorum animum, qui hujus generis industriam, meris librorum titulis indicibusque terminatam, ferre nequeunt, satis, ut arbitramur, se munivit; cum benevolentiam potius multorum sibi conciliasse vel eo existimandus sit, quod sæpe Epistolas, Codicibus adscriptas, inprimis autem integrum *Bessarionis*, Bibliothecæ olim domini, opusculum, *de errore Paschatos*, ut infra videbimus, nunquam ante editum, protraxit in lucem primus, & publicavit. Neque nullam omnino gratiam ab harum literarum studiosis Vir doctissimus iniit, quod, sicuti in Græca Bibliotheca fecerat, Latinos jam nunc quorundam Codicum characteres æri incisos exhibuit, & Indicem denique Autorum generalem, quo suo quisque loco evolvi possit, ad finem Operis adjecit. Age igitur, jam Codices quosdam rariores & antiquiores, cum fieri in recensione librorum ejusmodi non aliter possit, adducamus. Igitur Codex I, in folio maximo, membranaceus, foliorum 400, elegantissime scriptus, nullam temporis notam præfert. Cujus vero si characteres, qui sunt æri in fronte descriptionis incisi, cum specimine, quod *Mabillonius in re diplomat. pag. 369 n. 2* dedit, conferantur, Cl. *Zanetti*, Seculo XI exaratum eum esse, erudite admodum de eo judicat. *Biblia Sacra, duobus Voluminibus comprehensa*, hic septingentorum annorum Codex sistit. Hujus Codicis omnibus fermè libris præfixa contenta sunt & summaria, quæ in usu usque ad Seculum XI fuisse, *Dupinius* monet *Dissertat. sur la Bible Tom. I pag. 288.* Retinent autem per totum opus nomen *Capitulorum*, cum alioquin manuscripti Codices inconstanter modo *Capitula*, modo *Breves*, modo *Titulos*, Breviaria hæc nominent, sicuti Editores *Operum S. Hieronymi*, Parisiis A. 1693 publicatorum, in Prolegomeno *IV num. 2* demonstrarunt. Plerisque libris *D. Hieronymi Epistola* & *Prologi* præmissi sunt. Prophetiam

S. *Jere-*

*S. Jeremiæ* excipit statim *Baruch*, vates, quem *Jeremiæ Threni* mox sequuntur. Post demum *Ezechiel* apparet, & sic ordine rursus suo procedunt. *Daniel* ad *Septuaginta* interpretationem conversus est, sicuti adscriptum quoque legitur. Ad *Jonam* argumentum præfixum hoc est: *Jonas interpretatur columba, naufragio suo mortem domini præfigurans.* Vaticinium *Habacuci* hunc titulum refert: *Habacuc amplexatus, sive luctator. Sophoniæ* prædictiones habent: *Sophonias speculator. Haggæi* vero: *Aggæus festivus.* Librum *Psalmorum* sequuntur *Cantica* Veteris & Novi Testamenti; quibus intermiscentur Oratio Dominica, Symbolum Apostolorum, S. *Ambrosii* hymnus, & alia plurima. Sacrum *Salomonis* Canticum nomina eorum, qui loquentes inducuntur, & contenta, nonnullis commatibus adscripta habet, ut sunt, *vox sponsæ ad adolescentulas*, & iterum, *Ecclesia de suis pressuris*, & ita porro. Ordo librorum Novi Testamenti a jam recepto ferme immutatus hic sistitur: *Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Actus Apostolorum, Jacobus, Petri Epistolæ binæ, Joannis Epistolæ tres, Judas, Apocalypsis.* Succedunt *literæ D. Pauli*, inter quas, quæ ad Ebræos scriptæ sunt, colophonem ducunt. *Versus 7 & 8 Capitis V Epistolæ Joannis prioris sic legit: Quia tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & tres unum sunt.* Sed sufficiant hæc de primo Codice. Alios quosdam, quamvis paucis, proferamus. Sic inter Scriptores Ecclesiasticos Codex habetur *num. LXXXIII* in quarto minore, membranaceus, foliorum 30, Seculi circiter XV, S. *Joannis Damasceni Orthodoxa Fidei Expositio*, a *Burgundione*, Judice & cive Pisano, Latine reddita. Quam versionem B. *Fabricius, Bibl. Gr. Tom. VIII pag. 780* dum scriberet, adhuc ineditam exstare, olim notavit. Ipsius *Bessarionis* Opera habentur Codice CXXXIII, in quarto minore, membranaceo, foliorum 241. Quorum opusculorum procemium, ad *Paulum II* Pontificem Max. scriptum, *de processione Spiritus S.* exponit, eorumque inde opinionem refutat, qui, a *Bessarione* peculiare de eadem materia opusculum elaboratum esse,

 & in

& in Bibliotheca Venetorum aſſervari, exiſtimant. Horum ut errorem Cl. Editor luculentius oſtenderet, Præfationem hanc, huc uſque ineditam, in qua non ſpernenda occurrunt, ad Concilium Florentinum ſpectantia, *pag.* 76 publicavit, cum reliqua *Beſſarionis* ſcripta theologica & in Editione *Conciliorum Labbei* Veneta, & in *Opuſculis Arcudii*, & in *Bibliotheca Patrum Lugdunenſi*, maximam partem edita conſpiciantur. Sed Philoſophum quoque egit Cardinalis. Exſtat enim, ipſo Autore, Codex, & is manu quidem propria exaratus, *num.* CCXXVI, chartaceus, foliorum 149, contra *Georgium Trapezuntium*, *Platonis* calumniatorem, ſcriptus, quo *Platonem* ab erroribus, qui erant ipſi ab hoc *Georgio* imputati, maſcule ſtrenueque defendit. In Philoſophorum claſſe comparent inter alia *num.* CCLXXVIII *Strodi*, ſive *Strodæ*, *Conſequentiæ*, & *Pauli Pergulenſis*, in Veneto Athenæo quondam Philoſ. & Theol. Profeſſoris, *Tractatus, in quo de ſolvendis ſophiſmatibus agitur.* Celeberrimus *Montfauconius* in Bibl. *Bibliothecar. MSt. pag.* 37 horum *Pauli Pergulenſis* dubiorum ex Vaticana meminit, quæ contrariam *Strodæ* nimiam brevitatem declararent. Digna autem inprimis ſunt elogia, quibus homines ætate noſtra obſcuriſſimi inſigniuntur. *Pergulenſis* in fine libri *fulgoſus Artium doctor* prædicatur, et *Strodus orthodoxus Magiſter*, ac *Monarcha Philoſophorum*, celebratur. Hiſtoriæ philoſophicæ illuſtrandæ cauſa huc facit Codex CCCXII, membranaceus, Seculo XV exaratus, qui vitas & mores veterum Philoſophorum ex priſcis Autoribus collectos ſiſtit. Scriptus eſt Vincentiæ A. 1467, autore *Joanne Chriſtophoro*, filio *Uguzionis de Arzignario*, civis Vicentini, atque multa Philoſophorum *notabilia* (id eſt, placita,) *&* *elegantia* habet, *quæ ad legentium conſolationem & morum informationem conferre valebunt.* Videtur hic liber ex *Diogene Laertio* eſſe utplurimum compoſitus, ſiquidem prima ſtatim linea hæc eſt: *Tales, Philoſophus Aſianus, ut ait Laertius in libro de Vita Philoſophorum, patre Examio*, &c. & forte primum eſt ex recentioribus Hiſtoriæ philoſophicæ compendium. Inter Mathematicos merentur *Euclidis*, familiæ hujus Principis, Elementa eo magis

adduci,

adduci, quod illius libros omnes quindecim *Bessarion* ipse, Bibliothecæ dominus, sua manu descripsit. Codex est *num. CCCXXIX* in folio minore, chartaceus, foliorum 340, & veluti cimelium pretiosum asservatus. Sed longe pulcherrimus Codex est *Euclidis* membranaceus, foliorum 297, Seculi XIII, qui Libros XV *Euclidis* cum interpretationibus *Boethii*, *Adelardi*, & *Alfredi*, refert. Habetur in Bibliotheca *num. CCCXXXII.* De *Adelardo*, Monacho Britanno, qui *Euclidem* ex Arabico transtulit, videndus est *Gerard. Jo. Vossius de Mathes. nat. pag. 62*, & *Fabricius Bibl. Græc. Tom. II pag. 375*. *Alfredum* autem inter *Euclidis* interpretes nusquam reperiri, Cl. Editor observat, cum *Alfredum* quidem aliquem, Anglicum, sed in *Aristotelem*, commemoret *Montfauconius* in *Bibl. Bibliothecar. MSt. pag. 1292*. Commendat etiam doctissimus *Zanetti* quosdam *Livii* Codices, inter quos Codex CCCLXII, membranaceus, in folio, Seculo XV conscriptus, auro picturis & characteribus elegantissimus dicitur. Et alius, membranaceus itidem, A. 1389 exaratus, qui Libros *Livii* a XX ad XXXI sistit, bonæ admodum notæ esse videtur. Codex CCCCXII, ex Seculo XV membranaceus, foliorum 412, *Ciceronis Academicarum Disputationum* libros servat, ubi ille liber, qui in editis inscribitur *Lucullus*, in Codice hoc *Hortensius* appellatur. Codex CCCCXXV Seculi XV meminit *Fabii Marii Victorini Expositionum in Rhetorica Ciceronis*. Inter Orationes *Ciceronis*, quæ Codice CCCCXXVII continentur, in Catilinam Oratio quædam sic incipit: *Si quid precibus apud Deos immortales* . . . . quæ in editis nunquam conspicitur. Spuriam autem eam esse, ipse *Bessarion* agnovit, qui initio hujus Codicis hæc verba adscripsit: *Declamatoris est hæc nescio cujus in Catilinam Oratio*. Codex CCCLXXXIII in quarto, membranaceus, foliorum 149, Seculi XV, hunc titulum præ se fert: *Nonii Marcelli, Peripatetici Tiburicensis, compendiosa doctina per literas ad filium, de proprietate sermonum*. Ad *Aristotelis* Oeconomica, quæ Codice CCCCXCI habentur, præmittitur *Bessarionis* Epistola ad *Paulum II*, Pontificem Maximum *de errore Pascbatis*, quam a Doctiss. *Zanetti* primum esse editam, supra diximus.

mus. Vide eam a *pag. 196* ad *198*. Nimirum, ex duabus causis illum oriri errorem, Cardinalis enuntiat, partim ex Lunationibus, partim ex Æquinoctio. Sententia ejus eo potissimum redit, nihil omnino quidquam esse in ea re immutandum, modo, quæ a S. Patribus præscripta essent, accurate hæc quatuor serventur; nimirum ut Paschi celebretur, primo, post Æquinoctium veris; secundo, post quartum decimum diem primæ Lunæ post Æquinoctium vernale; tertio, non cum Judæis; quarto, die Dominico post Judæorum Pascha. Cavendum autem inprimis esse hoc, ne cum Judæis celebretur. Atque hæc Epistolæ integræ contenta sunt. Ad finem Bibliothecæ Latinæ Appendix Codicum nonnullorum, sed haud infimæ itidem notæ, qui non longe ante in parte superiori Ducalis Ecclesiæ inventi sunt, adjectus est; ex quibus jam aliquot *Tomasinus* descripsit in *Biblioth. Venet. MSt. pag. 56*, eosque etiam Editor asterisco signavit. Satis autem hæc pro instituti nostri ratione de *Bibliotheca Latina* dicta sunto. Transeundum enim est etiam ad *Italicam*, rarissimosque & illic, quamvis, si cum Latinis comparaveris, pauciores, Codices inveniri, fatendum. Sic *num. XXXIII* a *Recanato* donatus Codex chartaceus, qui *Giovani Villani Chronicon*, Seculo XIV scriptum, continet, adducit meretur; cujus & pretium, & summam raritatem, agnovit ipse Vir summus, *Muratorius*, in Præfatione, cum eum librum *Tomo XIII Thesauri Scriptorum Italic.* insereret. Codex LX, foliorum 249, elegantissimus & ipse est. Is quippe volumen Carminum, Poetarum Italicorum Seculi XVI, maximam partem ineditorum, complectitur, utpote *Jacobi Sannazarii*, *Antonii Tebaldei*, *Jacobi Corsi*, *Titi Vespasiani Strozzi*, *Pamphili Sassi*, *Feliciani*, *Nursii*, & aliorum; atque Eclogis, Satiris, & aliis boni saporis poematibus vernaculis finitur; dignum opus, quod publicam aliquando lucem, siquidem magnum nomen quidam ex his viris in Poetica nacti sunt, adspiceret. Inprimis vero excellentissimus servatur, hoc ipso, quo nos vivimus, seculo scriptus, Codex chartaceus, foliorum 778, in folio, quem *num. XLIV* videmus, atque cujus titulum Cl. Editor hunc adduxit: *Memorie istoriche dell' Imperio de' Mogoli di Niccolo*

*Niccolò Manuzzi, Veneziano, divise in quattro Libri; scritte parte in idioma Italiano, parte in Porthugese, e parte in Francese. Dal principio del Secolo XV incirca fino al XVIII.* Hunc Codicem ipse *Manuzzius* Illustrissimo *Theupolo*, cum esset Venetorum Legatus Parisiis, dono dedit; qui eundem Bibliothecæ postea publicæ inferuit. Scriptus est elegantissime, & continet figuras varias, inter quas vel in hac Descriptione *Tamurlanus*, cum sclopeto ad bestias collineans, æri sistitur; & alia quadam tabula Imperatoris Muhammedani *Orangzebi XI* solennis in urbem introitus repræsentatur. Dignum hunc Codicem Cl. Editor judicavit, de quo pluribus verbis exponeret. At reliqua illorum studiis, qui Opus nosse ipsum propius cupiunt, relinquimus. Addamus unicum, coronidis veluti loco, Codicem, cujus mentionem facere Doctiss. Editor in Præfatione voluit, quamvis eum, utpote Ebraice scriptum, neutri ex Indicibus suis potuerit inserere. Nempe *Biblia Sacra* in eo continentur, addita *Masora*, anno mundi 5058, id est, anno Christi 1298, elegantissime exarata. Dignum eum esse Codicem notatu, propterea doctissimus *Zanetti* monet, quod alius, huic pæne similis, in ipsa hac Bibliotheca Veneta olim repertus esset, quem *Henrico III*, Francorum Regi, Venetorum hospiti, dono Senatus dederat; de quo mentio sit in *Bibliothecæ MSta*, nuper editæ, *Tomo primo*. Cujus igitur in locum hicce alter munificentia Illustriss. *Theupoli*, D. *Marci* Procuratoris, suffectus est; quo Præside Venetorum Bibliotheca hodie cummaxime floret, & ad civitatis usum ac hominum famam reviviscit.

## *EPICTETI MANUALE, CEBETIS THEBANI Tabula, & PRODICI Hercules, THEOPHRASTI Characteres Ethici. Græca recognovit, versionem Latinam reformavit, Notas WOLFII, CASAUBONI, CASELII, DUPORTI, aliorumque, recensuit & castigavit, suisque observationibus auxit & illustravit, JOSEPHUS SIMPSON, A. M.*

Oxonii,

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, impensis Jacobi Fletcher, Bibliopolæ Oxon. prostant apud Rivington & Nourse, Londini, & Thurlbourn, Cantabrigiæ, 1740, 8. Alph. 1 plag. 10.

Ut gustum demus Notarum Cl. *Simpsoni* ad *Epictetum*, scire licet, Autorem repetere veteres nænias de ἐγχειριδίῳ, *gladiolo*, quasi ἐγχειρίδιος non sit adjectivum, quod, subintellecto βιβλίῳ, libellum manibus aptum signare non possit. *Cap. I* ὁρμὴν putat esse *primum animi motum sine desiderio*, quod longe secus est etiam *Cicerone* interprete *Lib. II Offic. Cap. 5*, & *Lib. I Cap. 28*. Add. *Academ. Cap. 2*. Pro δόξαι legi vult δόξα. Quasi vero nulli sint homines, qui opinionibus alienis ita moveantur, ut mori malint, quam illas iniquas & inimicas habere. Cum contra nonnulli malis etiam opinionibus delectentur, *Herostrati* exemplo. Bonæ autem & malæ opiniones hominum de nobis re vera non sunt in nostra potestate. Ad *Cap. III* ἐχθρὸν ἐχ ἕξεις annotat, *inimicum* dici, qui noceat. Ergo eum, qui alienis nos spoliet rebus, nos non lædere, nec proinde inimicum esse. Sed hac quidem annotatione supersedere potuit, cum *Epictetus* proximis verbis mentem suam ipse sic interpretetur. Carere ergo simul poterat *Casauboni* nota. Ad *Cap. IV* Editor moneri dicit virtutis studiosum, ne rebus non suis implicetur. Sed ingressus ipse *Capitis* hoc satis per se docet; jubet enim præ virtutis præstantia res ceteras vel negligere, vel differre. Ad *Cap. VII* verba: τὴν ὄρεξιν δὲ παντελῶς ἐπὶ τῦ παρόντος ἄνελε, addit Editor, moneri hic tantummodo tyrones Philosophiæ, ut pravis appetitibus statim adversarentur; ne pugna existat cum *Cap. IV*. Sed, æquilibrio rationis ne excidat etiam veteranus Philosophus, si ad prava attendat, statim ab initio ei cavendum est. Ad *Cap. VIII* Editor memorat, ea, quæ cara habeant homines, trifariam dividi, in ψυχαγωγῦντα, τὰ χρείας παρέχοντα, & τὰ στεργόμενα. Sed hujusmodi annotationibus commemorandis Lectori nostro posthac molesti non erimus. *Cap. IX* προαίρεσιν κατὰ φύσιν τηρῆσαι *tranquillum animum servare* interpretatur. *Cap. XIII* verba: μὴ ζήτει τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς θέλεις, explicat:

plicat: *quippe voluntatem tuam facilius mutabis, quam naturam rerum.* Mox verba *Epicteti*: νόσος σώματός ἐστιν ἐμπόδιον· προαιρέσεως δὲ ού, exponit de libertate Philosophi etiam in morbis salva, quippe qui scitum illud observet: *Ubi nec possis, ibi nec velis.* Melior est proxima observatio Editoris, pronomen σοῦ idem valere, quod *hominis ratione recte utentis, & hominem in una sola mente ac ratione ponentis. Cap. XXII* ad verba: μέχρι μὲν - - συνεπιστενάξαι, adscribit Editor, *Epictetum* aliquid remittere de Stoica ἀπαθείᾳ, vulgo hominum odiosa. *Cap. XXIV* ad verbum κόραξ adjicit, Stoicos divinationi omnis generis favisse. *Cap. XXX* ἔνστασις ei est *vitæ institutum* ex *Laertii VI s.* 103. Ad *Cap. XXXVII*, ὁ ἀδελφὸς ἀδικεῖ, addit *Simpsonus*: *Conveniunt hæc verba prorsus cum illis, quæ Christus ipse Matth. XVIII, 21, & aliis locis, inculcat.* Sed convenientia ex causarum diversitate in Philosopho & Christiano per se evanescit, si animum attenderis. Nam causa efficiens, finis, & forma, actionum bonarum alia est in Philosopho, alia in Christiano. Idem error inest in annotatione ad *Cap. XXXVIII*, ubi, credere Deum Christianorum, & credere Deos gentium, rem eandem esse, opinatur. Ad *Cebetis pag. 8* (nam *Capita* hic nulla sunt distincta,) verba: ἐπικίνδυνόν τι ἔχει ἡ ἐξήγησις, bene exponit de periculo hominis, enarrationem aspernati. *Pag. 9* Sphingis figuram describit. Ibidem ἀναπηδῶσιν αὐταῖς explicat per verba: *insiliunt more canum blandientium. Pag. 29*, φιλοτίμως idem esse, vult, ac *studiose, vehementer, operose*, & opinatur, hanc significationem esse insolentem. *Pag. 33*, καλλίστης νίκης pendere, dicit, ab omissa particula ἕνεκα. Ad *Prodici* vitam *Herculis pag. 11* verba: καὶ τοῦ θέρους χιόνα περιθέουσα ζητεῖς, ex *Athenæo* de potibus jam olim æstate refrigeratis accipit. In Præfatione ad *Theophrasti* libellum *de Charact. mor.* agit de vita *Theophrasti*, argumentoque & titulo libri, sed nihil hic reperias novi. Ad procemium *Theophrasti* annotat Editor, Græciæ non esse idem cœlum, nec institutionem singularum civitatum Græcarum eandem fuisse. Mox *Needhami* conjecturam de πέρα pro περὶ reprobat. *Cap. I* πλοκὰς explicat *involucra & integumenta dissimulationis, sive*

 *subdo-*

*subdolos sermones, tanquam retia.* *Cap. II*, κόλακα ex *Galeno* tribus notis cognosci, ait, allocutione, comitatu, & conviviis potentium, aut divitum. Addere potuerat Editor missionem munusculorum, ostentationem rerum absentis Regis, seu fautoris; nuntios rerum novarum, studia in minutiis etiam fautoris, admirationem præsentis, & observationem singulorum nutuum, simulationes cautionum periculi, fautori imminentis, & infinita alia. Ibidem ait, in porticibus, quæ Athenis multæ fuerint, homines consedisse, atque etiam Philosophos audivisse. *Cap. III* per *Dionysia* intelligit festa Bacchi verna, non autumnalia. *Cap. IV* ad verba: ἄνω τοῦ γόνατος, adjicit, veteres, subligaculis destitutos, indecore hoc fecisse. Mox, ζωρότερον verti posse, putat, *uberius, largius, avidius.* *Cap. V* blanditias discernit ab adulatione solo fine, quod adulatio commodum suum quærat, blanditiæ placere velint. Rectene, judicent peritiores. *Cap. VIII* περὶ τοῦδε explicat per ellipsin nominis χρόνου. *Cap. IX* δανείζεσθαι vult esse *gratuito & sine usuris mutuum accipere*, ex *Plauti Asin.*: *Nam, si mutuo non potero, certum est, sumam fænore.* *Cap. XIX*, ἐσθίων ἀπομύττεσθαι converti posse, putat, in ἐσθῆτι ἀπομύττεσθαι, ut rustici facere soleant. De reliquo scire licet, Autorem notas suas admiscuisse notis quibusdam *Politiani, Simplicii, Naogeorgi, Snecani, Felli, Salmasii, Johnsoni, Palmerii, Needhami,* quos in fronte libri non nominavit.

## INLEIDING TOT DE ALGEMEENE Geographie, &c.

hoc est,

## *INTRODUCTIO IN GEOGRAPHIAM generalem. Additæ sunt Astronomicæ & aliæ Dissertationes. Autore NICOLAO STRUYCKIO.*

Amstelodami, apud Isaacum Tirion, 1740, 4.

Alph. 3 plag. 4, cum fig. æn. 10.

Geogra-

Geographiæ generalis elementa, quæ in hoc Opere traduntur, conscripsit doctissimus Autor in civium suorum usum, quos tali libro, Belgica lingua scripto, adhuc carere intellexerat. Divisit ea in *XV Capita.* *Primum Caput* Geographiæ definitionem, divisionem, vetustatem, utilitatemque, & mensuras veterum, tradit. In *secundo* systema mundi satis copiose describitur. *Tertium* partes majores & minores, in quas telluris superficies dividi solet, enumerat. *Quartum* agit de incolis telluris, quoad diversas religionis species & linguas consideratis; *quintum* de montium situ, differentiis, altitudine, & mutationibus. In *sexto*, quales sint metallicæ sodinæ in qualibet regione, dicitur. *Septimum, octavum*, & *nonum*, de silvis & desertis, de plantis & animantibus, atque de interioribus telluris, brevissimam tractationem continent. In *decimo* de aqua, animalibus aquaticis, partitione Oceani, fluxu & refluxu maris, profunditate maris, lacubus, stagnis, & fluviis, disseritur; in *undecimo* de atmosphæra telluris, iride, & ventis; in *duodecimo* de anno, tempestatum vicissitudine, & de punctis lineisque, quas in cœli tellurisque superficie intelligimus. *Tertium decimum* diversas methodos determinandi longitudinem alicujus loci, & parandi mappas geographicas, *sequens* Caput artis nauticæ prima fundamenta, *ultimum* denique canonis sinuum & tangentium, & tabularum logarithmicarum, constructionem tradit. In singulis horum *Capitum* pertractandis, si *secundum, quartum, sextum*, & *octavum*, cum *ultimo*, excipias, Cl. *Struyckius* brevior est *Bernardo Varenio*, primo Geographiæ generalis Autore. Varia tamen habet, quæ apud hunc Autorem desiderantur; neque obstat operis brevitas, quo minus Introductionis in Geographiam generalem titulum tueri queat. Verum, quia reliqua hujus Voluminis *Pars*, quæ *prima Parte* duplo major est, plura continet omnino digna, ut ad eruditorum hominum perveniant notitiam, sufficiat nobis, illius *primæ Partis* summa capita recensuisse. Accedimus ergo ad hanc reliquam *Partem*, in qua de multis rebus, ad Astronomiam, Chronologiam, & Arithmeticam politicam, spectantibus, longæ & elucubratæ Dissertationes leguntur. Harum *prima* & *sexta* ad Hi-

ſtoriam & Theoriam Cometarum ſpectant. In *prima* Autor primo negat, ullius cometæ tempus periodicum huc uſque rite determinatum eſſe, tribus illis exceptis, qui anno ſexageſimo primo, octogeſimo, & octogeſimo ſecundo, præteriti Seculi apparuerunt, & quorum circa ſolem periodos ab Aſtronomis Anglis habemus definitas. Scilicet cometæ anni 1682 periodum *Newtonus* docuit eſſe 75 circiter annorum; & *Hallejus* cometæ anni 1661 periodum 129 annorum eſſe invenit; tertio autem, qui anno 1680 viſus eſt, 575 annorum periodum tribuunt, non quidem iisdem, geometricis puta, rationibus innisi, ſed aliis, quæ ex hujus cometæ ſingularibus apparentiis petitæ fuerunt, & quibus Autor noſter plus roboris additurus, ex antiquorum temporum hiſtoria oſtendere ſtudet, ſingulorum quingenorum ſeptuagenorum quinorum annorum, ab anno poſt Chriſtum 1680 retro uſque ad Trojæ captæ, imo Ogygis, tempora numeratorum, principium ob cometæ apparitionem memorabile fuiſſe. Similiter de reliquis duobus Cometis oſtendit, eorum in præteritorum Seculorum hiſtoria multa veſtigia adhuc ſupereſſe. Contra, aliorum cometarum periodos, quas *Jacobus Bernoullius*, *Jo. Dominicus Caſſinus*, & *Kirchius*, definire ſtuduerunt, rite ab illis determinatas fuiſſe, negat, eorumque ſententias facile refelli poſſe affirmat; ipſe tamen hic loci non niſi duo exempla affert, in quibus *Jo. Dominicum Caſſinum* lapſum eſſe oſtendit, cum videlicet hic in Commentariis Acad. Scientiarum Gallicæ ad annum 1699 cometæ, qui anno præteriti Seculi 68 Braſiliæ viſus eſt, periodum 34 annorum tribueret, &, ejusdem Seculi annis 52 & 98 unum eundemque cometam apparuiſſe, affirmaret. Illud falſum eſſe, Autor inde colligit, quod A. 1736 nullum cometam vidimus, hoc autem pariter a vero aberrare, inde, quod cometarum anni 1652 & anni 1698 alter in conſequentia ſigna, alter in antecedentia, ſecundum *Halleji* tabulam tendit. Equidem conatus eſt Cel. *Jacobus Caſſinus* in *Comment. Acad. Scient. Pariſienſis A. 1731* cometarum omnium motus ita explicare, ut nulli eorum in antecedentia ſigna motus ſit concedendus; verum Noſtro videtur celeberrimus ille Aſtronomus hac in re diligentiam

ligentiam suam aliquantum desiderari passus, vel nonnunquam ab iis Autoribus, quorum de aliquibus Cometis historias consuluit, seductus esse. Caute enim & circumspecte legendos esse Historicos, qui de cometis memoriae prodiderunt, aliquibus exemplis probat, & ipsum magnum *Hevelium* in Cometographiae suae XII Libro plus centum errores, vel fabulas, de cometis habere affirmat. Postquam sic Autor suam sententiam de quorundam Astronomorum in Cometographia conatibus libere quidem, sed modeste, dixit, suas vicissim de quorundam cometarum periodis conjecturas, quas magnam veri speciem habere confidit, Astronomorum examini, & posterorum experientiae, tradit. Cometam, qui A. 1652 apparuit, & cujus semita in Tabula *Hallejana* habetur, circa annum 1790 ad perihelium suum rediturum esse, putat. Idoneis etiam rationibus sibi persuasum esse dicit, cometam anni 1677 in annis 94½ periodum suam absolvere, cometam anni 1596 in annis 294, cometam anni 1585 tempore 321 annorum, denique illum, qui mense Aprilis anni 1665 conspectus est, annorum 149 & 3 mensium spatio. Reliquam hujus Dissertationis partem impendit tradendae methodo, qua definiri potest, utrum cometa, de cujus longitudine & latitudine una alteraque observatio datur, idem sit cum aliquo cometa, cujus semita parabolica cognita supponitur; id quod ad cometarum tempora periodica determinanda conducere, vel non monentibus nobis apparet. Transeamus ad alteram de Cometis Dissertationem, quae ab Autore inscripta est: *Omnium Cometarum ex Historiae monumentis brevis descriptio.* In principio hujus scriptionis Autor duplicem utilitatem historiae Cometarum ostendit, quae partim ad Astronomiam, partim ad Chronologiam, inde redundat. De usu historiae Cometarum in Astronomia nemo dubitabit, qui sibi persuaserit, non alia ratione perfici posse Cometarum theoriam, amplissimam & maxime sublimem Astronomiae partem, quam veram orbitae cujusque cometae speciem, ipsiusque in illa motum, determinando, hocque non posse effici, nisi cognitum sit tempus cujusque cometae periodicum, quod, nisi copiosa, &, quantum fieri potest, sincerae fidei, historia cometarum prostet,

facile & certe inveniri non poteſt. Erunt forſitan, qui, cum in Hiſtoria Academiæ Scientiarum Pariſinæ A. 1733 relatum legerint, a Cl. *Bouguero* traditam fuiſſe longe faciliorem & expeditiorem Cometarum theoriam, & methodum, ex tribus tantum obſervationibus cometæ ſpeciem orbitæ & periodicum tempus definiendi, putabunt, hanc methodum, quæ tanti monumentorum hiſtoricorum apparatus ad reditum cometæ prædicendum neceſſitatem tollat, Cl. *Struyckio* ignotam fuiſſe. Sed hos certiores reddere poſſumus, eam methodum bene quidem notam ipſi fuiſſe, ſed tanti non viſam, ut ipſum a ſententia ſua dimoveret. Etenim, etſi hic ejus methodi nulla mentio facta eſt, videmus tamen, eandem in alio hujus Voluminis loco (*pag. 299*) Autorem adduxiſſe, & ibidem rationes aliquas indicaſſe, ex quibus intelligatur, tantum abeſſe, ut Cl. *Bougueri* theoria Cometarum ea, quam *Newtonus* docuit, ſit perfectior, ut potius infirmis & lubricis fundamentis ſit ſuperſtructa. De uſu autem hiſtoriæ Cometarum in Chronologia hæc habet Autor: „Memini, inquit, me ſæpe apud antiquos ſcriptores rerum in Europa & finitimis regionibus geſtarum aliquid memoriæ proditum legere, quod quo tempore factum ſit, ex ipſorum narratione colligi non poteſt, cum neque anni alicujus æræ, neque alius characteris chronologici, mentionem faciant; hoc ſolum habent, eodem tempore, vel paulo ante illud tempus, cometam apparuiſſe, & de hac ſtella, quæ cuique memoria maxime digna viſa ſunt, enarrant. Cum autem ſic incertum poſteris reliquiſſent, quo anno ille cometa apparuiſſet; ſequentes Hiſtorici & Chronologi, ejusdem rei memoriam repetentes, eidem cometæ diverſos annos, prout quisque id ſuis rationibus maxime conveniens putavit, adſcripſerunt. Quo factum eſt, ut & hiſtoriæ confunderentur, & cometarum numerus multiplicaretur. Sed ſæpe mihi poſtea contigit, ut peregrinarum gentium Hiſtoricos evolvens, aliquem cometam accurate deſcriptum, tempore etiam, quo viſus eſt, claris verbis indicato, reperirem, quem cum aliquo illorum, a noſtris Hiſtoricis memoratorum, eundem eſſe, collatis utrinque rationibus ſatis mihi patebat. Sic Byzantiis ſcriptoribus

„& Sina-

& Sinarum monumentis adjutus, nonnullarum rerum, quæ ad,, Gallorum, vel Anglorum, historiam pertinent, tempus inveni.,, His de usu historiæ Cometarum in Chronologia historica præmissis, porro monet Autor, rem arduam esse & laboris plenam, si quis velit numeris suis absolutam Cometarum historiam conscribere, quanquam plures jamjam hanc telam pertexendam sibi sumserunt; neque se tam bene de suo opere sperare, ut id ab omni errore immune prædicare velit, operam tamen dedisse, ut talem cometarum historiam traderet, quæ præ aliorum Cometographorum scriptis æquo lectori sese commendaret. Initium historiæ hujus fecit a cometa, qui mox post Trojam captam in cœlo apparuisse creditur. Omisit itaque plures cometas, qui in *Hevelii* Catalogo hunc antecedunt, sed quorum monumenta nimis incerta & obscura sunt. Hic ipse, quem Cl. *Struyckius* primum nominat, cometa non alio nititur testimonio, quam veteris illius de Pleiadibus fabulæ, quam nobis tradidit *Hyginus* in Poet. Astron. & in libro fabularum, & ex qua conjicere cum aliqua verisimilitudine possumus, vetustissimam de cometa mox post Trojæ excidium conspecto famam fuisse, qua & *Virgilius* in *Æneid. II* usus esse videtur. Ex Autoris sententia tempus apparitionis hujus cometæ incidit in 15 annum post Trojæ excidium, vel in 1194 ante epocham æræ *Dionysianæ*; hunc enim cometam cum cometa anni dictæ æræ 1681 pro eodem habet. Verum, si damus, antiquam de Pleiadum septima fabulam ab alicujus cometæ apparitione ortum duxisse, intervallum illud 14 annorum inter Trojæ excidium & cometæ apparitionem justo longius esse videtur. Neque dissimulandum nobis est, hæc subdubitanter ab Autore affirmari. Non minus dubia sunt tempora plurimorum cometarum, de quibus in historia sequentium proxime Seculorum aliqua vestigia reperiuntur. Sed eos tamen omnes referre in catalogum suum Autor propterea voluit, quod eorum notitia, si modo non omnino ficta sint eorum monumenta, omni utilitate non caret. Igitur tempus cujusque horum cometarum, quantum potuit, conjectura definivit. In eo autem definiendo sæpe ab *Hevelio* & *Ricciolo* secessit. Rationes, quibus sibi alia persuasit, plerum-

plerumque exposuit. Multos etiam cometas habet, quorum nec *Hevelius*, nec *Ricciolus*, meminit. Horum magnum numerum ab iis petiit scriptoribus, qui rerum Sinicarum monumenta nobiscum communicarunt. Ex quorum Autorum libris uniuscujusque cometæ historiam hauserit, nunquam non indicavit. Ultimus hujus Catalogi Cometa is est, quem Autor dicit a Cel. *Bradlejo* mensibus Majo & Junio anni hujus Seculi 39 observatum fuisse. In magno numero Cometarum, qui in hoc 2930 annorum spatio apparuerunt, octo sunt, quorum circa solem periodos Cl. *Struyckius* determinavit. Eorum quinque supra jam commemoravimus; reliqui tres sunt illi, qui annis post Christum 1580, 1664, & 1686, ultima vice conspecti fuerunt. Primi horum trium cometarum tempus periodicum circiter 235 annorum, secundi 204, tertii 117 circiter, annorum esse arbitratur. Sed, de singulorum horum octo cometarum circa solem periodis non æque certum se esse, ingenue fatetur; trium enim tantum periodos vere se invenisse confidit, qui, nisi fallimur, ii sunt, quos majores nostri annis præteriti Seculi 52, 65, & 77, spectarunt, de reliquorum autem quinque periodis haud improbabiles conjecturas attulisse existimat. Hæc quidem de ipsa Cometarum historia, quæ in hac multo cum studio elaborata scriptione legitur, dicta sufficient; sed monendus præterea nobis est Lector, in eadem hac Dissertatione Cl. Autorem docuisse etiam methodum parandi tabulam generalem *Hallejanam* pro supputando motu cometarum in parabolis, declarasse modum *Newtoni*, geometrice construendi cometæ alicujus semitam per tria ejusdem accurate observata loca, & computationem loci, in quo cometa, cujus orbita data est, dato tempore e terra videatur, tradidisse. Ad calcem hujus Dissertationis adjectæ sunt aliquot Tabulæ, quarum prima uno intuitu spectandam exhibet triplicem Cometarum seriem, in *Hevelii*, *Riccioli*, & Nostri, Cometographia, ultima est *Halleji* tabula cometarum generalis, & ceteræ sunt tabulæ solares, quibus opus habent loca cometarum supputaturi.

In *secunda* Dissertatione exponit Autor emendationes nonnullas Tabularum, pro motu Jovis conditarum. De hac re

ut

ut cogitaret, eo motus est, quod animadverterat, loca Jovis e tabulis *Hiræi*, *Kepleri*, & iis, quæ apud *Whistonum* habentur, supputata, cum inter se, tum ab observatis locis, non parum differre. Quo autem huic defectui mederetur, ex 43 observationibus Jovis, quæ a nonnullis Astronomis Anglis intra annos hujus Seculi 11 & 19 institutæ, & in *Transactionibus Philosophicis* literis consignatæ sunt, præcipua tabularum Jovialium momenta omni studio collegit. Invenit itaque mediorum motuum Jovis Epocham ineunte anno 1713 stili Juliani in meridiano Londinensi ex sole visam 10 Sig. 21° 31′ 46″, & Aphelii 6 Sig. 9° 12′ 20″; motum medium in 12 annis 12 Sig. 4° 22′ 52″; excentricitatem 25257 earum partium, quarum 100000 in media terræ a Sole distantia continentur; locum nodi borei, quem inter fixas immotum ponit, ineunte anno 1719, ♋ 7° 57′; inclinationem orbitæ ♃ 1° 18′ 50″. Ex hisce momentis Jovis longitudinem & latitudinem ad tempora dictarum 43 observationum supputavit, usus præterea, pro loco Solis & distantia ejus a Jove invenienda, tabulis illis, quæ apud *Whistonum* habentur, pro loco Jovis ad eclipticam reducendo, tabula *Kepleri* vel trigesima nona *Hiræi*, & pro æquationibus centri Jovis, singulari tabella, a se ipso Algebræ ope computata, & huic Dissertationi una cum tabella mediorum motuum Jovis inserta. Hac ratione computata illa 43 Jovis loca cum observatis tam in longitudine, quam in latitudine, adeo convenire deprehendit, ut ne quidem in uno exemplo differentia unum minutum primum, in plerisque vix tertiam minuti primi partem, adæquaret. Ut de hujus rei veritate lectores possent judicare, eas, quas diximus, observationes, & 25 quidem earum illis ipsis verbis, quibus eas Cl. *Jacobus Poundius* in *Philos. Trans.* A. 1716 consignaverat, huc transscripsit Autor, & numeros ex sua ipsius computatione profectos adscripsit. Quibus factis, regulas, computandi longitudinem & latitudinem Planetæ, exponit, & exemplo illustrat. Deinde ad normam aliarum observationum Jovis, a *Flamsteedio* habitarum, suam computandi rationem exigit, illarumque cum hac consensum ostendit. Subjicit etiam eidem examini tabulas

*Ludovicianas*, & inter plurima loca Jovis ex iſtis tabulis computata nullum deprehendit, cujus longitudo ab obſervata longitudine paucioribus, quam tribus, minutis primis deficiat; adeo, ut in quibusdam exemplis differentia ad unius gradus quadrantem creſcat. Denique indicat aliquas rationes, ex quibus, Saturninas etiam *Hirxi* tabulas cum veris Saturni motibus hac ætate non amplius conſpirare, ſuſpicio naſcitur. Diximus paulo ante, quantum motum medium per 12 annos Jovi tribuerit Cl. *Struyckius*; ſed admonendum nobis eſt, hunc motum medium eſſe juſto aliquantum velociorem, neque ab ipſo Autore pro univerſali, ut ſic dixerimus, motu medio haberi, ſed pro tali, qui tunc tantum obtineat, cum Jupiter a quadris ad conjunctionem cum Saturno properet.

In ſequenti Diſſertatione, *de Magnitudine telluris* inſcripta, Autor oſtendere conatur, in determinanda telluris magnitudine antiquos Aſtronomos & Geographos tam inter ſe, quam a recentioribus, nihilo fere diſcrepare. Quam ob rem principio inveſtigat rationes veterum menſurarum ad eum, quo hodie Pariſienſes utuntur, pedem. E variis *Herodoti*, *Xenophontis*, *Diodori Siculi*, *Strabonis*, *Plinii*, aliorumque Autorum, locis inter ſe collatis, ac ex antiquis & recentioribus dimenſionibus celeberrimarum Ægyptiæ pyramidum, colligit, diviſo pede Pariſienſi in 1440 partes, earundem partium fuiſſe pedem Ægyptium, & regium Babylonium 1644, pedem Perſicum, item pedem Druſi $1479\frac{1}{7}$, pedem Siculum, quo *Diodorus* in deſcribenda pyramide uſus eſt, 1409, Græcum antiquum *Herculis* pedem 1370, pedem *Herodoti* 1233, antiquum Rhodium 1079, pedem *Archimedis* & *Albategnii*, item palmam Romanam $986\frac{2}{7}$, pedem *Xenophontis*, *Ariſtotelis*, & Delphicum, $739\frac{4}{7}$, Romanum denique pedem 1315; ſtadium autem Perſicum fuiſſe pedum Ægyptiorum 540, vetus ſtadium Græcum 500, ſtadium *Herodoti* 450, ſtadiumque *Xenophontis*, vel Delphicum, 270; ſtadium autem Romanum pedes Ægyptios 500 adæquaſſe. Sequuntur nunc ipſæ antiquorum Aſtronomorum telluris dimenſiones. Ægyptios Aſtronomos uni gradui in circumferentia circuli maximi terræ 500 ſtadia

Alexan-

Alexandrina dedisse, perhibent *Maximus Tyrius*, *Theon Alexandrinus*, & *Ptolemaeus*. Apud *Aristotelem* in libro de Cœlo est, ab Astronomis inventam esse telluris circumferentiam 400000 stadiorum; quæ si Delphica sint stadia, eundem, quem modo diximus, numerum Ægyptiorum stadiorum pro uno gradu dabunt. Porro, *Possidonium* quoque in circumferentia telluris 180000 stadia Ægyptia numerasse, Autor e *Strabonis* secundo Libro colligit. Denique *Hipparcho* visum est, *Eratosthenis* dimensioni terræ circiter 25000 stadia adjicere. Atqui, *Eratosthenem* invenisse circumferentiam terræ 250000 stadiorum, Autor *Cleomedem* Libro primo de Mundo testem citat. Itaque, si ex mente *Hipparchi* circumferentia illa sit paulo minor 275000 stadiis, &, singula horum stadiorum Rhodia esse, ponamus, efficitur ex antea datis pedum, & hisce proportionalium stadiorum, rationibus, (omnia enim supra memorata stadia erant 600 pedum, præter Romanum, quod in 625 pedes dividebatur,) terræ maximum circulum etiam secundum *Hipparchum* quam proxime 180000 stadia Alexandrina continere. Sic constare putat Autor, veterum dimensiones telluris optime inter se conspirare, & peripheriæ circuli terræ maximi 180000 stadia Ægyptia tribuere, quæ æqualia sunt $180000 \times 685$ pedibus Parisiensibus, vel $7096\frac{1}{4}$ milliaribus Belgicis, quorum unum continet 1500 perticas, duodecim pedes Rhinlandicos longas. Est enim pedis Rhinlandici ad Parisiensem ratio $= 139 : 144$. Jam *Willebrordi Snellii* dimensio, a Cl. *Musschenbrækio* correcta, peripheriæ telluris eorundem milliarium tribuit $7083\frac{1}{3}$. Sed ex celeberrima & certiori dimensione partium Meridiani, per Galliam ducti, qua (uti legitur in *Comment. Acad. Scient. Parif. A.* 1718.) uni gradui in meridiano telluris sphæricæ inventæ sunt competere 57097 perticæ, quarum una sex pedes Parisienses æquat, sequitur, circumferentiam telluris esse 7098 milliarium Belgicorum. Quod tam prope accedit ad eam quantitatem, quam, secundum Nostrum, ab antiquissimis Astronomis traditam habemus, ut differentia nihili fere sit æstimanda.

Sequitur brevis *de atmosphæra Lunæ* Commentatio, in

qua Autor contra *Cassinum* & *Hiræum* disputat, qui, cum Lunam atmosphæra cingi negarent, phænomenon quoddam singulare, quo hæc atmosphæra probabiliter potest defendi, in aliam partem interpretari maluerunt. Observatur illud phænomenon nonnunquam in eclipsibus lunæ totalibus, cum ad stellam fixam appellit luna, & stella illa in limbo lunæ per unum vel duo minuta prima horæ commorari videtur. Tale phænomenon observatum est Parisiis in eclipsi totali lunæ, quæ mense Septembri anni hujus Seculi decimi octavi accidit. Cujus apparentiæ causam duo illi celeberrimi, quos modo nominavimus, Astronomi noluerunt in refractionem radiorum stellæ per aliquam lunæ atmosphæram transferre, sed eam inde repetere maluerunt, quod luna in totali etiam eclipsi tanto adhuc lumine splendeat, ut in oculo spectatoris, in tenebris constituto, justo major lunæ imago depingatur. Veruntamen, si sic se res haberet, Autor inquit, cur talis stellarum fixarum in limbo lunæ mora non semper conspicitur? Cur illius ipsius fixæ, de qua modo diximus, moram eodem tempore non ubique observarunt Astronomi? Nam eandem eclipsin lunæ observantes *Poundius* & *Manfredus*, ille Wanstedi prope Londinum, hic Bononiæ, occultationem quidem ejusdem fixæ etiam animadverterunt, moram autem ejus viderunt nullam. Sed, assumta atmosphæra lunari, hæc omnia bene explicat Autor. Sumit autem, illam atmosphæram, qua lumini frangendo apta est, altissimorum in luna montium fastigia non superare. Jam, si contingat, ut stella fixa, ad quam luna appropinquat, spectatori in aliquo terræ loco stanti appareat per intervallum duorum montium lunæ satis disjunctorum, vel pone planam limbi lunæ regionem, refractio radiorum illius stellæ in atmosphæra lunæ efficiet, ut huic spectatori ea, licet vere jam pone lunam constituta, in lunæ limbo per breve temporis spatium morari videatur. Alio autem in loco habitanti spectatori, quia is eandem fixam ad aliam limbi lunaris regionem, & forte ad aliquem ejus tractum montosum, refert, stella statim & sine mora occultatur, quamprimum lunæ marginem attingit, ubi se post montium cacumina condit. Quoniam autem, ut observavit *Hiræus*,

raus, fixa illa stella per brevius tempus, quam trigesimæ partis horæ, in margine lunæ apparuit, omnem virtutem, quam lunæ atmosphæra ad refringendum radios lucis habeat, satis parvam esse, Autor colligit, & ex eo partim, partim ex humilitate atmosphæræ lunaris, rationem reddit, cur stellæ fixæ & planetæ, non mutatis coloribus & figuris suis, lunam subire soleant. Quo ipso unum & fere gravissimum eorum argumentorum refellit, quibus contra atmosphæram lunæ plerique Astronomi disputant, inter quos hic solum Cel. *Jacobum Cassinum*, qui eodem argumento usus est, cum in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1720 occultationem duplæ stellæ, γ *Baieri* in Virgine, post lunam a se observatam, describeret, Autor nominavit, eo fortassis consilio, ut, hac arrepta occasione, posset illud παράδοξον reprehendere, quod idem Celeberrimus Vir ex eadem observatione duxit, scilicet stellis fixis tertiæ etiam magnitudinis adeo vividam esse lucem, ut, licet in vicinia lunæ & per telescopium conspiciantur, tamen earum superficies oculo nongenties major appareat, quam, demto illarum splendore, esset apparitura. Hoc ergo cum aliis stellarum fixarum phænomenis pugnare, & ex observatione recte institutam computationem octogies tantum amplificatam stellæ superficiem exhibere, Autor sub finem hujus Dissertationis ostendere annititur.

Proxima scriptio tradit *examen multarum eclipsium* terræ pariter ac lunæ, quod doctissimus Autor ad illustrandam Historiam & Chronologiam instituit. Præmisit autem huic examini Præfationem, in qua quædam occurrunt, quæ silentio non possumus præterire. Primo enim indicat notabilem quandam periodum eclipsium Solis & Lunæ, quæ ad investigandas antiquas eclipses usui esse potest. Affirmat nimirum, post 6444 lunationes, vel 521 annos Julianos, utriusque sideris defectus ad eundem anni diem & fere æquales redire. Hoc multis exemplis eclipsium confirmat, quæ post medium præteriti Seculi usque ad annum 1737 observatæ sunt iisdem eorundem mensium diebus, quibus eas in Seculo duodecimo & decimi tertii initio contigisse, ejus ætatis Historiographi, quos Autor nomi-

natim adducit, memoriæ prodiderunt. Secundo disputat contra *Hallejum*, qui ex observationibus eclipsium Babylonicis, cum recentioribus collatis, medium motum Lunæ nunc aliquanto velociorem deprehendisse sibi visus est. Postquam hæc fusius præfatus est, exhibet catalogum antiquarum eclipsium solis ac lunæ, quæ a *Petavio, Calvisio, Mercatore, Scaligero, Ricciolo*, in annos vel dies translatæ sunt, in quibus non contigerunt. Hunc catalogum sequitur alter, complectens eclipses, quarum magnitudinem & tempus determinarunt *Calvisius*, *Petavius*, *Ricciolus*, & *Bullialdus*. Neque tamen nullæ sunt Cl. *Struyckii* in hoc catalogo partes. Quoniam enim tabulæ, quibus illi ad eas ecclipses computandas usi sunt, ipsos nonnunquam a vero longe averterunt; & quoniam *Calvisius* sæpe locorum nomina omisit, ad quorum meridianos quasdam eclipses computavit, & plerarumque eclipsium medium tantum indicavit, neque Autorum, apud quos eclipsium mentionem reperit, nomina semper adjecit; hunc sibi laborem Noster imposuit, ut plures quam nonaginta ex hujus catalogi eclipsibus denuo computaret, & inter multos Autores eum exquireret, qui alicujus eclipseos memoriam consignavisset. Tertium etiam catalogum addidit plus centum & viginti eclipsium, quarum a Chronologis aut nulla omnino mentio facta est, aut quas ex tabulis astronomicis non computarunt. Earum singularum tempus & magnitudinem ipse computavit, & in hunc catalogum retulit, adjectis nominibus locorum, & annalium, in quibus earum eclipsium monumenta exstant. Sunt autem illæ eclipses omnes ex sola Europæarum & finitimarum gentium historia petitæ. Nam, etsi ex rerum Sinicarum scriptoribus multis augere antiquarum eclipsium numerum potuisset, tamen iis uti noluit, partim quod parum faciunt ad nostram historiam illustrandam, partim quod sibi persuasum habet, plerasque earum eclipsium, quas ad fidem Sinensium annalium Jesuitæ ex Sina reduces nobis tradere professi sunt, non observatas, sed per tabulas Astronomorum Sinensium supputatas, eclipses esse. Ceterum ex iis, quæ hactenus diximus, omnes, qui Cl. *Wilhelmi Whistoni* Prælectiones de Eclipsibus antiquis legerint,

rint, vel non monentibus nobis, facile intelligent, hunc Cl. *Struyckii* laborem illius conatus multis parasangis post se relinquere.

Duæ supersunt Dissertationes, quibus huic volumini Autor coronidem imposuit. In prima operam dedit, ut de statu generis humani, de annuo augmento vel decremento numeri incolarum alicujus regni, de numero hominum, & virilis & feminini sexus, ad datum vitæ terminum pertingentium, & de aliis hisce affinibus quæstionibus, probabiliores conjecturas afferret, quam alii, qui de hoc argumento scripserunt. Quibus conjecturis utitur in altera Dissertatione, & huic adjuncta Appendice, certiores regulas traditurus, ad quas æstimatio sortis, qua status reditus ad dies vitæ (*Leibrenten*) vendere conveniat, sit perpendenda, & alia huic similia problemata, ad Arithmeticam politicam pertinentia, sint tractanda & exigenda. Sed, de his qui plura nosse desideraverint, eos ad ipsum hoc Opus ablegamus.

*PAULI VALCARENGHI, CREMONENSIS, IN Regia Ticinensi Universitate Med. Rat. Prof. Prim. nec non Cel. Bonon. Acad. Socii, Continuatio Epidemicarum Cremonensium Constitutionum annorum 1737, 1738, 1739, 1740, aliis addenda. Agitur hic præcipue de morbis Hepatis, atque de aliis per transennam. Accessit Dissertatio de vera Praxi Medicis necessaria, & ægrotis utili, una cum tribus Observationibus de Aortæ Anevrismate.*

Cremonæ, apud Petrum Ricchini, 1742, 4 maj.

Alph. 1 plag 8.

Medicinam rationalem ad recentiorum mentem observationibus adauctam, in recensione *Constitutionum epidemicarum annorum 1733-1736, in civitate Cremonensi observatarum,* Cel. Autor A. 1737 edidit. Continuatas igitur Observationes in hoc ipso, quem nunc indicamus, libello proponit. *Sectio I* Constitutiones

ſtitutiones epidemicas anni 1737 complectitur, cujus *Cap. I* obſervationes varias proponit, & inprimis de Apoplexia agit, *Cap. II* vero febres tertianas, inprimis pernicioſas, conſiderat. Agitur enim de illarum peculiaribus ſymptomatibus, & ſpecialibus criſibus, de earum ſolutione, ope Chinæ Chinæ, aut ope purgantium, quorum utilitas præſertim oſtenditur, & inter hæc Rhabarbarum ceteris præferendum eſſe demonſtratur. Licet enim experientia doceat, purgantia, poſt uſum Chinæ Chinæ exhibita, nonnunquam paroxyſmos reducere, tamen tutior curatio videtur, quando natura in criſi adjuvatur. *Sectio ſecunda* de morbis hepatis agit. Cum enim febres tertianæ, inprimis contumaciores, aut ex male affecto hepate & liene oriantur, aut horum viſcerum vitia relinquant; obſervatione ſpeciali illud declarat & oſtendit, virum quendam poſt tertianas, quas æſtivo tempore ſemel iterumque perpeſſus fuerat, tandem abſceſſu hepatis obiiſſe. Hæc & aliæ obſervationes Cel. Autorem commoverunt, ut ea, quæ in morbis hepatis obſervanda ſunt, erueret, & iteratis obſervationibus Autorum illuſtraret. Poſtquam igitur *Capite I* de morbis hepatis in genere nonnulla præmiſit; *Cap. II* de hepatis Phlegmonibus agit, in cauſas inquirens, & ſigna recenſens, quæ, cum viſcus ſenſu haud adeo evidenti polleat, ſæpius fallacia ſunt. Nec enim ſemper dolor ad jugulum humeroſque producitur, quod a nexu diaphragmatis evenire ſolet, nec febres adeo intenſæ ſunt, ſed tertianas quodammodo æmulantur, licet continuæ ſint, & acutarum non ardentium morem ſervent. Symptomata vero varia ſatis dira creſcente demum malo accedunt. Ex his quoque eſt vomitus bilioſus, vel alio tempore, ſi bilis intercipitur, alvus magis adſtricta. Hoc inprimis fieri ſolet, ſi inflammatio in parte concava eſt, ubi bilis quidem ſecernitur, ſed per compreſſos ductus biliferos exire nequit. Uti igitur inflammatio in concava parte ventriculo & viſceribus vicinis magis moleſta eſt; ſic ea, quæ in gibba parte obſervatur, diaphragma in conſenſum trahit. Hæ inflammationes duplici modo, ſcilicet reſolutione, vel ſuppuratione, ſolvuntur, vel tandem, ſi ſolvi nequeunt, in ſcirrhum abeunt. Ex his igitur principiis in curationem inquirit Autor, & inprimis in reſolutione lenia

purgantia

purgantia non irritantia, præcipue rhabarbarina, maximi usus esse asserit, & tandem de abscessibus in hepate oriundis disserit, *Cap. III* vero ad scirrhosos tumores, qui inflammationem sequuntur, progreditur. *Cap. IV* de intemperie hepatis calida agit, &, licet hic conceptus, a veteribus petitus, paulo obscurior videatur, tamen homo, qui talem sanguinis diathesin sortitur, quæ majorem biliosorum principiorum copiam in se continet, simulque magis amplam hepaticorum ductuum capacitatem pro majore bilis seperatione habet, ille omnino intemperie hepatis calida laborare dicitur. Signa, ex quibus hæc hominum indoles cognoscitur, disquirit, & ostendit, cur hinc tertianæ contumaciores & perniciosæ oriantur, sicuti & hydrops siccus *Hippocratis*, & colica biliosa. Agitur porro de ictero, de calculis cysticis, aut pori biliarii, variisque eorum signis & symptomatibus. Pauca etiam addit de morbo artificum, qui gemmas, vel factitias, vel veras, supra plumbeam rotam cum smiride & terra Tripolitana poliunt, & ita affectibus, ex plumbi subtilissimo veneno oriundis, maxime obnoxii sunt. Monet omnino, hos potius levioribus purgantibus curandos esse, quam fortioribus; his enim ægroti in cachecticum statum deducuntur. Horum morborum omnium curationis rationem perpendit, & maxime de epicratica purgatione, & usu olei amygdalarum dulcium, agit. *Cap. V* intemperiem hepatis frigidam considerat. Si enim biliosus humor in corpore nimium deficit, particulæ quælibet sanguinis parum attritæ, dissolutæ, minusque intermixtæ, evadent, multo magis si bilis viscosa sit & vappida, consuetis actionibus parum idonea. Quamobrem in ejusmodi hepaticis intemperies frigida oritur, pessima totius sanguinis diathesis evadit, & aqueis & viscidis particulis, ad motum maxime ineptis, conflabit, ex qua in visceribus tractu temporis stases oriuntur. Hæc vero ob defectum secretionis bonæ bilis eveniunt, cujus causæ variæ recensentur. Agitur itaque de commercio hepatis cum liene, ac utrorumque viscerum morbis, & ostenditur, qua ratione prava & scorbutica sanguinis diathesis, ac præcipue tibiarum aliarumque partium ulcera & pustulæ, hinc procedant. Varios quoque hepatis tumores, hinc

 oriun-

oriundos, & hydropis cauſas, recenſet, & non tantum ſymptomata explicat, ſed varias quoque curationis vias perpendit. *Cap. VI* de cruentis morboſis excretionibus agit, & præcipue de excretionibus alvinis, quæ a male affecto viſcere oriuntur, diſſerit. Expoſitis igitur cauſis generalibus, vel in ſanguine, vel in vaſis, vel in utrisque, hærentibus, differentias harum excretionum ad quatuor capita reducit. Scilicet prima venoſa eſt, quæ ex copioſo, ſed minime noxio, ſanguine, per orificia rejecto, oritur; altera eſt, ſi ab imbecillitate hepatis aquoſus ſanguis, loturæ carnium ſimilis, rejicitur; alia dyſenteria atra biliaria dicitur, & ex aduſto in hepate ſanguine oritur; alia tandem, quæ, exulcerato inteſtino, utplurimum a bile acri, & pituita ſalſa & corrupta, provenit. His nonnulla annectit de cruentis fluxibus, ab aliorum viſcerum labe ſubortis, & in omnibus ſigna & curandi vias egregie exponit, inprimis vero monet, quam caute adſtringentibus utendum ſit. Obiter quoque de hæmorrhagia narium, ob hepatis lienisque vitium ſuborta, de hæmorrhoidalibus fluxibus, de cruentis vomitionibus, &c. agit. *Sectio tertia* conſtitutionem epidemicam annorum 1738, 1739, & 1740, exponit; qua occaſione inprimis de Chinæ Chinæ uſu in tertianis, de phthiſi ex tuberculis pulmonum ortis, & de variolis confluentibus, agit. Diſſertatio epiſtolaris ad Ill. *Cajetanum Paſqualis*, de vera praxi Medicis neceſſaria, & ægrotis utili, ut omnia, quæ huc uſque recenſuimus, ſatis teſtatur, Cel. Autorem & in dijudicandis, & curandis, morbis acutiſſimum ſagaciſſimumque eſſe, atque talia proponere artis præcepta, quæ Practicis in facienda medicina omnino commendanda ſint. Ex Obſervationibus tribus de Aortæ anevryſmate binæ jam olim impreſſæ fuerunt, ſed easdem, tertia accedente, huic denuo Operi adjunxit typographus. Studioſe omnino deſcriptæ ſunt, curaque ſingulari Autor in cauſas & ſymptomata inquiſivit, quo ſigna eruerentur, quibus diagnoſis occulti hujus morbi certior reddi poſſet.

## LA VITA DI PIETRO ARETINO, SCRITTA DAL Conte GIAMMARIA MAZZUCHELLI, &c.

hoc eſt,

*VITA*

## *VITA PETRI ARETINI, SCRIPTA A COMITE JOANNE MARIA MAZZUCHELLIO, Brixiensi.*

Patavii, apud Josephum Cominum, 1741, 8.

Plag. 19, Tab. æn. 6.

*Petri Aretini* in vita describenda desudasse passim viros eruditissimos & Romæ & Florentiæ, non ignorant Historiæ literariæ peritiores Lectores. Impulit Ill. Autorem *Antonius Fridericus Segbezzius*, ut ipse, historiæ Italicæ literariæ peritissimus, huic vitæ, dudum affectæ & instructæ, manum denuo limamque adhiberet. Precibus hisce, his stimulis, debemus hanc vitam de viro, quem recentior ætas in flagellum Principum & male sanum obtrectatorem laudum alienarum convertit; de viro, quem tot maximique Principes & domini certatim evexerunt, donarunt, suisque laudibus & benevolentia dignati fuerunt; de viro, quem favor & fortuna ad altissimum dignitatis gradum promoverunt; de viro, qui probatus fuit *Clementi VII, Joanni Mattbæo Giberto, Paulo Jovio, Joanni de Medicis, Bernio, Franco, Donio, Albicanti*, summisque proceribus, quorum in tractatione ipsa fit mentio. Sustulit hunc in lucem Aretium, Tuscaniæ oppidum. Nothus ipse exstitit *Lucii Baccii*, viri generosi, ibidem nati. Fratre usus fuit *Francisco Baccio*, matre *Tita*, quæ postea degit in *Congregatione Virginis annuntiatæ ab Angelo*, filium autem hunc in xenodochio peperit, quod vocant Hospitale. Falluntur & fallunt, qui, ipsum ex adulterio prognatum fuisse, sibi aliisque persuadent. Natalis ejus incidit in annum 1492, & 19, aut 20, Aprilis. Licet in ludum haud mitteretur ab ineunte pueritia, applicavit tamen fertile fervidumque ingenium præmature Poetis Italicis legendis. Aretio relicto, Perusiam concessit, veluti in patriam alteram, ubi libris compingendis sese exercitavit. Inde Romam ivit pedibus, instructus non nisi iis, quæ in corpore gestabat. Exceptus ibi fuit ab *Augustino Chisio*, dite mercatore, eoque splendido. Servitia ibi præstitit *Leoni X & Clementi VII. Marci Antonii* obscœnissimis XVI picturis totidem carmina Italica subjunxit, obscœnita-

(Marginal references: Pag. 2. [at "Nothus ipse exstitit"]; 7. [at "Angelo, filium autem"]; 13. [at "dumque ingenium præmature"]; 18. [at "obscœnissimis XVI picturis"])

scœnitatum interpretes. Videtur eam ob causam *Aretinus* Roma exire debuisse A. 1524, impulsu *Joannis Matthæi Giberti*, tunc Datarii. Remigravit itaque Aretium, amicitiamque porro coluit cum *Julio Romano*, Cardinali, & Comite *Balthasare*
Pag. 21. *Castilionio*. Mense Augusto adscitus fuit in aulam *Joannis Medicei*, a quo *Cosmus*, Dux Florentiæ, fuit satus, nominatim Fanum. Mediolani sese in Regis Galliæ gratiam insinuavit. Pau-
25. lo post rediit Romam. *Clemens VII* ipsum ob carmina illa jussit ferulis cædi. Refugit itaque denuo ad *Joannem Mediceum*, qui ipsum haud poterat odisse, sed potius dignabatur arcano-
29. rum suorum conscientia æque ac *Lucam Antonium*, Medicum. Obiit *Joannes* ille A. 1526 Mantuæ inter ipsius brachia ex vulnere, per Martem inflicto. Ex eo temporis articulo *Aretinus* apud animum statuit, suæ spontis esse in posterum, nec aliis
33. servitia præstare. Venit A. 1527 Venetias. Fovit ipsum tutela ac gratia sua *Andreas Gritti*, reipublicæ Dux, quod Dei Ducisque beneficium gratissima mente *Aretinus* coluit. *Clemens VII* monuit hunc Ducem de *Aretino*. Hic vero imprudenter & temerario conatu disseruit de Papa illo Romæ obsesso. At, graviter & solide a Duce monitus, destitit ab ea temeritate, & Pontificem caute & obedientissime habuit. Literas ideo Papa A. 1530 ad ipsum scripsit perquam honorificas. Eo-
36. dem fere tempore receptus est in gratiam a *Joanne Matthæo Giberto*, Episcopo Veronensi, cujus instinctu ob carmina obscœna fuerat castigatus. *Carolum V* A. 1530 Tridentum comitatus, gratiam sibi peperit ab eo haud levem. Tum vero Pontifex promisit, sororem ejus ipsum nuptui esse elocaturum. *Bernius* est, qui *Aretino* per rabiem quandam poeticam
44. pessima flagitia affinxit. Finxit *Aretinus* destinatum iter & Constantinopolin & Romam, ut muneribus Ducis afficeretur. *Nicolaum Francum* accepit deinde studiorum adjutorem & comitem, Græcæ Latinæque linguæ, cujus peritia carebat *Aretinus*, peritissimum. At utrosque inter cœpit inimicitia gravissima inde ab anno 1538. Venetiis inviserunt ipsum viri summi,
51. quæ res vanas ipsius elicuit gloriationes. Imperator *Carolus V* ipsi assignavit pensionem annuam ex Ducatu Mediolanensi A. 1536.

1536. Nec minus a Rege Galliarum munera reportavit. Quare utrique in scriptis adulatus fuit. Anno autem 1537 Imperatorem cœpit pluris facere, ejusque gesta summis laudibus celebravit. *Carolus V* ipsum A. 1543 salutavit honorificentissime, ab hoc, ad dextram ejus euntem, comitatus. *Julii III* gra- Pag. 55.
tiam solicite ambivit & obtinuit, renuntiatus ab eo Eques S. *Petri* A. 1550, qui honor cum pensione annua 70, aut 80, im- 60.
perialium erat conjunctus. Abiit Romam cum Duce Urbinensi. At spei expers recessit A. 1553, Venetiasque rediit, persuadens aliis, honorem Cardinalitiæ dignitatis a sese repudiatum fuisse. Maledicum ejus judicium ulturi erant *Strozzius*, miles, & *Tintorettus*, pictor famosus. Legatus Anglicus ipsum male tractavit, baculoque percussit. Principes Italiæ adulatione sua 72.
sibi devinxerat ad unum omnes. *Trajanus Boccalinus* admodum ipsi obtrectavit, multosque lectores imprudentes mendaciis suis decepit. Inviderunt scilicet ei quamplurimi Princi- 75.
pum favorem. De mortis, qua decessit, causa mirificæ circumferuntur fictiones, quibus veritatem subesse, Noster inficiatur. Obiit A. 1557, natus 65 annos, sepultus Venetiis in æde S. *Lucæ*. Sepulcrum ejus omni epitaphio vacavit. Quam ob 79.
causam ficta sunt epitaphia, quæ solent circumferri. Longum foret, efficta illa epitaphia & maledicas inscriptiones recensere, quibus fama *Aretini* fuit discerpta & pessundata. Oblectavit ipse se pingendi ac sculpendi studio. Gulæ voluptatibusque fuit addictior. A Venere, etiam minus honesta, haud absti- 86.
nuit. Meretricibus in famulitio ejus erat locus. Filiarum ipse pater fuit trium circiter. Adscriptus fuit Academiæ Senensi, Patavienfi, & Florentinæ. Libros ipsi dedicarunt complures, immo ejus judicio submiserunt haud uni. Re- 100.
tulerunt eum Itali, politiores linguæ suæ judices, inter classicos ejus Autores. Ventosus fuit scriptorum suorum laudator. Satirico sale sese oblectavit, appellavitque se *mundi censorem*. Videntur laudes, ei ab adulatoribus impertitæ, arrogantiam in ipso amplificasse. Ipse collegit edititque Epistolas, quibus lau- 104.
des suas credebat prædicatas. Superbiam, credidit, a sese esse alienam. Ab universis Principibus ætatis suæ munera & dona 118.

Sss 3 repor-

reportavit, ne quidem *Solimanno*, Sultano, & *Barbarossa*, archipirata, exceptis. Plus quam 60000 imperiales obtinuit intra
Pag. 124. vitæ suæ tempus. Largus fuit in donando, splendidus vestitu, hyperbolarum stili amans, nullis literis imbutus, sui præco, ab aliis modo *divinus*, modo *dæmonium*, & *Pasquini cancellarius*,
134. dictus. Numi in ipsum exstant, quorum ipse ignoravit universos, ab inimicis ejus excogitati. Versibus ipsum denigra-
147. vit *Faernus* Latinis, oratione *Perionius*. Ipsius Dialogi, *Cortiggiana, Humanità di Christo, Tre giornate, Vita della Madonna*, in Indicem librorum prohibitorum A. 1559 relati apparent. Sunt,
156. qui ipsum atheis accensent. Sunt, qui ipsum venditant Autorem opusculi *de tribus impostoribus*. Utramque famam facile
161. Ill. Autor repulit. Quis enim ignorat, *Aretinum* linguæ Latinæ fuisse rudem? Ipse in hac lingua nihil scripsit. *Mersennus*, vir credulus, posteriorem illam ignominiam *Aretino* adfricuit, vir in augendo atheorum catalogo ultra jus fasque occupatissimus. Ipse *Aretinus* certe operam dedit, ut existimaretur Christianus, isque Romanæ professioni erat addictissimus, testibus ejus literis, e. g. *Vol. II n. 200, Vol. V n. 254.* Hæreticis infensus, carmina pepigit in laudem Confessionis auricularis &
163. sacrosanctæ eucharistiæ, quarum utramque rite adhibuit, usus Confessionariis. Scripsit nonnihil, licet non sub supremæ vitæ finem, de argumentis sacris. Errant, qui putant, ipsum, no-
166. mine anagrammatico *Partenii Etiri* assumto, scripsisse libros sacros. Seculo enim post elapso ex typographeo *Marci Ginammi* libri ejus sub hoc nomine prodierunt. Fabula est & error *Zilioli*, ipsum vitam egisse vagando, & explorando res secretiores Principum, eisque passim proditis sibi dona comparasse, dictitans. Alii persuadent sibi, ipsum maledicum sese præbuisse optimatibus; hos vero, ne ipsis malediceret, fauces Cerberi
168. offis aureis implevisse. Contrarium tenet Ill. Autor, demonstrans, summa ipsum veneratione & modestia usum esse in epistolis ad Principes datis. Maledixit generatim vitæ aulicæ, Romanæ inprimis. At speciatim omnes palpatus fuit, & purpuratis curiæ Romanæ byssina & modestissima dedit verba. *Gaddium*, Cardinalem, existimavit, ipsi intercepisse numos, ideoque graviter

graviter in ipsum fuit invectus. Contemsit maledicta Cardinalis. De reliquo *Aretinus* eruditis sui temporis sese exhibuit modestum & humilem. *Bernium*, ipsi inimicum, ad amicitiam reduxit. *Bernhardum Tassum* odit paululum. Maledixit nonnullis, ut existimaretur veritatis studiosior. Principibus vero tantas admovit adulationes sub veritatis & candoris larva, ut hac arte potissimum felix esset in donis obtinendis. Adulatio, non maledicæ linguæ metus, muneribus ipsum cumulavit. Unde patet, illos a janua aberrare, qui ipsum vocant Principum flagellum. Nec laudasset Principes tantopere *Aretinus*, nisi ab his, ut sic faceret, fuisset stimulatus, monitus, & adductus. Administris Principum ut probaretur, callide effecit. Præterea in orando & emendicando fuit satis importunus & audax. Fuit ipse liberalis etiam in Principes, ut eos ad plus dandum excitaret. In formulis Dedicationum dilaudavit illos, quorum munificentiam erat expertus. Ingenio, non judicio, in libris scribendis, vel potius fundendis, fecit satis. Opera ejus sunt vel prosa, vel poetica. Ad classem priorem sunt referendi *Dialoghi*, *Ragionamento de le Corti*, aliique. Dialogi illi obscœnitatem exhalant, & in sermonem Hispanicum, ac hinc in Latinum a *Casp. Barthio*, conversi fuerunt. Latina inscriptio est hæc: *Pornodidascalus, seu colloquium muliebre, Latine redditum a* Gaspare Barthio, *cum historia direptionis urbis Romæ ab exercitu Caroli V.* Francofurti, 1624, 8 Prodierunt ibidem A. 1623, 8, sub titulo: *Colloquium de astu & dolis meretricum. Dialogus, ex Italico in Hispanicum versus a* Ferdinando Xuaresio, *ex Hispanico in Latinum a* Gaspare Barthio. Recusi fuerunt, titulum eundem præferentes, Cygneæ A. 1660, 8. Galli versant eosdem sub titulo: *Dialogue des Courtisanes de Rome, traduit en François*, 12. Germani norunt editionem, Noribergæ A. 1672, 4, adornatam, cui titulus: *Petri Aretini Italienischer Hurenspiegel.* Ni *Aretinus* haberet sodales, meretricias hasce obscœnitates nemo non ad sempiternas tenebras amandasset. Scripsit præterea *Aretinus* plura. Indicabimus librorum titulos: *I sette Salmi de la penitentia di David*, Venet. 1534, 1536, Florent. 1537, Venet. 1539, 1545, 8, Lugduni

Pag. 171. 178. 184. 187. 202. 215. 217.

1548,

1548, 12, &c. *Crescimbenius* scriptum hoc judicat admiratione & lectione dignum. *I tre libri della Humanità di Christo*, Venet. 1535, 4, 1539, 8, &c. *Il Genesi con la Visione di Noè, nella quale si vede i misteri del Testamento vecchio,*
Pag. 221. *e del nuovo*, Venet. 1538, 1539, 1541, 8, Lugd. 1542, 8, Venet. 1628, 1629, 1635, 1636. Editionibus hisce Seculi superioris præfixus fuit titulus: *Dello Specchio dell' opere di Dio nello stato della natura di Partenio Etiro, presso Marco Ginammi. La Vita di Catherina Vergine, divisa in tre Libri*, 8 (1540); *La Vita di Maria Vergine*, 8 (1540); *La Vita di S. Tommaso Signor d' Aquino*, Venet. 1543, 8; *Cortigiana,*
229. *Comedia - - Il Marescalco, Comedia - - L' Hippocrito, Comedia - - Il Filosofo, Comedia - - La Talanta, Comedia - - Lettere*, Venet. 1537, fol. &c. Carmina ejus hæc sunt: *Laude di Clemente VII*, Rom. 1524, 4; *Esortatione de la pace tra l' Imperatore, e il Re di Francia*, Rom. 1524, 4; *Canzone in laude del Datario*, Rom. 4; *Sonetti lussuriosi*, 12; *Al gran Marchese del Vasto dui primi Canti di Marsisa del divino Pietro Aretino*, 4; *De le Lagrime d' Angelica di* M. P. A. *due primi*
245. *Canti*, 1538, 8; *Strambotti alla Villanesca freneticati dalla Quartana, con le Stanze de la Serena in comparatione degli stili*, Venet. 1544, 8; *Poema di cinque Canti sopra la Marchesa del Vasto*, 1552; *L' Horazia*, Venet. 1546, 8; *Capitolo in laude del Magnanimo Signor Duca d' Urbino*, 8; *Li dui primi Canti di Orlandino*, 8; *Combattimento poetico, Rime e Capitoli*, Londin. 1723, 8, &c. Inimici sub nomine ejus evul-
258. garunt scripta, partim satirica, partim obscœna. Prioris generis sunt, quæ prodierunt adversus *Cæsarem Fregosum, Antonium da Leva, Carolum V*, & Papam. Ad posteriorem classem spectant hæc: *Dubbi amorosi di M. Pietro Aretino*, 1600; *L'*
260. *Alcibiade fanciullo a scuola di* P. A. *In Oranges par Juan Uvart*, 1652, 12, (Venet.) liber rarissimus, recentior *Aretino*, stili disparis; *Comento del Grappà intorno al Sonetto, Poichè mia speme è lunga a venir troppo, dore si ciarla a lungo delle lodi delle Donne e del mal Francioso. In Mantova*, 1545, 8.
263. Hisce, ab Ill. Autore copiosius expositis, subjunxit *Josephus Bartoli*,

*tosi*, D. Jur. & adjutor Marchionis *Joannis Poleni* in theatro Physicæ experimentalis in Patavienſi Academia, literas gratulatorias, docens ſimul, figuras obſcœnas, quas *Julius* Romanus excogitarat, *Marcus Antonius Raimondus* & *Petrus Aretinus* XVI cantionibus (*I Suppoſiti* dictis) explicaverat, referendas eſſe ad annum 1493, ſeu 1494. Spectat huc illud *Martialis XII, 43.* Suſpicatur tamen, primam illam explicationem fuiſſe proſam, A. 1524 demum in verſus Italicos transfuſam. Meminimus tandem Odes, quam *Antonius Cerrutus Libro IV pag. 97 Verſuum Latinorum* reliquit poſteris. Ea enim magnificam *Aretini* complectitur apologiam, A. 1550 in luce Italiæ evulgatam. At ſatis de *Aretino*. Eant nunc illi, & exuant errorem ſuum, qui *Aretinum* vocant flagellum Principum, ut innoxios cum *Aretino* adducant in comparationem. Pag. 270.

## *DE VITA ET SCRIPTIS PAULI ELIÆ, CARmelitæ, vulgo* Povel Vendekaabe, *Viri in hiſtoria Reformationis Danicæ notiſſimi, Commentatio hiſtorica, literis conſignata a* CHRISTIERNO OLIVARIO.

Havniæ, ſumtibus Jacobi Preuſſii, 1741, 8.
Plag. 12.

Cum in negotio inſtaurationis ſacrorum apud Danos & variam egerit, & primariam fere, perſonam *Paulus Eliæ*, Carmelitarum Ordini adſcriptus, hujus autem hiſtoria huc uſque a nemine fuerit conſignata; operæ pretium duxit Cl. *Olivarius*, verbi divini in pago Fœrslev & Sneeslev Siælandiæ miniſter, relictum illud ſpatium explere, & viri adeo inſignis cineres quaſi ab interitu vindicare. Non habuit, quæ optanda erant, tale inſtitutum perſequendi auxilia; neque tamen iisdem Autor plane fuit deſtitutus. *Foſſius*, *Grammius*, *Pontoppidanus*, aliique, literarios ei theſauros aperuerunt, nec caremus omnino ſcriptoribus, eo facientia qui publici juris fecerunt, quosque, non ſine judicio critico, in Præfatione doctiſſimus *Olivarius* recenſet. Ipſa autem hiſtorica expoſitio XXIV partibus minoribus, quas paragraphos

§. 1. ragraphos nominant, absolvitur. Harum prima sistit introdu-
ctionem & singularem quasi Præfationem, de officio, celebrium
2. virorum memoriam conservandi. Hinc agitur de nomine *Pau-
li Eliæ*, sive, ut ipse scripsit, *Helie*, quod quidem ex nomine, in
sacro fonte accepto, & patris nomine, compositum fuit ad mo-
3. rem temporum illorum. Hoc ansam præbet insigniori perqui-
sitioni de parentibus, patria, atque anno natali. Sed non re-
perit Autor, ubi pedem figeret, præterquam quod matre se Sue-
ca natum ipse testatur *Paulus*, patriaque se nominat Vardber-
gensem. Inde, Vardbergi, septentrionalis Hollandiæ non
ignobili in oppido, natum, orta suspicio fuit. Difficilior est
quæstio, quando vivere cœperit. Nec nisi conjectura cogno-
4. scimus, Seculi XV decennium nonum esse nominandum. De
5. studiis, in quæ juvenis incubuit, æque incerta res est. Certior
autem, ad illa quod attinet, quibus in Collegio Carmelitarum
Havniensi operam navavit. Eo quidem recens fundato, ex
Landiscronensi noster huc translatus fuit. Vixit hic jam anno
1519 Magister ac Theologiæ Baccalaureus, neque tunc adeo im-
probans proposita *Lutheri*. Præter merita vero in Collegium
suum, etiam Academiæ præfuit, sanctas literas docendo, atque Da-
6. nis universis varia officiorum genera exhibendo. Factum est
7. hoc præsertim, cum ad purioris fidei professionem transiret. Ipse
nimirum illam, una cum magistro *Martino*, cujus simul histo-
ria strictim hic breviterque exponitur, publice per Daniam,
8. nec sine maximo successu, prædicavit. Verum ad vomitum
rediit *Paulus*, Pontificiam superstitionem iterum amplexus.
9. Hinc & iram provocavit *Christierni* Regis, a quo variis ante
affectus honoribus fuerat. In Danicum quippe sermonem con-
vertebat *Erasmi* aliquem librum, inque Dedicatione, directa
ad ipsum Regem, verbis contra illum utebatur acerbioribus.
10. Praeterea odiosum se passim reddidit scripto, contra *Martinum
Reinhardum*, jussu quidem antistitis Aarhusiensis, publicato, Sa-
11. tyra contra monetam, & epistolis nonnullis, quas consignarat.
Cum etiam Novum Testamentum Danicum una cum episto-
12. la *Jo. Michaelii* publici juris fieret, singularem ille librum
13. huic epistolæ opponebat. Nihilo minus tamen tanti ad-
huc

huc passim æstimabatur, ut ab ipso *Friderico I* in arcem A. 1526 evocaretur, quo de sacris sententiam libere suam enuntiaret. Et sane tot in eo admiranda, quot vituperanda, fuerunt. Meritis ejus quando institutionem catecheticam §. 14.
annumeramus; non possumus simul facere, quin cum Suecis 15.
controversias de religione motas damnemus. Præter autem, 16-22.
quæ commemoravimus, scripta, plurima supersunt, variis ab illo temporibus publicata, horumque ad ordinem seorsim a Cl. Autore nostro enumerata. Sed ad ultima *Pauli* fata pro- 23.
peramus. Illa quidem antecessit ad puriorem doctrinam reditus. Postquam enim variis *Lutheri* amicos scriptis impugnarat, ac pacem deinceps inter utramque partem conciliare frustra laborarat; sanam denique mentem aut recuperavit, aut certe simulavit, & doctrinam nostram Roskildiæ docuit, Lector factus & sacer præco. Tam vero parum tunc floruit, ut & mortis genus, & annum, viri antea clarissimi ne- 24.
sciamus. Indolem autem ita describit Rev. *Olivarius*: *Varius omnino fuit & instabilis, nec scripta ejus, quantumvis plurima, sufficientem ipsius ideam præbere possunt. Quod aliquam sincerioris doctrinæ cognitionem habuerit, priora ejus acta quodammodo evincunt; quod sufficientem sanioris dogmatis notitiam habuerit, monstrant ejus juncti cum Magistro* Martino *conatus. Quod vero nec regia autoritate, nec propriæ testimonio conscientiæ, ad sinceriorem promoveri potuerit confessionem, id demum sive sinisterioris temperamenti contagio, sive malignioris ingenii pervicaciæ, adscribendum. Quin subinde, meliorum conscius, pejora dixerit, negari vix potest; nam Pontificiis modo patrocinatus, adulatur Reformantibus, & vicissim Lutheranorum partibus adhærens, cæco in Episcopos obsequio sedulus, Romanæ sedis autoritatem omni opera defendit.* Et paucis interjectis: *Totus denique, quem molitur, Syncretismus genium sapit* Desiderii Erasmi Roterodami, *quem, uti in pluribus imitatus est, ita in hoc conciliandarum religionum negotio viæ ducem comitemque perpetuo habuit. In omnibus fere pendulus ex* Erasmo *fuit, nec multum restat, quin religio ipsorum fuerit eadem, adeo, ut plurima eorum, quæ de religione* Erasmi *a*

 *celeber-*

*celeberrimo* J. A. Fabricio *scripta sunt, hic sibi vindicare possit.* Sub finem denique accuratæ illius lucubrationis adduntur Epistolæ quædam hujus viri, antea ineditæ ex parte, neque indignæ observatu.

## Religions-Untersuchung der Böhmisch- und Mährischen Brüder, rc.

id est,

## *D. JO. GOTTLOBII CARPZOVII, SUPERINT. Lubecensis, Disquisitio religionis Bohemicorum ac Moravicorum fratrum, inde ab exordio cœtuum illorum usque ad ætatem nostram: Accessit D. JOANNIS HEDERICI Examinatio capitum doctrinæ fratrum illorum, quibus, ab ecclesia Augustanæ Confessionis publice privatimque dissentire eos, demonstratur. Ex Latino exemplari recens in Germanicum denuo conversa.*

Lipsiæ, impensis Bernhardi Christophori Breitkopfii, 1742, 8. Alph. 2 plag. 13.

Conqueruntur Theologi nostrates, quod fratres, qui Bohemici Moravicique appellantur, a *Joanne Husso* quondam orti, dudum fanaticas, enthusiasticas, offendiculique plenas, opiniones, loquendique formulas, in ecclesia Evangelica disseminare, orthodoxis negligentiam disciplinæ ecclesiasticæ impingere, ac nostrates ad formam doctrinæ suæ traducere, cœperunt. Sunt, qui eis album adjiciunt calculum. Sunt, qui eos purgant & defendunt. Norunt enim ipsi artem, proceribus sese per commerciorum officinas approbandi, licet in cantilenis suis exiguum, vel nullum, pretium ponant magistratui. Insinuant iidem sese in favores muliercularum obtentu pietatis speciosæ, profundioris in sacras literas perspicaciæ, ac singularis cum Servatore familiaritatis. Ipsi ministros ecclesiæ, quippe qui licentiæ ipsorum sese objiciunt, conviciantur, ac, hos spiritu vique orbos esse, cavillatorie addunt. Acutissime ipsi videntur

videntur sibi cernere, nihilque magis gloriando iterant, quam suas de emendanda Christi doctrina & disciplina molitiones. Quam ob causam terras & maria obeunt, ut sodalem Herrenhutanum, seu fratrem Moravicum, unum alterumque gignant. Retia sua per exploratores ubique terrarum tendunt. Res Cel. Autori cum hisce fratribus jam fuit ac certamen in vindiciis, M. *Waiblingero* oppositis. Sudat denuo in clivo eodem Vir & pietate genuina, & veritatis studio, & scriptorum præstantia, dudum illustris. Quo fine tractationem suam reddidit tripartitam. *Sectione prima* inquirit in origines fratrum, eorumque historiam inde a *Joannis Hussi* tempore usque ad *Lutheri* obitum pertexit. *Sectione secunda* percurrit ætatem recentiorem inde a *Lutheri* excessu usque ad superioris Seculi finem. *Sectione tertia* complectitur ultimos quadraginta annos, ab A. 1701 supputandos. Nec dubium est, fore, ut Vir laudatissimus supplemento uno & altero tractationem hanc augeat atque locupletet. In periodo *Sectionis primæ* fratres illi exstiterunt Wiclefitæ, ac passim cum Pontificiis consenserunt. In intervallo *Sectionis secundæ* fratres sese Calvinianis, seu Reformatis, associarunt. In intervallo *Sectionis tertiæ*, ipsos esse novitatum & reformationum cupidos, mysticismi malesani ac fanaticismi amicos, Reformatis præcipue pollicem prementes, Noster docet, qui in investiganda ipsorum historia adhibuit scriptores fratrum, nominatim *Lasicium*, *Amosum Comenium*, *Joachimum Camerarium*, *Paulum Strahskium*, ac Præfationes, quas fratrum antistites Confessionibus, Hymnis ecclesiasticis, Ordinationibus ecclesiasticis, & scriptis suis publicis, præfixerunt. *Camerarium* hunc, quippe *Efromi Rüdigeri* socerum, a fratribus fuisse inescatum, ostendit ipse ex ejusdem libro *de Fratrum in Bohemia & Moravia Ecclesiis pag. 299*. Consuluit præterea *Æneam Sylvium*, *Dubravium*, *Hagecium*, *Zachariam Theobaldum*, *Frebrrum*, *Balbinum*, *Jablonskium*, *Lenfantium*, ac inprimis *Andream Wengerscium*, qui sibi *Regenvolscii* nomen indidit. Doctrinas fratrum ex Confessionibus ipsorum depromsit, usus editione *Balth. Lydii*, *Kœcheriana* recentissima haud neglecta. In dijudicandis fratrum erroribus rationem habuit Codicis sacri ac

 publicæ

publicæ ecclesiarum nostrarum doctrinæ. Attulit hinc inde consensionem præstantissimorum Theologorum Evangelicorum eo fine, ut, ipsos ab Ecclesiæ Evangelicæ dogmatibus dissonare, ostendat. Doctrinam Herrenhutanorum, seu Moravicorum fratrum, decerpsit potissimum ex sylloge Büdingana, quam ipsi *Vol. I pag. 202* pro sua ac genuina venditant. M. *Georgii Conradi Riegeri Historiam veterum ac recentiorum Bohemicorum fratrum* de recentissimis eorum molitionibus pauca protulisse, ac centonem gloriolarum fraternarum existere, existimat. *Riegerus* certe *Comenium* in cœlum evexit laudibus, acerbum Ecclesiæ Evangelicæ hostem, ac responso Tubingensi potissimum fuit innixus, quo, Herrenhutanos ab Evangelicis haud dissentire respectu dogmatum, statuitur. Spectant huc tria scripta B. *Christiani Mauritii Kromayeri*, Ecclesiastæ *Lutherani* Ringendorfensis in Alsatia, A. 1742 Argentorati publicata, nempe *Hodomoria Zinzendorfiana*, *Symphonia Schwenckfeldii atque Zinzendorfii*, & *exacta examinatio & solida refutatio speciminis libelli dogmatici*. Ex hisce tamen nihil depromsit Autor, inservientibus tamen judicio de *Zinzendorfismi* mole formando. Provocavit subinde ad *Acta historico-ecclesiastica*. *Jo. Hederici Examinationem capitum doctrinæ fratrum*, a *Joanne Lato* A. 1585 jam in Teutonicum conversam, & D. *Selnecceri* Præfatione ornatam, denuo per amicum in vernaculum perspicue & terse traducendam curavit, ut dubitet nemo, fratres illos nunquam pro sociis Augustanæ Confessionis reputatos fuisse. De *Hederico* illo, seu *Heidenreichio*, nonnihil in Præfatione exposuit, remittens lectorem ad fratris sui beati, D. *Jo. Bened. Carpzovii*, *Memoriam Heidenreichianam*, Zittaviæ A. 1717, 8, editam. Quæ quidem ad operis universi summam dicta sunto. Nunc vero nonnullæ sententiæ exinde sunt decerpendæ, atque cum ipso lectore communicandæ.
Pag. 3. In limine Cel. Autor statim ostendit, fratres Moravicos nec a Græca Ecclesia, nec a Waldensibus, sed a *Joanne Husso*, trahere originem. Eo certe combusto assectatores
7. ejus A. 1417 publice a Romana ecclesia abscesserunt, ac in loco, Tabor dicto, eucharistiam sub utraque specie celebrarunt. Cum ipsi A. 1434 ab adversariis Bohemis funditus fere

fere prosternerentur, ac A. 1443 redigerentur ad incitas, reliquiæ ipsorum, sævitiæ superstites, A. 1457 a *Calixtinis* fecerunt secessionem, atque circa illud tempus in fraternitatem coiverunt. *Michael Bradazius* primum eorum egit antistitem. Pag. 11.
*Rockyzanus*, perfidiæ plenus, eos detulit apud *Georgium Podebradium*, ac hunc ad ipsos infectandos & exstirpandos sollicitavit cruento eventu circa A. 1461. Omittimus funestas persecutiones, quibus ipsi successu temporis fuerunt vexati. Hæc fratrum origo confirmatur ex Præfatione, quam fratres ordinationi ecclesiasticæ suæ A. 1633 præmiserunt, ac ex ipso fratrum testimonio, A. 1572 declarato, apud *Camerarium pag. 261 seq.* Abhorruerunt fratres a societate Waldensium & Picardorum, a *Picardo*, seu *Beghardo*, dictorum. Circumspexerunt socios in Oriente, Ægypto, Russia, Italia, Galliis, & Belgio, quibuscum sese conjungerent. *Erasmi Roterodamensis* approbationem obtinere studuerunt. At frustra. Ne quidem *Luthero* cum ipsorum doctrina convenit, & ipse quinque illorum notavit errores, licet de reliquo sese ipsis facilem & amicum præbuerit. Quæ cum Cel. Autor edisseruit, reliqua *Lutheri* cum fratribus commercia literaria haud prætermisit. Inprimis vero luculente demonstravit, *Lutherum* inculcasse sanctitatem & operum bonorum studium, immo gravissimam ecclesiæ disciplinam. *Lasicium* appellavit fratrum panegyristen, fratresque Augustanæ Confessioni sese addixisse, solide negavit. Waldenses cum fratribus in societatem coiisse, negavit suo jure. Laudavit D. *Kœcheri* historicam isagogen ad tres ultimas fratrum Confessiones. Confessiones eorum singulas studiose percensuit, & judicio subactissimo illustravit. Subjunxit huic recensioni doctrinas eorum, ab Augustana Confessione dissidentes, e. g. errorem de VII Sacramentis, de decreto Dei absoluto & particulari, de dextera Dei, ad quam Jesus suit evectus, de sacramentis baptismi & sacræ cœnæ, in signa conversis, &c. Exposuit ac vindicavit verba illa: *Si Deus permiserit, Ebr. VI, 3,* obvia. Locum *Ebr. VI, 4, 5, 6,* de peccato in Spiritum S. commisso exposuit *pag. 210*, reliquosque doctrinæ fratrum nævos candide detexit. Extrema vitæ *Joannis de Lasco* attigit

14. 24. 27. 56. 62. 65. 75. 79. 173. 206.

attigit *pag. 249.* Locum Apologiæ Auguſtanæ *Art. 7,* quo ſub conditione admittitur abſolutio in numerum Sacramento-
Pag. 290. rum, plane dilucideque expoſuit *pag. 260.* De diſcrimine
& 318. Confeſſionum, quas Fraterculi adornarunt, egit ſolicite. Collationem inſtituit, ſub oculos cadentem, inter Confeſſiones Fratrum, A. 1535, 1564, & 1609, evulgatas. Differuit de *Huſſitarum* & Fratrum pſalmodiis. Notat, præter alia etiam in eis legi, *Adami labem mutaſſe noſtram naturam & ſubſtantiam.* Liceat nobis monere, verba eadem eſſe obvia in hymno Evangelicorum eccleſiaſtico, qui per Germaniam ſatis eſt tri-
350. tus, & ſic inchoatur: *Durch Adams Fall iſt gantz verderbt menſchlich Natur und Weſen.* Corruptio certe citra mutationem contingere haud potuit. Sed hæc obiter. Juvat meminiſſe potius argumentorum, quibus Cel. Autor jubare meridiano clarius docuit, Fraterculos Moravicos nunquam ſeſe addixiſſe Auguſtanæ Confeſſioni, hujusque ſociis, ſed Reformatis potius
357. aſſenſiſſe & acceſſiſſe. *Comenii* conciliationem ſententiarum Evangelicæ & Reformatæ Eccleſiæ examinavit, diſcuſſit, & paſ-
379. ſim refellit, obelisque confixit. *Sebaſtiani Schmidii* annotationes, quibus *Lutheri* librum *de ſervo arbitrio* illuſtravit, laudibus ſuis dignas duxit. *Capita Epiſtolæ Pauli ad Romanos 9, 10, & 11,* monuit, haud ſpectare ad decretum abſolutum, ſed ad prærogativam eccleſiæ ſpectabilis, Judæis ademtam, & fideli-
391. bus, e gentium multitudine Chriſto aggregatis, attributam. Elogia, *Amoſo Comenio* per *Riegerum* impertita, moderatius & conſideratius efferenda fuiſſe, monſtravit. Memoravit *Comenii,*
399. in Batavia revelationes ſuorum in lucem protrahentis, fata & controverſias, eumque fuiſſe Fanaticum, oſtendit, licet *Gothofredus Arnoldus* vaticiniis illis pollicem pro more preſſerit, ſuamque accommodaverit aſſenſionem. Tandem proceſſit S. Rev. Autor ad recentiora, oſtendens, regnante *Ferdinando II* Fraterculos fuiſſe diſſipatos, nec Herrenhutanos eis annumerandos
411. eſſe, licet ipſi, ſeſe a Fraterculis ortos fuiſſe, jactitent. De hymnologio Herrenhutano judicium tulit, quod novi fratres veteri Moravico ſubſtituerunt. Tum vero expoſuit acta, molitiones, & fata Herrenhutanorum Indica, Holſatica, Lubecenſia, Oldes-

Oldeslohensia, Pomeranica, Lusatica, Noribergensia, Berolinensia, Francofurtana ad Mœnum, Gothana, Amstelodamensia, Augustana, Hannoverana. Potuissent ea addi, quæ Wernigerodæ, in Hercinia, Ganderhemii, Embecæ, Brunsuici, alibique, a sociis Herrenhutanorum fuerunt tentata, sed eventu caruerunt exspectato. Posthæc disseruit de vita *Nicolai Ludovici*, Comitis *de Zinzendorf & Pottendorf*, qui nunc sese appellat *Ludovicum e Comite a Zinzendorf Fratrum Episcopum*, eumque judicavit esse versatilis ingenii, inconsideratum, affectatorem Apostololatus, Indifferentismi reum, vagum & instabilem animo ac corpore, fervidum, stili theologici novi autorem, rerumque suarum infimum propugnatorem. Non egit Cel. Vir cum Comite, sed cum Episcopo Fratrum e Comite *de Zinzendorf*. Addidit examen doctrinæ Herrenhutanorum, exposuit de eorum odiis sacris, earumque nævos indicavit, immutationes varias ostendit, Catechismum dijudicavit, ac, dicta Biblica in eo passim ad præposterum sensum detorta esse, docuit, metaphrasin Nov. Test. equestrem & licentiosam *Sinzendorffianam* examinavit, ac de ordinatione ecclesiastica Herrenhutana strictim dixit. Subjuncta apparent nonnulla cognitionis Electoralis Saxonicæ rerum Herrenhutensium acta publica. Opus claudit *Hederici* libellus, *Selneceeri* Præfatione, qua Fraterculorum indoles moresque delineantur, ornatus. Agnoscent & Evangelici & Fraterculi, si hi veritatem & salubria consilia pati queunt, laborem Cel. Autoris, ejusque venerabuntur in veritates cœlestes merita, quibus quippe honos suus perstabit, donec ulla ecclesiæ Evangelicæ exstabit mentio, ac ullum monumentum.

Pag. 450.

465.

655.

*CAROLI LINNÆI, MED. DOCT. ET IN Acad. Upsaliensi Prof. Reg. & Ord. Oratio de Necessitate peregrinationum intra patriam, ejusque Elenchus animalium, per Sueciam observatorum. Accedunt JOANNIS BROWALLII Examen epicriseos Siegesbeckianæ in Systema plantarum sexuale, & JOANNIS GESNERI, Med. Doct. Phys. & Math. Prof. Ord.*

 Disser-

## *Dissertationes de partium vegetationis & fructificationis structura, differentia, & usu, in quibus Elementa Botanica dilucide explicantur.*

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Haak, 1743, 8 maj.

Plag. 13.

Collectio horum Opusculorum, ex variis Historiæ naturalis partibus desumtorum, nostram quoque meretur attentionem, cum scripta Virorum in hoc studiorum genere versatissimorum contineat, & haud pauca notatu digna sistat. Oratio Cel. *Linnæi* habita fuit Upsaliæ, cum Medicinæ Professionem regiam & ordinariam susciperet. Ostendit primum, quantum experientiæ in Medicina debeamus, & quod sine illa nullum ratiocinium formari queat, postea declarat, quantum ea peregrinationibus adjuvetur. Monet vero, patrias terras prius perquirendas esse, quam ad exteros progrediamur, &, quænam in itineribus per Sueciam suscipiendis notatu digna occurrant, quæ a Physicis, Metallurgis, Botanicis, Zoologis, Diæteticis, Pathologis, Medicis practicis, & Oeconomis, considerari mereantur, fusius exponit. Additum est Programma, quo Rector Academiæ Upsaliensis, *Andreas Boberg*, hanc Orationem indicit. Elenchus animalium, per Sueciam observatorum, ad ordinem systematis *Linnæani*, olim editi, elaboratus est. Continet enim 1) Quadrupedia; 2) Aves; 3) Amphibia; 4) Pisces; 5) Insecta; 6) Vermes. Singulæ classes in suos ordines distribuuntur, & genera inferiora adduntur, in speciebus vero unicum tantum nomen, citato Autore, qui descriptionem, vel iconem, exhibuit, appositum est. Plenariam hujus Operis elaborationem suo tempore a studiosissimo hoc rerum naturalium indagatore exoptamus & speramus. Examen Epicriseos *Siegesbeckianæ* in systema plantarum sexuale Cel. *Linnæi* Cl. *Browallus* ita quidem suscepit, ut ostendat, objectiones, a Cl. *Siegesbeckio* prolatas, non omni exceptione majores esse, licet aliæ quædam contra illud, tanquam artificiale, formari possint. *Parte I* de Systemate plantarum sexuali in genere agit, & illa exempla plantarum, quæ contra sexum vegetabilium in medium protu-

protulit *Siegesbeckius*, declarat, falsasque inde factas conclusiones refellit. *Parte II* de methodo, plantarum sexui superstructa, differit, & ostendit, nec absonas & naturæ contrarias classes constitui, nec adeo obscuram & difficilem esse, nec genera discrepantia hic conjungi, licet forsitan in alia methodo aliter disponantur. *Parte III* de Aphorismis quibusdam Cl. *Linnæi*, in Fundamentis Botanicis propositis, qui Cl. *Siegesbeckio* paradoxi videntur, differit, illos solide defendit, & præconceptas *Siegesbeckii* opiniones refellit. Dissertationes physicæ Cel. *Gesneri* Physicam vegetabilium generalem exponunt. Vita plantæ est conspiratio actionum, quas planta in sua fabrica exercet secundum regulas motus. Vitæ hujus in plantis duplex actio observatur; una, quæ ad plantæ incrementum, altera, quæ ad ejus propagationem, pertinet. Illa vegetatio dicitur, de qua in prima, hæc fructificatio, de qua in altera Dissertatione agit, appellatur. In vegetatione plantarum & vasa, liquorem vehentia, sive succosa, & alvei, liquoribus pleni, succosis vasis continui, sive utriculi, & vasa, aere plena, sive tracheæ, deteguntur. Quomodo igitur hæc in radice caule & foliis disponantur, & vegetationis mutationes absolvant, fusius explicatur, simulque nutritio plantarum, quatenus per experimenta celeberrimorum Physicorum patet, declaratur. In altera Dissertatione, quæ de fructificatione agit, primo propagatio plantarum per radices, caules, ramos, gemmas, & folia, brevibus describitur, progressu vero ad semen facto, de sexu plantarum in genere quædam proponuntur, illeque per varia experimenta & argumenta asseritur & comprobatur, structura florum, ejusque partium, calycis, corollæ, staminum, & pistilli, exhibetur, & vera fructificationis theoria exponitur. Hæ igitur Dissertationes, quæ Tiguri A. 1740 & 1741 primum publicatæ fuerunt, illis inserviunt, qui compendiariam, sed certam, Physices vegetabilium cognitionem expetunt, cum omnia, huc facientia, concinne proponantur, & solide demonstrentur.

*MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD IN-crementum Scientiarum*, **ab his, qui sunt in colligen-** *dis*

*dis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.*

## *Voluminis II Pars III.*

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium, 1744, 8.
Plag. 12.

Septem sunt *Partis* hujus argumenta. Scenam aperit *Jo. Conr. Schwartzii Observatio de Morte corporis spirituali*, eis meliora docendis destinata, qui opinantur, statum corporis humani illum, in quo libidines pravæ viribus sancti Spiritus sunt domitæ, & imagini divinæ reparatæ locus datur, mortem corporis spiritualem commode dici posse. At mors spiritualis est
Pag. 371. cessatio defectioque imaginis Dei. Perditissimum illum hominis statum sacræ literæ *mortem* appellant. Homines, ea conditione affecti & laborantes, vocantur *mortui Matth. VIII, 22, Luc. XV, 24, 32.* Sanata mente, corpus redditur pietatis instrumentum, vitamque ex Deo profectam ostendit. Hinc homines, ad meliora a Spiritu Sancto reducti, dicuntur spiritualiter *vivi*, *Rom. VI, 13, Eph. V, 14, 1 Jo. III, 14, Rom. VI, 4, Gal. V, 24, Rom. XI, 15, Apoc. III, 1.* Qui pravitati naturæ convenienter vivunt, morte torpent ac sepulti sunt spirituali, *Rom. VIII, 13.* Vita vero Jesu in mortali nostro corpore elucet, simul ac pravitati renuntiavimus per Spiritus S. vires & opem, *2*
376. *Cor. IV, 10, 11, Col. III, 3, 2 Cor. XII, 9, Rom. VIII, 11.* Quicquid autem vivit, & in vitæ communitatem venit, id mortuum, seu vita destitutum, dici nequit. Vitia, corporis negotio committi solita, necari jubentur *Col. III, 5.* Malarum enim actionum exstirpationi tribuitur vita, non mors, *2 Cor. IV, 10, 11, 16, Col. III, 3, Rom. VIII, 13.* Nam corpora renatorum sunt victima viva, *Rom. XII, 1.* Quicquid enim in carne vivunt, id
382. per fidem in Christum directam vivunt, *Gal. II, 20.* Mortua autem opera sunt facinora, & omne malorum studiorum genus, *Ebr. VI, 1.* Ii, qui minus sunt renati, vivi sunt mortui, *1 Tim. V, 6.* Apparet igitur, a scriptoribus divinis dici *mortuos*, quorum animus nutu motibusque Spiritus sancti vacat. Hæc est Observationis summa. Cum vero differant phrases: *sum mortuus,*

*tuus*, & *tibi sum mortuus*, id est, in gratiam & ob arbitrium tuum me non commoveo, nec ago quidquam; mors spiritualis videtur alia esse illa famosa, alia autem hæc, relative dicta. Qui enim in gratiam peccati nihil suscipiunt, peccatique respectu prorsus videntur vitæ & occupationis cujuscunque expertes, illi vocantur in casu tertio *ἀποθανόντες τῇ ἁμαρτίᾳ* *Rom. VI, 2.* Opponuntur enim *τὸ ἐπιμένειν τῇ ἁμαρτίᾳ*, & *τὸ ἀποθανεῖν τῇ ἁμαρτίᾳ*. *Paulus* in gratiam mundi, pravitatibus involuti, sese non commovit, ac ideo dixit: *τῷ κόσμῳ ἐσταύρωμαι, Gal. VI, 14.* At obscuram, novam, & ancipitem, loquendi formulam adhibent, qui hunc statum appellant *mortem spiritualem*. Vocat nos *Petri Zornii Dissertatio de S.* Pag. 383.
*Petro, super mare ambulante, ad Matth. XIV, 28 seq. Albasan*, ad Muhammedanos a Christo transgressus, ex *Petri* casu, cujus vestigiis cœperat aqua cedere, eo audaciæ fuit progressus, ut inde divinitatem Christi oppugnare sustineret. Anne vero id recte tribuitur deficienti cuidam potentiæ Christi, quod erat in defectu fidei *Petrinæ* situm? *Petrum* fuisse totius Ecclesiæ Principem, *Bernardus* Clarævallenses ex eo collegit, quod *Petrus* super aquas, solus ex Apostolis, cum Jesu ambulavit. Argumentum id infirmo stare talo, Noster demonstrat. 392.
Addit, latere in parabola illa parabolam practicam, seu energeticam; Jesum sese præbuisse *navarcham* ecclesiæ suæ, inter medias tempestates laborantis; *navem* esse symbolum ecclesiæ; *mare* imaginem esse imperii Romani, commentitiis religionibus adhuc involuti, & emblema id ipsum repræsentari *Apoc. VIII, 8, XIII, 1, XVI, 3.* Agnovit hanc imaginem *Joannes Braunius* in *Comm. in Epist. ad Ebræos pag. 901.* Succedit huic Disserta- 396.
tioni *J. C. H.* (Jo. Christoph. Harenbergii) *Demonstratio, qua comprobatur, Jesum, morti vicinum, inchoato die XV Nisan, cum discipulis agnum comedisse paschalem.* Solent nostrates ex parte id ipsum vel in medio relinquere, vel inficiari. En vero argumenta Autoris. Primum ita adstrinxit. Jesus primo Azymorum die, cum agnum paschalem mactare erat moris, misit discipulos quosdam suos, ut pararent ea, quæ ad conclave, ad agnum, & reliqua momenta affinia, spectabant. Dies vero Azymorum primus fuit XIV mensis Nisan. En argumentum secundum.

*Petrus* & *Joannes* eo tempore, quo instabat agni paschalis mactatio & esus, agnum Hierosolymis præpararunt paschalem, domi edendum. Pertinent hæc ad diem lucentem En argumentum tertium. Cum discipuli parassent agnum paschalem, Jesus tempore consueto & communi edit agnum paschalem cum discipulis suis, vespera jam exacta, & die XV inchoato. Sequenti autem meridie in crucem actus fuit Servator. Ex Evangelistis hæc ivit comprobatum. Persuadet simul, mactationem illius agni tunc concorditer unico die expeditam fuisse. Aggreditur deinde difficultates, quæ ex opposito sunt obviæ, exsolvere & enervare, præmonens, sententiam, quæ contra-
Pag. 399. rium tenet, a *Marcione* hæretico, eapropter per *Epiphanium* reprehenso, fuisse inventam, & a *Joanne Philopono* plausibilioribus lecythis ornatam. En objectionem primam. *Judæi* noluerunt ingredi aurora imminente prætorium *Pilati*, ne polluerentur, siquidem eis animus erat edendi agnum paschalem, *Jo. XVIII, 28.* Ergo luce sequenti demum agnus paschalis fuit mactatus. Negat Autor, rationem allatam ea conclusione fœcundam esse. *Maimonides* certe tradit, potuisse ex paschali agno *usque ad auroram lucentem* comedi. Verba *Joannis*: ἦν δὲ πρωΐα, eo collineare, Noster monet. En objectionem secundam. Dies, quo Jesus in crucem actus fuit, vocatur *parasceve Luc. XXII, 14,* non solum ratione Sabbati instantis *Jo. XIX, 31,* sed etiam *parasceve Judæorum* sensu eximio *v. 42,* & *parasceve* τȣ̃ πάσχα *v. 14.* Ergo agnus paschalis, Christo in crucem acto, demum fuit mactatus atque comestus. Respondet Noster, admittendam haud esse eam ratiocinandi legem, siquidem παρασκευὴ sit *apparandi actio*, eaque vel paschalis, vel sabbatica. Instabat certe sabbatum paschale, idque ideo dicebatur *magnum, Jo. XIX, 31,* quod in paschalis festi diem incidebat. Pascha complectebatur sextiduum, dies vero azymorum numerabantur septem, *Exod. XIII, 6, 18, Devt. XVI, 8.* Ob priorem rationem *Joannes* primum azymorum diem tradidit exstitisse πρὸ τῆς ἑορτῆς τȣ̃ πάσχα, *XIII, 1.* Apparatus, quem requirebat Sabbatum paschale, erat omnino & multiplex & magnus, eo quod suæ victimæ & ritus erant tum diei paschali, tum sabbato. Caverant Judæi dudum, ne azymorum dies primus in sabba-

tum

tum incideret. En objectionem tertiam. Dies ille, qui excipit illum, quo Jesus in crucem fuit actus, dicitur *magnus Jo. XIX, 31*; ergo ad vesperam ejus ineuntis agnus paschalis demum fuit appositus. Id vero inde consequi efficique, Autor negat, siquidem *magnus* vocatus sit *dies* ille ob conjunctum cum ipso sabbati diem, quod momentum ipse adjunxit *Joannes*. Objectionem en quartam. *Nicodemus* curavit funus corporis Jesu a cruce detracti, quæ actio in ipsum pascha haud quadrat. Respondet Noster, opera necessitatis pepulisse solenniora sabbati dierumque festorum, nec in eis fuisse dilata, vel neglecta. Addit, funerationem illam per proselytos portæ expediri potuisse. En objectionem quintam. Judicia Judæorum capitalia a primo azymorum die fuerunt aliena. Respondet Noster, id tempestate cædem & tumultum spirante haud fuisse observatum; judicia secundum juris normam interdiu quoque fuisse agitanda; Judæos sæpius in hanc normam peccasse. En objectionem sextam. Calculus astronomicus fuit observatus a Judæis ad pascha determinandum, nec cum eo stare potest sententia vulgaris. Respondet Autor, Judæos, templo Hierosolymitano nondum exciso, haud determinasse calculo astronomico convenienter, nec per calculum astronomicum primum paschalem diem in sabbatum incidisse. Corroborat itaque ex hac objectione sententiam vulgarem. Omittimus reliqua. Quartum locum obtinet *Christophori Saxii Continuatio stricturarum in imperium Franci cujusdam libellum de Incerto historiæ Romanorum antiquissimæ*. Gallus is est *Ludovicus Beaufort*, Celsiss. *Friderici Caroli Guilielmi*, Principis Hassiaci, custos ac comes, non diversus ab eo, qui evulgavit Leidæ A. 1741, 8. librum, inscriptum *l' Histoire de César Germanicus*. Controversia illa de incerto historiæ Romanorum antiquissimæ intra Gallias a *Puilio* mota fuit, confidentius dijudicata a *Salierio*. Recentissimus ille Gallus *Puilio* ivit subventum. Noster id inprimis egit, ut non solum ostenderet, certi verique notas historiæ quinque priorum Romæ Seculorum haudquaquam deesse, sed etiam omnes libri partes perscrutetur, & revocet ad veritatem. Redolent hic omnia eruditionem summam & studium antiquitatis Romanæ indefessum. Quæ restant, proxime publicabuntur.

Quinto

Pag. 405.
407.
409.
412.

Pag. 495. Quinto loco apparet *I. A. Ernesti Observatio* ad *Livii Lib. II*
*Cap. 16*, ubi de *Appio* leguntur hæc vulgo: *Cum pacis ipse autor*
*a turbatoribus belli premeretur. Turbatores belli* displicuerunt
*Schurzfleischio, J. F. Gronovio, Drakenborgio.* Defendit eos Noster.
*Turbare* enim est *turbando commovere* apud *Tacitum Ann.*
*IV, 67. Demosthenis* est illud πόλεμος ἐταράχθη. Ita *Livius* vocavit
lictorem *XLV, 29, summotorem aditus*, id est, eum, qui adi-
498. tum facit summovendo. Sextum locum occupat *Vocum aliquot*
*Latinarum, quæ in Lexicis vulgaribus frustra quæruntur, ex pri-*
*scis Autoribus collectarum a Frid Otto Menckenio, Sectio secunda*
*continuata.* Habes hic vocem *Ovidii declivus, a, um, decus* pro
*decussis* positum, Substantivum *dedititius* ex *Livio*, vocem *defigu-*
503. *rare*, Substantivum *degressus*, *Cassiodori* vocem *deificare*, verbum
*delabare* ex *Rhetoricorum ad Herennium IV, 55*, hac sententia,
506. nunc sic interpuncta: *Ille, nulla voce, delabans insita virtute, con-*
*cidit tacitus.* Porro habes hic *Cassiodori* vocem *delusorius*, ver-
bum *Ciceronis demetatus, a, um*, vocem *Nasonis denus, a, um*, il-
512. lud *Cassiodori depopulatrix*, vocem *deverticulum*, a *Terentio, Li-*
*vio*, & aliis, adhibitam, Substantivum *diæteticus*, illam *Scribonii*
*Largi diasmyrnes*, Adjectivum *Cassiodori dissimulatorius*, vocem
*ebiscum*, seu *bebiscum*, *eviscum*, *Ciceronis* illud *ecqui*, illud *Silianum*
519. *effreno*, *Livii* illud *enise*, vocem *epicopus, a, um*, id est, instructus
remis, *epidemeticum*, id est, pretia, quibus provinciales onere ho-
spitiorum suscipiendorum se levarunt ac redemerunt, verbum
524. *esco*, voces *Cassiodori exhæredator, exuberanter, fallacitas, famu-*
*latorie, finaliter*, nec non Substantivum *finitimus* & *frumentarius*,
ac *Cassiodorianum* illud *gehennalis*, cum Substantivo *germana.*
*Gladiolum* succedit, & probatum *Ciceroni hibernum.* Adde *hie-*
*ram*, antidoti genus, & continuationem exspecta. Ultimo loco
534. recens editæ exhibentur aliquot *Gisberti Cuperi* ad *Theodorum*
*Janssonium ab Almeloveen* Epistolæ, antehac latentes. Præfatus
est succincte *Frid. Otto Menckenius*, differens de *Cuperi* episto-
larum fatis ac editionibus. Epistolæ ipsæ multum frugis bonæ,
eruditionem singularem, & antiquitatum præclaram notitiam, aperiunt,
adeo, ut minime sit dubitandum, lectores horum *Mi-*
*scellaneorum* reliquas etiam *Cuperi* Epistolas ineditas lu-
benter cupideque accepturos.

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Septembris Anno MDCCXLIV.*

*Pars II.*

---

## *JACOBI GRETSERI, SOCIETATIS JEsu Theologi, Opera omnia, antehac ab ipsomet Autore accurate recognita, Opusculis multis, Notis, & Paralipomenis pluribus, propriis locis in hac editione insertis, aucta & illustrata, nunc selecto ordine ad certos titulos revocata.*

## *Tomus XIII, XIV, XV, XVI, & XVII.*

Ratisbonæ, sumtibus Joannis Conradi Peez & Felicis Baderi, Sociorum, 1739, fol. maj.

*Tomus* quisque Alphabetis circiter octo constat.

Habent jam, cur a viris doctis, maxime vero iis, qui aliena a nostris sacra sequuntur, decerni sibi gratias plaususque postulent, Bibliopolæ nobilissimi, *Peezius* & *Baderus*, magno quippe, in unum, quicquid unquam a *Jacobo Gretsero* editum librorum libellorumve fuit, tanquam corpus colligendi, nunc demum labore defuncti. Hi enim, deterriti nihil sumtibus immensis, perficiendæ huic rei necessariis, tam strenue intra paucos annos persecuti sunt institutum suum, ut jam superato labore omni, &, quam dederant olim publice, optime liberata fide sua, ex merito gaudere possint. Sed gaudebunt etiam alii, qui, multum interesse rei Pontificiorum publicæ, existimant, ad seros posteros hæc facundiæ, aut, si mavis, loquacitatis, *Gretserianæ* monumenta

propagari. Quibus nos horum gaudiorum nihil invidentes, ceterum ita judicantes, scripta talia, in quibus rabies acerbitasque animorum paginam utramque facit, æternis tenebris, contemtuque omnium, quam luce publica, atque cultu tam decoro, digniora esse, videmur & meritis Autoris, & nostro instituto, daturi satis esse, si, quid sit librorum postremis hisce *Voluminibus* conclusum, quove ordine singula sint disposita, vel brevissimis docuerimus Lectores nostros.

*Tomus* horum Operum *XIII* inscriptus est *Miscellanea polemica.* Sunt enim, quæcunque hic exhibentur, adversus doctissimos quosque illius ætatis viros scripta. Et primum quidem *Francisco Junio*, *Calvinistæ*, & *Joanni Pappo*, aliisque *Prædicantibus* (ita enim hic vocantur,) *Lutheranis*, oppositi sunt *de Jure & more prohibendi, expurgandi, & abolendi, libros hæreticos & noxios Libri duo*, quorum *primo* adjectum est *Examen libelli Martini Lutheri, quo se purgare nititur ob Jus Canonicum, Witebergæ exustum.* Hos excipit *Admonitio ad exteros de Bibliis Tigurinis*, in qua non Tigurini tantum, sed alii quique, a castris Pontificiorum alieni, Scripturæ S. interpretes, stilo *Gretseriano* misere vexantur. Accedit ejusdem *Admonitionis ad exteros defensio contra Licburdum, Tigurinum Sacramentarium.* Inde spectandos se offerunt *Murices Catholicæ & Germanicæ antiquitatis, Sectariorum Prædicantium pedibus positi & sparsi, hoc est, demonstrationes quorundam orthodoxæ Ecclesiæ dogmatum, ex communibus notionibus, vulgatisque sentiendi, loquendi, & agendi, rationibus & formulis, desumtæ, quas nunquam evertent, nisi prius Germanicam linguam, animosque Germanorum, penitus invertant.* Subsequuntur *Vindiciæ Bellarminianæ, & Muricum Prædicanticorum a criminationibus & inscitia Lutherani cujusdam Magistelli Zephyrii, una cum Lutheranæ fidei specillo.* Tum ex pharetra *Tertullianea* tela sumuntur adversus *Lutherum*, *Calvinum*, & alios, quos esse seductores & impostores, ex scriptis *Tertulliani* ostendere conatus est *Gretserus* in libro, ita inscripto: *Pharetra Tertullianea adversus Hæreticos.* Excipit hunc alius, famæ *Thomæ Wegelini* insultans, cui titulum fecit Autor: *Petrus Cnapheus, seu Fullo, in Thoma Wegelino, Lutherano-Theopaschita, redivivus.*

*nus*. Inprimis vero contumeliosissimis probris excipit *Gretserus Æg. Hunnium* in *Labyrintho Cretico-Hunniano*, seu *Disputatione de Hunnio, Prædicante Witebergensi, genioque Lutherano, semet ipsum contradictionibus, fraudibus, mendaciis, & criminationibus, implicante, confundente, & jugulante, in Articulis de Scriptura S., Persona Christi, Officio Christi, Justificatione, Fide, & Operibus*. Nec minor est contumeliarum copia in Commentariolo duplici: altero *in Numisma argenteum, ab Hæreticis de Colloquio Ratisbonensi cusum*; altero *in ejusdem metalli Numisma, in laudem Hussi, Lutheri, & Rabi, sub figura anseris, cygni, & corvi, signatum & vulgatum*. Eidem vero, quem modo diximus, *Hunnio* obtrectatur in *Commentario & Glossis in Orationem Hunnianam de Pseudo-Jubileo Witebergensi*; & in *Marcum Beumlerum* directa est *Disceptatio, utrum verum sit, Zwinglium præcipuum doctrinæ suæ de Eucharistia caput a diabolo didicisse, cum refutatione argumentorum, quæ pro defensione Zwinglii refert Marcus Beumlerus, Sacramentarius*. Inprimis vero maledicentiæ *Gretserianæ* insigne specimen est *Examen strenæ Lauserianæ, non Polycarpicæ, sed Polypseusticæ & Myrioleodoreticæ*, vel ingeniosa inscriptione commendabile scilicet. Clauditur hic *Tomus Judicio Erasmi Roterodami, & Georgii Wicelii, de novo Evangelio, novisque Evangelistis*, nunc primum in lucem edito.

Pergimus ad *Tomum XIV*, Græco-Latinum, quem inscripsit Editor: *S. Gregorius Nyssenus, & S. Anastasius Sinaita*. Nimirum hic varia *Gregorii* & *Anastasii* scripta Græca e tenebris in lucem proferuntur, cum versione horum Latina, & Dissertationibus *Gretseri*, quibus scripta hæc illustrantur. Habes primo loco, Lector, *Gretseri Commentarium duplicem in Psalmorum inscriptiones*, cui addita est Appendix, continens 1) *Prolegomena Gretseri*, in quibus de *S. Gregorio Nysseno*, hujusque adversus *Eunomium* opere, agitur; 2) *Gregorii Epistolam ad Petrum fratrem, Episcopum Sebastenum, de suscipienda refutatione Eunomii, cum Responsione Petri ad Nyssenum*; *Summaria, seu Periochas, duodecim librorum adversus Eunomium*; *Librum primum contra Eunomium*; *Orationem de Pœnitentia*;

Xxx 2 *Vitam*

*Vitam S. Macrinæ, virginis, sororis Nysseni; Orationem tertiam in XL. Martyres; Orationem adversus eos, qui differunt baptismum; Orationem contra usurarios; Orationem de pauperibus & beneficentia; Orationem in principium jejuniorum*; & *Orationem contra fornicarios*; 3) *Lacunas quasdam, in libris contra Eunomium* ex Codice Bavarico & Livinejano *suppletas*; 4) *Addenda Notis Frontonis Ducæi, Soc. Jesu Theologi.* Subjicitur his *Oratio Gregorii in Apostolorum principes, Petrum & Paulum*, a *Gretsero* primum Græce & Latine edita. *Gregorio Nysseno* succedit *Anastasius Sinaita*, Patriarcha Antiochenus, cujus hic legimus 1) Ὁδηγόν, *seu ducem vitæ, adversus acephalos*, a *Gretsero* primum ex Bibliotheca Reipublicæ Augustanæ Græce & Latine editum; 2) *Quæstiones & Responsiones CLIV de variis argumentis*, ab eodem *Gretsero* primum Græce & Latine editas, quibus accesserunt *Nicolai Alemanni*, Bibliothecæ Vaticanæ præfecti, *Observationes nonnullæ ad quædam Anastasii loca*, ab Autore cum *Gretsero*, ad id, ut per eum publici juris fierent, communicatæ.

*Tomum*, qui sequitur, *XV* fortasse ceteris omnibus præferent hi, qui elegantiora amant studia, quod variæ *Gretseri* in Scriptores Græcos curæ hic serventur. Inscripta igitur huic *Volumini* verba sunt: *Græci Scriptores, Latine redditi, vel illustrati.* Primus horum Scriptorum est *Georgius Codinus Curopalata*, cujus *de Officiis & Officialibus magnæ Ecclesiæ & aulæ Constantinopolitanæ* Libri e Græco in Latinum sermonem a *Gretsero* translati sunt. Accesserunt *tres Commentariorum, Observationum, & Emendationum, Libri*, quibus non tantum *Codinus*, sed & varia alia tam Græcorum, quam Latinorum, monumenta explicantur, ac illustrantur, & Dissertatio *de Imaginibus non manu factis. Codini* librum sequuntur *Leonis*, Imperatoris, *Homiliæ novem*, a *Gretsero* primum ex Bibliotheca Bavarica Græce & Latine editæ. Homiliæ hæ sunt: *In sepulturam Christi; in Resurrectionem Christi; in Adscensionem Christi; in Pentecosten; in Festum Palmarum; in Assumtionem D. Virginis; in Annuntiationem D. Virginis; in decollationem S. Joannis Baptistæ; in omnes Sanctos.* Succedunt *Theodori Abucaræ*, Episcopi

Episcopi Cariæ, *Opuscula*, numero XLII, *contra Hæreticos, Judæos, & Saracenos*, primum a *Gretsero* Græce & Latine publicata, versionem adornante eodem *Gretsero* cum *Franc. Turriano*, e Soc. Jesu. Inde legitur *Chronicon Hippolyti Thebani*, quod primus *Gretserus* Græcum & Latinum edidit, fuisque Notis instruxit. Subjecta huic sunt S. *Gregorii Thaumaturgi*, Episcopi Neocæsareæ, *duodecim Capita de Fide*, ejusdemque *Anathematismi, cum explicatione*, ex Codice MSto edita. Inde *Variorum Pontificum ad Petrum Cnapheum Eutychianum Epistolæ decem* ordine succedunt, a *Gretsero*, in gratiam *recentium*, ut vocat, *Fullonistarum* & *Theopaschitarum*, præsertim *Thomæ Wegelini*, *Lutherani Logoduli*, ex Bibliotheca Bavarica Græco-Latine evulgatæ, quibus ex eadem Bibliotheca accesserunt *Libri duo Gregorii Acindyni*, Scriptoris Græci, *de essentia & operatione Dei*, idque, ut *Gretserus* ait, in gratiam *Conradi Vorstii*, *Calvinistæ*, & *Vorstianorum asseclarum, mirifice, imo horrifice, de Deo, ejusque attributis, & proprietatibus, delirantium*. His subjuncti sunt *Gregorii Acindyni Libri duo de essentia & operatione Dei, olim adversus inscitiam quorundam Græcorum conscripti, jam vero contra Calvinianam imperitiam Conradi Vorstii & Vorstianorum Græce publicati*. Reliqua hujus *Tomi* hæc sunt: *Animadversiones & Notationes in Historia Cantacuzenica, a Jacobo Pontano, Soc. Jesu, Latine reddita, locos aliquot parum sanos*; *Prolegomena & Annotationes breves ad locos quosdam Simeonis, junioris, Theologi, & primo quidem in XXXIII ejus Orationes de Fide & moribus, tum Christianis, tum monasticis*; denique *Notæ brevesque Observationes in Philippi Solitarii Dioptræ locos quosdam obscuriores & difficiliores, aliosque Autores adjunctos*.

Quem nunc evolvimus, *Tomus XVI duabus Partibus* distinctus est, quarum *altera* libros eos omnes, quibus de lingua Græca non male meritus est *Gretserus*, continet, ideo inscripta: Δωδέγματα *linguæ Græcæ*. Habes igitur hic, Lector, *Gretseri Rudimenta linguæ Græcæ, cum Catechesi Christiana, Hymnis, & Dialogis quibusdam, ex Jacobi Pontani, S. J. Progymnasmatis, & Catonis Sententiis de Moribus, in Græcam linguam translatis*;

*tis; Institutionum Linguæ Græcæ Librum I, de octo partibus orationis*, cum indice vocabulorum ejusdem *Libri I; Institutionum linguæ Græcæ Librum II, de recta partium orationis constructione; Exercitationem grammaticam in primam Concionem S. Joannis Chrysostomi de Oratione; Institutionum linguæ Græcæ Librum III, de Syllabarum dimensione*, cum *Exercitatione poetica, Notis arithmeticis, & Mensibus Græcorum, deque Græcorum vocabulorum, quibus Latini utuntur, pronuntiatione*; Differtatio *de lingua Græcæ literis, ac pronuntiatione, paralipomenis* aucta; *Nomenclator Latino-Græco-Germanicus; Nomenclatoris* ejusdem *Index*, five *Nomenclator Latino-Græcus*, ordine alphabetico compositus; *Commentariolus de verbis anomalis & defectivis*; denique *Phraseologia Græco-Latina*, complectens *Latinas loquendi formulas*, ordine alphabetico dispositas. *Altera* hujus *Tomi Pars* sistit Lectori *Disputationes Gretseri philosophicas* ac *theologicas*. Et *philosophicæ* quidem hæ sunt: *De Plantis, ex Aristotele potissimum collecta; de primo motore, ex Aristotelis Libro VIII Physices & Libro XII Metaphysices potissimum desumta; de Intelligentiis, & dæmonibus, & utrum Aristoteles dæmones, quos statuit Plato, agnoverit, & approbaverit; de Demonstratione; de Topica & Locis. Theologicarum* autem hæ sunt quatuor: *de Materia & forma Eucharistiæ; de Speciebus Eucharistiæ, qua nonnulla Würtenbergensis cujusdam sectarii mendacia* (ita vocantur *Gretsero*,) *redarguuntur; de cognatione, affinitate, & polygamia, contra sectariorum inscitiam & malitiam; de Judice causarum matrimonialium, deque convenientia & differentia sacrorum Canonum, & legum civilium circa impedimenta matrimonii.*

Qui omnium ultimus est, *Tomus* Operum *Gretseri XVII* duplicem ad universum Opus Mantissam continet, *Partibus*que adeo *duabus* constat. Harum *priore* ea *Gretseri* scripta sunt conclusa, quæ, exstincto demum Autore, a *Georgio Stengelio*, Societatis Jesu Theologo, sunt publicata. Comparent igitur hoc in loco *Adversariorum theologicorum & philologicorum Libri tres, quibus varii Scriptores sacri & profani, Græci & Latini, emendantur, explicantur, illustrantur, multaque Ecclesiæ* Catholicæ

*Catholicæ dogmata & instituta ab hæreticorum calumniis & insectationibus vindicantur*; porro *Judex & dux Hæreticorum hujus temporis, libellus*, Dialogos exhibens tres: 1) *de reperto tandem visibili controversiarum fidei in hac vita judice*; 2) *de reperto recepto a Calvinistis controversiarum visibili & infallibili judice*; 3) *Num possibilis sit Synodus; quis convocet; quos & quales*. Ultimo loco leguntur in hac *Parte Libri quinque de Festo Nativitatis & Epiphaniæ Domini*, quorum *primo* agitur *de S. Die Nativitatis, & Epiphaniæ Domini*; *altero de Magis, Christum adorantibus*; *tertio de Magorum muneribus*; *quarto de Stella Magorum*; *quinto de Cometis*. *Posteriori* hujus *Tomi Parte*, quicquid Operum *Gretseri* aut *ἀνωνύμως*, aut ſub alieno nomine, prodiit, legendum nobis exhibetur. Illa, quæcunque ſunt, hoc ordine leguntur: *Rationes a priore, prorsus apodicticæ & Euclideæ, cur Quintevangelici Prædicantes a disciplinis, ciliciis, adeoque ab omni carnis maceratione, quam diligentissime abstineant, nunc primum publicatæ, studio M. Georgii Schottleri, Freisingensis, S. S. Theologiæ Baccalaurei formati, in gratiam flagellationis Prædicanticæ, non ita pridem Witebergæ in Saxonia institutæ*; cui Operi ſubjuncta eſt *Nicolai Serarii, e Soc. Jesu, Oratio, qua disquiritur, utrum in ullis Lutheranorum, Calvinianorum, aliorumve seculi nostri novatorum, aut fanis, aut conventiculis, verbum Dei proponant, canant, prædicent Prædicantes*; in *Jacobi Augusti Thuani Historiarum Libros Notationes*, Lectoribus & utiles, & neceſſariæ, Autore *Jo. Baptista Gallo*, J. C.; *Compelle intrare, hoc est, Sententia S. Augustini super illa Quæstione: Num heterodoxi metu pœnarum ad fidem catholicam cogi possint*, nunc primum ex Operibus ejus *collecta, & separatim Lectori proposita, a Matthæo Merula, tanti doctoris indigno discipulo*; *S. Bernardi, Abbatis Claravallensis, Opuscula quatuor*, nunc primum in lucem prolata ex Bibliotheca R. R. P. P. Carthuſianorum Erphortenſium; acceſſit *Vita B. Bertholdi, Abbatis Garstensis in Austria*, ex Bibliotheca Viennenſi; *Speculum Præsulis ex verbis S. Scripturæ, Canonum, & Doctorum*, jam olim a R. P. *Claudio Jaio*, uno ex decem primis Societatis Jeſu Patribus, S. Theologiæ in Academia

demia Ingolstadiensi Professore, conscriptum, nunc ex Bibliotheca Episcopali Eystettensi in lucem editum, & notis illustratum, a *Jac. Gretsero*, Societatis *Jesu* Theologo, cum Commentariolo *de Officio Episcopi ex conditionibus a S. Paulo praescriptis; Historia Monasterii Virginum O. S. Benedicti, Rigae a tempore orientis haeresis Lutheranae conservati, usque dum Patribus Societatis Jesu traderetur*; cui Operi subjuncta est *Oratio Apologetica, Monialium nomine scripta a* Bilibaldo Pyrckheimero, *qua vitae ac fidei ipsorum ratio redditur, & aemulorum obtrectationibus respondetur, petiturque, ne per vim e Monasterio extrahantur.* Inde legenda sistitur *Brevis relatio de Colloquio, A. 1613 inter Serenissimum Principem Vademontanum, & Illustriss. Marchionem Badensem Durlaci, circa nonnullos fidei controversos Articulos instituto*, ex Gallico in Latinum sermonem conversa. Ultimum locum occupat *Adrianus Hucherus, Ambianensis minister, jussus aliquot locos ex Bibliis Genevensibus proferre, ad consequentias appellat, & obmutescit, seu Acta colloquii, inter P. Franciscum Veronum, Societatis Jesu, & M. Adrianum Hucherum, Ministrum Calvinistam Ambianensem, de venerabili altaris Sacramento, ex solis Bibliis Genevensibus, praesente D. Duce Longavillano, missa a Domino de Turri, Ordinario Nobili ejusdem Ducis, ad B. de Rotois, Nobilem Virum, ex iis, qui venationi Regiae praefecti sunt*, nunc primum ex Gallica in Latinam linguam translata. Subjectus est *ultimo* huic Operum *Gretseri Tomo* duplex Opusculorum, quae in singulis *Voluminibus* continentur, Index, alter eo ordine haec exhibens, quo in *Tomis* singulis leguntur, alter ordinem temporis, loci, ac formae, quibus scripta *Gretseri* prodierunt, servans. Gratulamur Editori, quisquis est, diligentissimo de exantlato feliciter labore summo, &, ut inde fructus aut ad ipsum, aut ad civitatem Dei, redundent non omnino nulli, ex animo precamur.

LA SACRA BIBLIA, CHE CONTIENE IL VECCHIO ed il Nuovo Testamento, &c.

hoc est,

BIBLIA

*BIBLIA SACRA, QUÆ CONTINENT VETUS & Novum Testamentum, translata in linguam Italicam a JOANNE DIODATI, collata iterum cum textu originali, & correcta a JOANNE DAVIDE MULLERO, M. A.*

Lipsiæ, sumtibus Jacobi Bornii, 1744, 8.
Alph. 4 plag. 4.

Versio Bibliorum Italica, quam *Jo. Diodati*, linguæ Ebrææ Professor quondam Genevensis, composuit, & Genevæ A. 1641 typis exprimendam forma majore curavit, hic iterum, alia licet facie, prodiit. Etenim annotationes, quas Autor versioni suæ addidit, eruditæ non minus, quam solidæ, compendioris usus gratia omissæ sunt, singulari tamen, si Deus cœptis annuerit, volumine aliquando publicandæ. In hac editione Cl. Editor id maxime egit, ut versionem *Diodati* cum textu originali conferret, loca, ab ipso paulo obscurius versa, clarius exponeret, interpunctiones, male adhibitas, secundum optimas Critices regulas mutaret, &, ubi necessitas id postularet, parentheses adderet. Inprimis puriori, & nostra ætate Italis usitato, stilo studuit, vocibusque ac phrasibus, vel antiquatis, vel aliqua obscuritate laborantibus, alias substituit, æquipollentes quidem, sed significantiores clarioresque. Singulis *Capitibus* breve, sed accuratum, ab Editore argumentum additum est, ex quo primo statim intuitu perspici potest, de quo agat, quidve contineat. Omnes tamen parvulæ hæ mutationes non impedient, quo minus hæc nova editio pro vera ac genuina *Diodati* versione recipi agnoscique debeat. Chartæ nitor, literarumque pulchritudo, hanc quoque editionem præ reliquis commendant. Qui plura de hac editione scire cupit, ei Præfationem, quam Cl. Editor præmisit, legendam commendamus.

Sigism. Jac. Baumgartens Auszug der Kirchengeschichte, rc. hoc est,

*SIGISM. JAC. BAUMGARTENII HISTORIA ECclesiastica Novi Testamenti, in compendium redacta.*

 *Pars*

## *Pars I.*

Halæ, ſumtibus Jo. Andr. Baueri, 1743, 8.

Alph. 1 plag. 8.

Quanquam non deſunt, qui & noſtra, & ſuperiori, ætate rerum, quæ in ſanctiori Dei cœtu, inde a nato mundi Servatore, acciderunt, copioſam non minus, quam accuratam, delineationem divulgarunt; placuit nihilo minus poſt illos omnes Autori Summe Reverendo, qui multiplicis doctrinæ laude hucdum floruit, largiſſimas ingenii dotes in nobiliſſimum hoc literarum genus conferre, eidemque laudabili conatu plures amicos cultoresque conciliare. In eleganti, quæ præmittitur, Præfatione, cur ad ſuſcipiendum laborem præſentem ſe accinxerit, primo loco Cel. Autor exponit, poſtea rationem aperit ac methodum, qua in concinnando hoc labore fuerit uſus, denique & continuationem cœpti laboris pollicetur, omneque negotium parvo tempore abſolutum iri, ſpe certa prævidet. In *Prolegomenis* exponitur, quid ſit Hiſtoria Eccleſiaſtica. Commendatur uſus ejus inſignis, in convictione de veritate religionis Chriſtianæ, in vitanda ſuperſtitione religionisque neglectu, in promovenda circumſpectione in converſatione cum ſociis diverſæ fidei, ſpectandus. Tum fontes aperiuntur, quo ſcripta Novi Fœderis præcipue pertinent. Inde venitur ad ſubſidia, quæ vel chronologica ſunt, vel geographica, vel critica, vel philoſophica, nec prætermittitur hiſtoria populorum, literarum, morum, & conſuetudinum, una cum doctrinæ Chriſtianæ cognitione. Ultimo loco de varia methodo, qua libri, in hoc genere confecti, adornati fuerint, diſſeritur. Complectitur jam Autor Summe Reverendus *Parte* hac omnium *prima* ea, quæ ad hiſtoriam Seculi poſt C. N. I ſpectant, nec quidquam prætermittit eorum, quæ ad res illorum temporum plene accurateque noſcendas neceſſaria videntur. Sive igitur res geſtas *Joannis* Baptiſtæ, Chriſti, atque Apoſtolorum, ſive ſtatum Reipublicæ Judaicæ illorum temporum, populique Romani, ſive vexationes Chriſtianorum ſub imperio Cæſarum ethnicorum, ſive turbas, in Eccleſia ea

ætate

ætate excitatas, memoriæ imprimere quis velit, habebit in hoc libro fingula, & aureo ordine propofita, & ftilo eleganti ac lectione copiofa adornata. Liber ipfe diftinguitur per paragraphos, in quibus dicendorum fummam complectitur Cel. Autor. Singulis tamen paragraphis uberior fubjicitur dictorum illuftratio, qua fententiæ aliorum fcriptorum producuntur, examinantur, quæ majori veritatis fpecie fe commendant, ac præfidio monumentorum gaudent, ceteris præferuntur, ac de fingulis argumentis ita differitur, ut & infignis in lectores fructus exinde redundet, & doctrinæ Autoris elegantia haud obfcuris indiciis ubique prodatur. Noftrum non eft, ea jam perfequi figillatim, quæ in hoc libro traduntur, neque opus effe hoc labore, intelligent ii, quibus jam conftat, quænam capita in ejusmodi Compendiis attingenda fint atque excutienda. Pauciffima excerpimus e præftantiori libro, eumque integrum Lectoribus, harum inprimis rerum intelligentibus, commendamus. De *Cœna Christi Paschali ultima* quæftiones præ- §. 41.
cipuas breviter, fed erudite, fub incudem vocat Cel. Autor. Chriftum agnum ediffe, rectiffime affirmat, a recentiorum quorundam fententiis longe alienus. Provocat ad effata trium Evangeliftarum clariffima, felici fucceffu. Producit objectiones, ad easque refpondet. Chriftum cum Judæis eodem die ediffe agnum, antiquiffimam dicit & fimpliciffimam fententiam, cui & ipfe accedit. Contrariam opinionem multa fupponere, addit, quæ partim monumentorum fide confirmari nequeant, partim antiquitatibus Judæorum aperte contradicant. *Cantui galli Hierosolymitani* non adverfari legem Judai- 42.
cam de gallis, Hierofolymis non alendis, erudite docet. Recentiorem videri hanc legem, cui quædam Talmudis Hierofolymitani obftent, recte monet. Nihilo minus, etiamfi lex admittatur, conciliari poffe, non dubitat. In domo enim Pontificis, muro proxima, *Nehem. III, 20, 21*, gallos ante pomœria etiam cantantes, nocturno præfertim tempore, audiri potuiffe, nemo forfan negaverit. Credibile etiam, in *Pilati* ac præfidiariorum domibus gallos nutritos, auguriis inprimis capiendis infervientes. Romanos enim legi Judæorum fe fubjeciffe,

jecisse, verisimile haudquaquam est. Adjungi potuisset adhuc una ratio. Cum Judæi in lege sua vetent tantum, alere gallum intra pomœria, ne illorum sordibus urbs sancta contaminaretur; non obstabat hæc lex iis, qui gallum, die præcedente emtum, hac nocte custodiebant, ut luce sequenti jugu-
§. 46. laretur. *Acta Pilati* ubi producit Cel. Autor, id maxime verisimile judicat, *Pilatum Tiberio* de actis cum Christo multa rescripsisse. *Tiberium* vero ideo Christum in Deorum cooptare voluisse numerum, variis cum dubiis conjunctum esse dicit. Ibidem suspectum habet literarum commercium, inter Christum atque *Abgarum*, ut vulgo traditur, institutum. Exponit de testimoniis Judæorum ac gentilium de Christo, quibus ea, quæ produntur a scriptoribus sacris, sæpenumero confir-
83. mentur. Testimonium de Christo *Flavianum* multis videri obscurum, & aliorsum spectare, recte monet. Commemorat nonnulla de *Actis Simonis Magi*, cujus ultimum vitæ tempus pariter atque mortis genus incertum vocat. Apotheosin etiam illius Romanam, itemque disputationem, cum *Petro* institutam, nullis rationum firmamentis fulciri, circumspecte observat.
95. Ubi de *Apollonio Tyanæo* loquitur, existimat, in disputatione, de Magia *Apollonii*, neque excedendo esse peccandum, neque deficiendo, sed media via incedendum. Fuisse eum acrem sectatorem *Pythagoræ*, docet, cujus discipuli doctrina theurgica, adjuratione dæmonum, & superstitione varia, capti fuerint, quæ quidem *Pythagoræorum* dogmata menti *Apollonii* per pere-
100. grinationes orientales eo altius infigi potuerint. De *Nicolaitis*, quorum de hæresi utramque in partem disputatum fuit, recte pronuntiat, eam vere exstitisse, illudque ex locupletibus
101. veterum testimoniis confici. *Nazaræorum* originem, vel *Ebionitarum*, cum plerisque ad finem Seculi I refert, quamvis, ad Seculum II accuratius transferri, subjiciat. Per eos autem intelligit Christianos Judaizantes, qui temporum successione a Judæorum reliquis, ad Christum conversis, discessionem fecerint, præjudicatis quibusdam opinionibus Judaicis occœcati Sed hic subsistimus, quia προγεύματος ἕνεκα nonnulla duntaxat e libro utilissimo decerpere voluimus, cui nihil deest, quo ele-

gantia

gantia ejus commendari, fama Summe Rev. Autoris novis accessionibus augeri, lectoribus saliva moveri, ac desiderium *Partium* reliquarum, propediem videndarum, prȯduci in animis, incendique, possit.

## *INTRODUCTIO IN PROPHETIAM JOELIS, AC Expositio ejus Prophetiæ, Præside CHRISTIANO FRIDERICO BAUER, S. S. Theol. D. ejusdemque P. P. O. ac Alumn. Reg. Elect. Ephoro, Dissertationibus Academicis illustrata.*

Lipsiæ, sumtibus Joannis Christiani Martini, 1741 & 1742, 4. Plag. 18.

Ignorat nemo eruditorum facile merita Cel. Autoris, accentuationi Ebræorum & sermoni Ebraico illustrando operose & laudabiliter insumta. En, Lector, specimen Viri diligentissimi & novum, & exasciatum! Dissertatio prima complectitur isagogen in vaticinium *Joelis* universum. Singulis deinde *Capitibus* singulæ Dissertationes fuerunt consecratæ. Isagogen vel maxime intueamur. Differitur in ea de necessitate studii exegetici nostris temporibus, respectu ad *Joelem* habito. Additur nonnihil de partibus boni exegetæ, quas ipse impleturus, primo introductionem præmisit perspicuam, deinde accuratam inspiciendis fontibus translationem apposuit, ac tandem in Pag. 4.
subjunctis notis & observationibus sufficientem rerum explicationem & illustrationem attulit. Quantum ad introductionem attinet, canonicam prophetici libri, a *Joele* conscripti, autoritatem divinam demonstravit æque, ac ab aliorum nugis vindicavit. Vixisse eum, regnante *Josaphato*, hujusque temporibus extremis vaticinatum esse, docuit & contendit. Historiam *Jo-* 8.
*saphati*, circa illum temporis articulum notandam, ex *2 Chron. XX* proposuit, & cum prophetia *Joelis* contulit. Hinc partitionem 16.
prophetiæ totius ob oculos posuit, addita totius prophetiæ translatione, ad continuam seriem perlegenda. Subjunxit hisce requisita accuratioris translationis, atque expositionis solidæ. Prophetiam *Joelis* in annum *Josaphati* 24 & *Jorami*

tertium collocavit, diluitque eorum argumenta, qui eam ætati
Pag. 12. *Josiæ* assignant. Prophetiam, ostendit, duas fundere partes, quarum prior respiciat præsentia *Joelis* tempora, posterior ad tempora Messiæ spectet, & mysterium, cur Hierosolyma ultimo excidio a Romanis sit evertenda, aperiat. Eximia sunt illa *pag.* 26: *Licet ex nostris, quas habemus, versionibus doctrina salutaris hauriri & servari possit; multum tamen, præcipue in libris propheticis, superest, nondum satis accurate translatum.* Castigavit deinde translationem & *Joannis Clerici*, & Metaphra-
27. stæ Wertheimensis. Perrexit posthæc: *Non exspectari potest accurata versio ab eo, qui fontium rationes perpendere nescit, quia ipse expers est genii Hebraicæ linguæ. In hac tot sunt momenta, tot arcana ac mysteria, quot sunt literæ, puncta, ac accentuum figuræ, quæ nullam, nisi ignorantibus interpretibus, molestiam afferunt, qui textus Hebraici præstantiam non agnoscunt, discendi vero difficultatem timent. - - Majoribus nostris accuratior tam linguæ Hebrææ, quam accentuationis, cognitio defuit.* Vox גזם *erucam*, ילק *bruchum*, חסיל *asellum*,
39. *Plinii attelabum*, hoc judice, designat. עסיס ipsi est omnis potus, qui contusione, seu calcatione, exprimitur, non modo ex uvis, sed etiam ex pomis, piris, malisque granatis, תירוש
41. vero duntaxat vitium mustum. Per gentem, גוי, *I, 6,* merito *multitudinem hostium extraneam* denotari statuit, opinione eorum, qui, locustas designari metaphorice, judicarunt, merito repudiata. Quis enim locustis tribuet ulla cum specie veritatis dentes validi & provectioris leonis? Quis tribuet eis molares leonis immanis? Anne locustæ decorticant & exscindunt arbores? Vox קצפה ipsi est *cremium*, lignum in
49. partes & frustula redactum, quo ignis solet excitari. תמר ipsi est *palmus*; scribere voluit *palma*. עצרת ipsi est dies, quo ab opere omni feriari solemus, ut precibus intenti simus. Loca deserta, quibus vox מדבר propria est, pascuis inserviisse, perspicitur ex *I, 19, 20,* & *II, 3.* Vocem פארור *II, 6,* Au-
70. tor per *luridum ollæ colorem* exponit, vocem שלח *v. 8* per *emissam cohortem militarem*, manum hosti intercipiendo destinatam delectamque. Formulam מי יודע esse optandi indi-

cem,

cem, ostendit, exemplisque declarat, ita transferendam: *Utinam sit modo, qui perpendat!* Ex hac observatione, ad *Coh. III, 21*, applicata, redundat insignis sensus. De *Nebucadnezare*, hoste Judæorum aquilonari, ac Babyloniis, tandem versus meridiem a *Cyro* profligandis, locum *II, 20*, solide accipit exponitque. In *inciso 23* agnoscit *doctorem ad justitiam*, id est, Messiam, & abundantem Spiritus S. charismatum copiam, quæ per pluviam tempestivam & serotinam illustratur. Sequenti *inciso* inchoari adhortationem, ostendit. *Capitis tertii* initia cum superioribus ita copulavit: *Et hoc fieri deberet posthæc tempore, quo effundam spiritum meum super omnem carnem.* Per *prodigia v. 3* designat Christi miracula, per *sanguinem* eucharisticum sacramentum, per *ignem* linguas Christianis primis immissas igneas, per *columnas fumi* Apostolos, ac omnes Christianæ doctrinæ primos confessores. Sol in tenebras conversus v. 4 indicat; hoc judice, obscurationem solis, quæ Jesu in crucem suffixo contigit, ac *Amoso VIII, 9*, æque innotuit. Per *lunam in sanguinem conversam* notari arbitratur miraculum, quo in aere alterius hemisphærii luna apparuerit subrubra. Liceat pace Cel. Autoris monere pauca, eumve interstrepere. Videntur columnæ fumi, seu fumi in altum educti instar palmarum, vix quadrare ad Apostolos primosque Christianos, luminibus, quam fumo, similiores. Commode servatur notio fumi ipsa. Differuit *Joel* de prodigiis, excidium Hierosolymitanum ultimum præcedentibus. Prodigia in cœlo exstiterunt facies perampla, pulcherrima, & decantata; gladius anceps instar cometæ ardens; turmæ in cœlo visæ. Prodigia exstiterunt in terra haud una, sed multiplicia. Sanguis passim fuit effusus. Ignis absumsit urbes, vicos, villas. Columnas fumi excitarunt copiosæ incendiorum origines. Sol conversus fuit in tenebras optice, fumo aerem ubique occupante ex incendiis. Eandem ob rationem luna rubere visa, quæ ob crebrum in aere sulphur agitatum rubicundum induit vultum. Sed hæc obiter. Autor deductionem gentium in vallem *Josaphati* ita exposuit: *Eodem loco, quo Deus fuderat hostes Josaphati, adjuvabat deinde hostes Juda ac Hierosolymarum. In hoc judicio divinitus fuit* *acta*

Pag. 82.
92.
100.
108.
113.
118.

*acta Christianorum contra Judæos causa.* Haud alibi luculentiorem, ac historiæ tam sufficientem, expositionem *Capitis III & IV* legimus, quam est, quæ hic legitur apud Cel. Autorem.
Pag. 133. Ex metaphrasi & adjecta explicatione *v. 16* intelligitur ratio, cur Jesus morti vicinus alta & fortissima voce exclamaverit *Matth. XXVII, 46, 50.* Rationem hanc Commentatores solent prætervehi. *Vallem Sittim* exposuit Autor per nomen loci proprium, cujus mentio fuit injecta *Num. XXI, 1.* Sed hujus expositionis de virtutibus præstantiaque satis erit dictum, si hoc unum adjunxerimus, quod nemo eat inficias: interpretationem, toti accentuum contextusque seriei exacte respondentem, nondum simili soliditate fuisse a quoquam exhibitam, eamque solam satisfacere inanibus eorum molitionibus, qui prophetias Vet. Test. ad res Judæorum collapsas resarciendas, & ad spes meliorum temporum, justo ampliores, stabiliendas, detorquent. *Incisum* certe *Joelis* amputat spes illas omnes. Deus enim subdit: *Ego peccata eorum sanguinolenta non expurgabo, nec dominus*, Messias olim in templo Judaico habitans, *amplius Zionem habitabit.* Ecquid clarius & dilucidius dici potest? Obsecramus Cel. Autorem publico nomine, ut de reliquis Prophetis eadem perspicuitate & soliditate mereri bene dignetur. Quem in finem ipsi vires animi corporisque, tam salutari operi suffecturas, ex animo comprecamur.

## *ALBERTI MENONIS VERPOORTENII, Ill. Athenæi Gedan. Rectoris & Prof. Publ. ad S. S. Trinit. Pastoris, Analecta ad Libros symbolicos Ecclesiarum, invariatæ Augustanæ Confessioni addictarum.*

Gedani, sumtibus & typis Thomæ Joannis Schreiberi, 1743, 4. Plag. 21.

Id existimavit Cel. Autor sese pignori veritatis, fideliter ad posteros propagandæ, & a portentosis infrunitorum opinionibus defendendæ, debere, ut dignitatem & autoritatem Confessionum fidei denuo curatius expensam publice proponere duceret

duceret operæ pretium. Symbolum olim fuit nota & quasi Pag. 2.
tessera, qua certi alicujus negotii, vel actus, socii ac sodales sese dignoscebant. *Kingii* sententiam, qui symbola fidei derivavit ex mysteriis gentium, in quibus initiati per certas notas & signa a reliquis fuerint discreti, a sese alienam Autor ostendit, laudans *Binghamum*. Symbola nostra habet pro formulis professionis doctrinæ Christianæ, eaque distribuenda docet in œcumenica & particularia. Oecumenica inter eminent *Apostolicum*, *Nicænum*, & *Athanasianum*. Approbant æque Nostri 14.
Anathematismos *Cyrilli Alexandrini*, quos Autor denuo apposuit, decretum Ephesinæ Synodini adversus *Nestorium*, & Chalcedonensis contra *Eutychen*, licet non definiant, an *Nestorius* & *Eutyches* ab omnibus sint dextre intellecti. Doctrina enim publica a quæstionibus historicis potest & debet sejungi. Sym- 4.
bolum Apostolicum ex doctrinis Apostolorum conflatum esse, norunt omnes. Ipsos vero Apostolos id composuisse, & in eo singula Christiana dogmata contineri, merito negatur. Quæ Synodus Constantinopolitana A. 381 de divinitate Spiritus S. addidit Symbolo Nicæno, quod etiam *Symbolum Apostolorum* vocatur, jam A. 350 & 375 in particularibus ecclesiis fuerunt 7.
trita, & catechumenis proposita, licet formula Nicæna posthæc nonnunquam sine illis accessionibus fuerit repetita. *Athanasium* addidisse mala fide Symbolo Nicæno anathema, *Whistonus* sibi persuasit. Noster vero, eum se fellisse, ex *Tom. II Conciliorum Harduini pag. 553* demonstrat. Sententiam Patrum Nicænorum a *Joannis Calvini* & *Eliæ Saurini*, gravius, quam par est, de ea sentientium, telis merito a *Georgio Bullo* & *Petro Jurio* defensam esse, monet. Consensum Symboli Apostolici cum diviniorum literarum pronuntiatis ex *Seldio* exhibet. *Athanasianum* ab *Athanasio* scriptum esse, merito negat adversus *Laurentium Josse le Clerc*, qui A. 1730 illud denuo, licet argu- 12.
mentis infirmioribus, *Athanasio* vindicatum ivit. Suspicamur, autorem illius exstitisse *Vigilium Africanum*. Ferre non potest Vir S. Rev. licentiam sentiendi, qua post *Arminium* Remonstrantes, *Episcopius* & *Curcellæus*, usi sunt, Symbolo *Athanasiano superbiam* & *crudelitatem* impingentes. Collectionis libro- 23.


rum

rum ſymbolicorum Saxonicæ editiones varias recenſet, diſtinguitque Latinam translationem *Lucæ Oſiandri*, a bibliopola Lipſienſi mendoſe editam, a genuina editione, eaque publica & *Selnecceriana*. *Formulam Concordiæ* in Dania, Suecia, & Pomerania, ſucceſſu temporis æque receptam eſſe, ſolide oſtendit.
Pag. 26. Boruſſi Brandeburgenſes, Gedanenſes, Megalopolitani, eam haud minus dudum fecerunt ſuam. Diſſerit Autor deinde de diverſis externæ obligationis gradibus, alicubi conſtitutis, quos
30. ſanxit magiſtratuum populique paſſim conſenſus. Addit nonnihil de reliquis libris normalibus Ruthenorum, Wolferbuttelanorum, Saxonum, Boruſſorum, Noribergenſium, Pomera-
33. norum. Deinde exponit de Confeſſione Auguſtana, ac pronuntiatum *Eſaiæ LIX, 21*, ſimul illuſtrat. Recenſet judicia diſſidentium ac maxime Pontificiorum de illa Confeſſione, quorum partem magnam collegit Cel. *Jacobus Wilhelmus Feuerli-*
44. *nus*. *Hadrianus Sarravia* & *Georgius Bullus* de ea judicium ſatis inſigne & propitium tulerunt; *Calvinus* haud æque ſenſit in literis, A. 1561, 30 Aug. ad *Bezam* datis, licet ipſe A. 1557
46. ad *Mart. Schallingium* ſcripſiſſet: *Nec vero Auguſtanam Confeſſionem repudio, cui pridem volens ac libens ſubſcripſi, ſicuti eam Autor ipſe interpretatus eſt*. Hic vero *Zuinglianis* in Helvetia ſuſpectus fuit, eo quod in doctrina de S. Cœna novis for-
48. mulis fuit uſus, atque iisdem inibi tumultum excitavit. Monet ſalubriter Autor: *Nunquam piis Confeſſoribus in mentem venit, æquali gradu Auguſtanam Confeſſionem noſtram cum Scriptura ſacra, divinitus inſpirata, collocare*. Addit, eam dici *normam, non ipſius fidei, ſed profeſſionis fidei, eccleſiis noſtris per Scripturas divino munere traditæ*; tribui illi ſubinde θεοπνευστίαν, at eam haud immediatam; inhærere ei autoritatem, tum internam, tum externam. Originem ejus repetit ab Arti-
56. culis Suobacenſibus, A. 1528 conſcriptis, Torgæ perpolitis, ac tandem ob recitationem ipſius, in Comitiis Auguſtæ inſtan-
63. tem, elimatis. Oſtendit, e literis *Lutheri*, ad *Melanchthonem* datis, nequaquam patere noſtrorum *mendacia* ac *fraudes* ex negotio Auguſtanæ Confeſſionis. Adjungit momenta reliqua, ad pondus Confeſſionis illius referenda, gratiſſima mente agno-
ſcens

scens privilegium religionis A. C. urbi Gedano a Rege *Stephano* A. 1577 concessum, & a Serenissimis Poloniæ Regibus, qui illi successerunt, confirmatum. Jusjurandum religionis, ab Arminianis, Anabaptistis, Fanaticis, *Christiano Thomasio*, & *Ennone Rudolpho Brenneisen*, ab illius scholis recenti, exagitatum, edisserit. Ostendit vero, postremum horum postea sensisse rectius, ipsumque *Thomasium* sua olim audacius dicta magnam partem improbasse. Verba *Matth. V, 37*, τὸ δὲ περισσὸν τούτων ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν, ita exponit, ut, jusjurandum, simplici affirmationi & negationi adjectum, ex occasione esse mala profectum, existimet. *Si enim*, addit, *nihil in mundo esset mendaciorum, omnesque veritati & sanctitati unice addicti essent, nuda verborum fides plenissime sufficeret, nec ulla esset jurandi necessitas; neque ille divinæ miserationis actus intervenisset, quo Deus nobis per se ipsum jurat.* Confirmat deinde jusjurandum, de vera religione retinenda nuncupatum, *Josuæ*, *Asæ*, *Nehemiæ*, & aliorum, exemplis. Repudiat illos, qui omnes formulas doctrinæ, earumque obligationes, putant sectariis esse relinquendas. Refellit argumenta, doctoribus nostris contraria, oblata a *Christiano Thomasio*, *J. H. Bœhmero*, & *D. Jacobo Schultesio*, Elbingensi, JCto Lipsiensi, & Principis Altenburgensis Consiliario. Privatum *Schultesii* responsum exhibet & dispungit. Distinguit tamen inter doctrinam librorum symbolicorum, & inter eorum allegationes, probationes, phrases, & momenta vocis sententiæque doctorum, quorum ope ecclesia fuit usa. Differit tandem de iis etiam, qui prava simulatione in munera ecclesiastica irrepunt. Incidit ipse in exemplar Apologiæ, quod primo fuit editum, & quidem publico consilio A. 1576, 4, unde discimus, Serenissimum Electorem Saxoniæ, *Augustum*, Theologis, Torgam A. 1576 convocatis, exemplar Augustanæ Confessionis non mutatæ, idque primum, accurate excusum, quam diligentissime 30 Maji commendavisse, ipsius *Martini Lutheri Philippique Melanchthonis* manu signatum. Huic editioni a *Philippo* adjecta est Apologia, ab ipso conscripta, ut formis publicis jam descripta judicio adhuc &

Pag. 72.
81.
85.
99.
104.

 emen-

emendationi *Lutheri* ſubjiceretur. Addidit huic Apologiæ an-
notationes nonnullas *Lutherus*, quibus quidem nihil refellitur,
paſſim tamen aliquid illuſtratur. Exhibet eas Cel. Autor *pag.*
*115 ſeq.* Ex principe illa editione diſcimus, tria fuiſſe in im-
preſſis momenta emendanda. E. g. *pag. 114* legendum eſt *de re-*
*miſſione pœnæ*, ubi vulgo legitur *de remiſſione culpæ*, & *pag.*
*128* legendum eſt: *ſiquidem ſpes ex meritis debet exiſtere*, deleta
voce antepenultima *tantum*. Typis expreſſa fuit illa editio
Witebergæ A. 1531 per *Georgium Rhau*. Per *formam uſita-*
*tæ doctrinæ*, quam *Melanchthon* in Apologia, quantum fieri
Pag. 107. poterat, à ſe retentam tradit, deſignari putat modum enuntian-
di doctrinas theologicas, in eccleſiis Germanicis ante errores
Pontificiorum graviores, ut loquitur, receptum, ac hinc in-
de poſthæc a viris quibusdam bonis non depoſitum. Ita ob
ſpem concordiæ, nondum ea ætate decollantem, voluit *Phi-*
*lippus* συγκαταβαίνειν. Quo obſervato, pateſcit, ipſum non-
nunquam locutum eſſe κατ' ἐπιτροπὴν, ſeu κατὰ συγχώρησιν,
alibi egiſſe ἀγωνιστικῶς & κατ' ἄνθρωπον, alibi θετικῶς diſſe-
ruiſſe. Omittimus complures ejusmodi Viri Pl. Rev. annota-
tiones ad loca ex *Joh. IX, 30, Zach. I, 11, Ezech. XX, 26*, &c.
119. Diſſerit deinde de *Articulis Smalcaldicis*, & eorum in eccleſia
Evangelica autoritate. Enodat loca difficiliora. Oſtendit, *Cle-*
122. *mentem VI* in Bulla jubilæa angelis præcepiſſe, ut ipſi animas
peregrinorum, in itinere Romano morientium, ſtatim deferant
ad paradiſum. *Communem hebdomadam, pag. 307* memoratam,
exponit de dominicæ primæ poſt Michaelis feſtum hebdoma-
de. Verba *pag 313, ut Angelus Apoc. XII ſignificat*, poſtea
126. verbis *Lutheri* ab aliquo addita eſſe, ſuſpicatur, ſiquidem ea
in Corpore doctrinæ Pomeranico haud appareant. Tum de
utroque *Catechiſmo Lutheri* exponit, & meminit elogii *Du Pinii*,
129. Pontificii, quo illum magni fecit. Tandem de *Formula Con-*
*cordiæ* copioſe diſſerit, & ad ſingulos Articulos hiſtorice com-
mentatur. Deſcenſum Chriſti ad inferos vindicat. Subjecit
*Addenda* & *Indicem* hiſce omnibus, ne quid momenti utilioris
libro optimo deeſſet. Dominatur ubique Autoris orthodo-
xia,

xia, candor, mansuetudo, peritia literaria & exegetica. Adjungimus pro ipsius incolumitate preces, &, ipsum diu valere, ex animo volumus.

## Curländischer Kirchengeschichte erster Versuch, etc. hoc est,

*HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CURLANDicæ Specimen primum, in quo de origine & progressu Ecclesiæ Libaviensis, emporii maritimi Curlandici, ex monumentis partim ineditis exponitur. Additur Sylloge Orationum inauguralium, dictarum inter fundationem templi novi S. S. Trinitatis A. 1742, 19 Jul. Edidit M. CAROLUS LUDOVICUS TESCH, Libaviensis Ecclesiastes.*

Regiomonti, typis Joannis Henrici Hartung, 1743, 4. Plag. 12.

Periculum fecit primus Vir Pl. Rev. exhibendi orbis eruditi civibus Historiam ecclesiasticam Curlandicam, per partes edendam. Tentarunt jam nonnihil *Einhornius*, *Hartknochius*, *Rumpæus*, *Conr. Sam. Schurzfleischius*, M. *Samuel Rhanæus*, & *Jo. Georg. Weygandus*. Utriusque vero posterioris thesaurus adhuc est ineditus. Libaviæ nomen per Lettones obtigit *Leepaja*, id est, locus tiliis consitus. Seculo jam XIII ibi habitarunt Ger- Pag. 5.
mani, cum locus Magistro ordinis Livoniæ Ensiferorum subesset. Oppidum ipsum cœpit A. 1625. Lingua Lettica dissemi-
nando Evangelio admodum ibi fuit impedimento. A. 1522 10.
Curlandia accessit Evangelicæ religioni, & A. 1532 confœderatam iniit religionis disciplinam. A. 1560 M. *Joannes Funecius*, Consiliarius *Alberti*, Ducis Borussorum, & Ecclesiastes Re-
giomontanus, Curlandiæ ecclesias invisit & firmavit. Templum 17.
alterum Libaviæ A. 1597 surrexit. Schola A. 1693 fuit constructa. Series Pastorum inibi Letticorum excrevit ad se-
decim; Teutonicorum ipse *Teschius* est nonus. A. 1742 42.

 tem-

templum, honori S. S. Trinitatis dicatum, substitutum fuit veteri novum, Orationibus Rev. *Teschii* inauguratum, quæ subjunguntur tractationi. Faxit Deus, ut Pl. Rev. Autor diu valeat, rebusque felicibus utatur, ut Specimina reliqua per eum nanciscatur civitas ecclesiæ Evangelicæ, ac de vestigiis providentiæ divinæ ubique lætetur.

Gelehrte Anzeigen, in allen Wissenschafften, so wohl geistlicher, als weltlicher, alter und neuer, Sachen, 2c.

hoc est,

*DOCTÆ DENUNTIATIONES ECCLESIASTICArum æque ac secularium, tam vetustarum, quam novarum, rerum, per scientias singulas, quondam denuntiationibus Halensibus per hebdomadas singulas insertæ, nunc tandem collectæ, & indice pleniori instructæ. Autor est JOANNES PETRUS DE LUDEWIG, JCtus, Cancellarius Ducatus Magdeburgici & Academiæ Halensis.*

Halæ Venedorum, ex typographeo viduæ B. Jo. Henr. Grunerti, 1743, 4.

Alph. 7.

Singularis, excellens, & utilissima, hæc Miscellaneorum Collectio natales suos debet particulis denuntiationum, quæ singulis hebdomadibus ex penu Illustris olim Autoris, qui superioris anni die 7 Sept. naturæ debitum reddidit, annos 75 natus, inde ab A. 1729 usque ad A. 1742 loco Novellarum Halæ Salicæ fuerunt publici juris factæ. Argumenta tractationum sunt vel nova, vel rationibus novis exposita. Habes in hac Sylloge, Lector, materiem theologicam, Historiæ ecclesiasticæ propriam, philologicam, antiquitatum & rei numismaticæ indicem, politicam, & ex variis Jurisprudentiæ partibus coagmentatam. Diatribarum haud exiguus est numerus, quæ spectant ad Jus publicum & ad Jus civile Romanum atque Germanicum. Gaudemus merito,

rito, *Tomum* præterea *alterum* consimilium Dissertatiuncularum spei nostræ esse alimentum. Denuntiationum numerus, *Tomo* hoc exhibitarum, complectitur 241 Diatribas rarioris plerumque argumenti. De origine & scopo instituti differit Autor in Præfatione, inibique de multitudine librorum gravissimas ciet querelas. Inter Judaicam gentem eruditos non solum literis, sed opificiis etiam, dedisse operam, contendit. Invehitur in eos præcipue, qui catechismos, orationes ecclesiasticas, systemata & compendia theologica, juridica, medica, & philosophica, ex charta in papirum perpetuo describunt, ac in lucem edunt. Eruditis, qui vitam Autoris composituri sunt, consulendæ sunt præter alia illius ingenii satis vasti monumenta hæ ipsæ denuntiationes, ex quibus quippe constat, ipsum novis veritatibus detegendis dedisse operam, enixum esse centum alphabeta, formis publicis descripta, ex suo fundo ac matrice, intra annos quinque haud invisisse alterum prædiorum, ipsum *Germaniæ Principis Partem alteram* fuisse editurum, & in eo fuisse, ut Corpus legum Germanicarum antiquarum conderet, &c. Offerunt sese hic Edicta regia, notis illustrata. Exhibentur responsa juridica. Traduntur curiosa de literis, pallio Imperatorio adjunctis. Oceanus hic panditur, in quo offerunt sese lectoribus uniones, margaritæ, & gemmæ. Paradoxa est sententia, dictitans, labem originis constitisse in *Adami* precibus, seu desideriis, cujus quippe duntaxat fuerit Deum laudare. Verba Christi, *Matth. XXIV, 22*, tradentis, ob electos decurtari dies illos, exponenda judicat de excidio Hierosolymitano accelerato. Clericorum, judicat, haud esse, de digniori loco controversari. Communionem sacræ synaxeos, putat, a pluribus simul esse frequentandam. Ecclesiasticis ultra horam pro suggestu sacro dicendum esse, negat. Leges singulas Leviticas esse typos Messiæ, negat itidem. Vitulum Aaronicum deauratum pro Deo viali habet. Supplicium crucifixionis esse Judaicæ originis, negat, miratus, Christianorum neminem de fabula sanguinis Tkuphæ scripsisse. Satisfecit vero illi tractationi B. *Zeltnerus*. Quæstionem de prædestinatione

Pag. 62. 154. 310. 371. 383.

tione manere mysterium, rationi haud satis pervium, Autor
Pag. 394. pronuntiat. Leges, quæ in rebaptizantes & rebaptizatos
ultima supplicia edixerunt, percurrit, ostensurus, supplicia,
727. legibus illis definita, spectare ad doctrinas novas. Differit
simul de baptismo ethnicorum & proselytorum Judaicorum.
Miramur sane, ipsum in doctoribus Talmudicis quoque ver-
746. satum fuisse. Inquirit postea, cur conjugium, quod initur
cum vidua avunculi, haud fuerit divinitus prohibitum. *Fi-*
987. *lium hominis* nil aliud denotare ac *hominem*, contendit. Ver-
ba Jesu *Luc. XXII, 36, 37,* de emendis gladiis, egregie expo-
nit de statu, in quem discipuli magistro subvecto transituri e-
991. rant, & in quo ob latrones evitandos, vel, re sic ferente, tol-
lendos, gladio erat opus. *Rahabam*, ad quam speculatores *Jo-*
*suæ* diverterunt, pro vidua honesta, quæ peregrinos & convi-
408. ctores cibaverit, habet potius, quam pro meretrice. Varia &
selecta sunt argumenta, toto *Volumine* comprehensa. Vocem
*gazetta, gazette*, Autor ex vocula Venedica *gazen*, id est,
5. *schwatzen*, loquendo exponere, deducit. Effossionem nitri
refert ad regalia. Crebrarum æstatum siccarum causam tribuit
exsiccationi paludum & silvarum excidiis. *Friderici II* Capi-
tulationem electionis avtographam in curia Halensi superstita-
48. re, monet. An & quatenus jus venandi sit regale, disquirit.
Differit de abusu juris, quod retorsionis vocant. Solennia Ju-
bilei exhibitæ A. 1530 Augustanæ Confessionis, Halæ celebra-
108. ta, recenset. Peregrinationes, extra Germaniam a juvenum
nobilioribus institui solitas, illustrat, & circumscribendas docet.
Exempla hominum, qui aures suas movere possunt, exhi-
112. bet, & ratiocinatione illustrat. Vitam *Justiniani*, a sese edi-
tam, recenset. De origine laternarum nocturnarum amœne com-
mentatur æque ac de pœnis, in milites desertores statutis, nec
122. non de jure *Hagestolziatus*, intra Ducatum Wolferbuttelanum
A. 1730 sublato, jucunde differit. *Benzonis*, Episcopi Albæ,
141. *Libros VII* de rebus *Henrici IV* primus in *Tomo IX Reliquia-*
*rum medii ævi* edidit, miraturque, cur Pontificii hunc homi-
nem ignorent. An fideicommissum possit ob æs alienum, vel
ad

ad elocandas filias in perpetuum alienari, inquirit, ac negando respondet. Bicipitem Imperatoris aquilam ex insignibus Marchionum Brandeburgicorum deducit, a *Treuero* & *Kœlero* tamen ideo notatus. Sed suffecerint hæc speciminis loco in præsens. Argumentorum enim pertractatorum varietas multiplex & numerosa cancellis, quibus institutum nostrum coercetur, includi non potest. Pag. 157.

## Johann David Köhlers, P. P. im Jahre 1736 wöchentlich herausgegebener historischer Müntz-Belustigung achter Theil, &c.

hoc est,

## *JOANNIS DAVIDIS KOELERI, P. P. PARS octava Amœnitatum numismatico-historicarum, A. 1736 hebdomadarum secundum seriem editarum, in quibus varii memorabiles & rari Thaleri, Ducati, Metalliones, & alii singulares ex auro argentoque Numi, numero LXVIII, accurate æri incisi, describuntur, & ex Historia copiose illustrantur, una cum Continuatione sexta delineationis, quæ complectitur plenam Thalerorum collectionem, loco Præfationis.*

Noribergæ, viduæ Christophori Weigelii, senioris, chalcographi, sumtibus, 1736, 4.

Alph. 2 plag. 13.

Læti resumimus hasce Amœnitates numismaticas, progredientes in præsens ad *Partem VIII*, quæ merito Illustrissimæ Comitissæ Imperii, *Amaliæ Carolinæ de Hohen-Embs*, viduæ Illustrissimi *Christophori Adami de Vœhlin in Frickenhausen*, rerum numariarum studiosissimæ, fuit dedicata atque consecrata. Præfationis locum tuetur Continuatio sexta delineatæ plenioris Thalerorum collectionis. Fit initium ab enumeratione Thalerorum, Meclenburgicis a Ducibus percussorum, tum ante, tum post Domus Serenissimæ in prosapias Suerinensem ac

Guftrovienfem divifiones. Occurrunt hic etiam Thaleri Ducales *Alberti de Waldftein*, qui inde ab A. 1628 Cal. April. usque ad A. 1634 terras Meclenburgicas tenuit. Excipit hosce defcriptio Thalerorum Auftriacorum, Comitum Palatinorum ad Rhenum, qui Electoralem dignitatem non tenuerunt, Ducum Pomeraniæ, eisque fuccedentium Sueciæ Regum, qui ducales Pomeraniæ numos feriundos curarunt. Progredimur nunc ad Amœnitates ipsas, monentes, Cel. Autorem, inopinantibus iis, qui minus ipfi favent, in his adornandis nondum defeciffe.

TAB. IV Offert fefe loco primo Thalerus reipublicæ Hamburgenfium
Fig. 1. ad A. 1553, *Joannes* fcilicet *Gerhardus*, & *Adolphus*, Comites
Pag. 2. Holfatiæ, confenfu hæredum ac ordinum provincialium, jus fuum, in numis cudendis pofitum, A. 1352 feria tertia Hamburgo in perpetuum vendiderunt. Imperatores, *Sigifmundus* A. 1435, & *Albertus* A. 1438, nec non *Fridericus III* A. 1475, indulferunt huic civitati jus cudendi numos aureos ac argenteos. Adjungit Autor fata rei numifmaticæ Hamburgenfis, ac nuperas cum Danorum Rege invictiffimo fuper hac caufa controverfias. Excipit hafce Thalerus Abbatiffæ Quedlinburgenfis, *Dorotheæ Sophiæ*, Ducis Saxo-Altenburgicæ, ad A. 1634.
16. Infignia Abbatiffæ cultris decuffatim pofitis conftare, Autor merito negat, fufpicatus, duas indicari limas, decuffatim appofi-
13. tas invicem. Quantum ad pofticam partem numi *Beatricis*, Abbatiffæ Quedlinburgenfis, attinet, eam Nofter fic exponit: *Bea-*
17 feq. *trix Abbatiffa Quedlinburgenfis*. Succedit miffilis numus, index coronationis *Caroli Guftavi*, Regis Sueciæ, ad A. 1654. Coronæ regiæ in poftica circumdata fuit periphraphe memorabilis: *A Deo & Chriftina*. Adduntur jucunda de expetitis a *Carolo Guftavo* nuptiis *Chriftinæ*, ac de ratione, qua regnum
25 feq. ille obtinuerit. Apparet deinde numus infignis vallenfis, A. 1710 ab *Antonio Ulrico*, Duce Brunfuico-Luneburgenfium, percuffus. Additur compendium biographicum, tanto dignum
33 feq. Principe. Sequitur rarum Numifma Lotharingicum, quo repræfentatur Dux Lotharingiæ *Antonius*, fuperftitis lineæ primariæ progenitor, ejusque conjux opulenta, *Renata* Burbonia. Ipfe, cujus vita hic recenfetur, obiit A. 1544, 14 Jun. quem inftar

TAB. IV ad Nov. Act. Erud. A. 1744 Mens. Sept. P. II. pag. 554. 557. 559.

Fig. I.

Fig. II.



Fig. III.

TAB. IV
Fig. 1.
Pag. 2.

16.

13.

17 seq.

25 seq.

33 seq.

instar & effigiem pietatis, amoris, ac clementiæ, haud temere appellaveris. Excipit illud effigies numismatis, quod refert *Henricum Aurelium*, Ducem Longavillæum, Comitem Dunensem, Neocomi supremum Principem, Regis Galliæ ad pacem Monasteriensem Legatum primarium. Adjungitur expositioni biographia. Succedit rarum Numisma, A. 1672 percussum in memoriam *Caroli Paris Aurelii*, Ducis Longavillæi, qui in antica vocatur *Rex Poloniæ designatus*. In postica apparet navis, fluctibus conflictans, cui stella assulget, & perigraphe adjacet: *Afflictis sidus amicum*. Jam oblectat oculos rarissimus nummus argenteus, quo *Henricus II*, Dux Lotharingiæ & Guisius, ad A. 1648 designatur, quem populus rebellis Neapolitanus Regem renuntiabat. Sequitur alius, in ejusdem memoriam A. 1649 factus. Succedit rarus nummus argenteus ad A. 1502, referens tres fœderatas urbes, Ulmam, Uberlingam, & Ravenspurgum. Adjungitur ei expositio de nævis rei nummariæ, quibuscum ineunte Seculo XVI Germania fuit conflictata. Affertur inde Numisma rarum Abbatis Cœnobii Ebrach, *Hieronymi Hœlein de Majori Lanckheim*, ad A. 1591. Additur de Abbate & Eberaco nitida descriptio. Hinc delineatus & expositus sistitur oculis spectantium numus Belgarum mendicantium ad A. 1566. Sequitur Metallio in Heroem bellicum Galliæ, *Henricum* Principem *a Turre Arverniæ*, Vicecomitem *Turenæ*, addita expositione & biographia. Tum conspicitur Thalerus Comitis Lippiæ, *Simonis Henrici*, ad A. 1686, egregius, cui adjuncta fuit brevis historia Comitum Lippiæ inde ab ætate *Lotharii* Saxonis. Succedit Numisma, A. 1733 Florentiæ percussum in honorem *Caroli Sackville*, electi Magistri societatis fabrorum murariorum liberorum (*Freymaurer*, *Free-Masons*). Additur recensio articulorum hujus confœderationis succincta, & *pag. 143 seq.* carmen legitur, quod sodales, ad hilaritatem bibentes, perhibentur decantare. *Carolus* ille *Sackville* inter Anglos est inclytissimus, quippe Dux & Comes Middelsexiæ, primum genitus filius ex *Lionello Cransfieldio Sackvillio*, Duce & Comite Dorseti, Proregis Hiberniæ, adhuc florentis viventisque. Genealogiam familiæ *Sackvilliæ* habemus

Pag. 41 seq.
49 seq.
57 seq.
73.
97 seq.
105 seq.
121 seq.
129.
203.

traditam in *British Compendio Tom. I pag. 114. Carolus* ille, Dux eruditissimus, suæ gentis decus magnum, A. 1736 Florentiæ egit, ibique tribum societatis illius novam instituit. Dux Serenissimus Lotharingiæ, nunc *magnus Dux* Hetruriæ, constituit pariter ejusdem generis societatem Viennæ, ac ipse quondam Londini in eam fuit adscriptus. Producitur deinde Thalerus reipublicæ Ragusæ ad annum 1731, in cujus antica apparet imago S. *Blasii*, Episcopi, pontificalia indutì. Addidit Autor descriptionem illius urbis ac reipublicæ, quam fere in omnibus libris frustra quæsiveris. Subjungitur particula epistolæ, Londino datæ, e qua innotescit, numos, *Rosas nobiles* dictos, primum fuisse cusos ab *Eduardo III* A. 1344, ac deinde a reliquis Regibus continuatos; Nobiles fuisse appellatos, eo quod ex auro constiterint purissimo; eos, in quibus loco crucis exstet rosa, *Eduardo IV* esse attribuendos. Profertur inde numus mnemonicus, quo repræsentatur ad A. 1664 dolium vini capacissimum Heidelbergense. Additur investigatio de origine vitium & vini apud Germanos; *Stieleri* sententia adversus Cl. *Richeyum* vindicatur; vites priscis Germanis denegantur, vinum merum, aliunde invectum, ob *Posidonii* locum apud *Athenæum Lib. IV Cap 13*, eis non subducitur, *Proboque* id ducitur laudi, quod in Gallia Belgica, ad Rhenum, & Mosellam, vites haberi, vinumque confici, jusserit, testibus *Eutropio Lib. IX Cap. 11* & *Vopisci Probo Cap. 18*. Elector *Carolus Ludovicus* dolium Heidelbergense A. 1664 fieri curavit, vineas Palatinatus ditissimas significaturus. Succedit vetustus Lubecensium florenus, a lilio cognominatus, ad A. 1359. Imperator *Ludovicus IV* A. 1340, 28 Nov. reipublicæ Lubecensi concessit privilegium, jubens, ut *aureus Lubecensis* æquet pondus *floreni aurei de Florentia*, id est, ducati. *Albertus & Ericus* fratres, Duces Saxo-Lauenburgenses, A. 1359 reipublicæ Lubecensi in die Palmarum oppidulum Mœllen cum lacu, dominio, & advocatia, ad oppidulum pertinente, domicilio suo, vectigali, ac reditibus 40 marcarum, oppignorarunt, receptis $9737\frac{1}{2}$ marcarum denar. Lubec. monetæ. Ex quo contractu deinde lites enatæ fuerunt diutinæ Lubecenses inter & Duces, quæ maximam partem

tem exstiterunt numariæ. In conspectum deinde prodit nummus mnemonicus, index nuptiarum, quas *Reginaldus*, Dux Mutinensis, cum *Charlota Felicitate*, filia Ducis Brunsuico-Luneburgico-Hannoverani, *Joannis Friderici*, A. 1695 contraxit. Addit Autor in expositione ea, quæ ad originem stirpis Estensis illustrandam faciunt. Subjungitur bracteatus *Alberti*, primi Marchionis Brandenburgici, ad A. 1170, qui filius exstitit *Ottonis*, Comitis Ballenstadiensis. Exhibentur in eo oculis duæ personæ, stantes juxta sese, vultu obverso, baculum vexilli apprehendentes. Ad dextram S. *Northbertus*, tum nondum cœlitum albo inscriptus, in pontificalibus vestimentis consistit; ad sinistram *Adelbertus* conspicitur, ornatus veste loricata, talari, galea, & clypeo, dextram trabem transversam præferente, qualem generosi Domini, *de Stammer* cognominati, nunc adhibent. Perigraphe sic habet: ADELBERTVS. MARCHIO. Ipse *Adelbertus*, ex *Ottone* & *Eilica*, secunda Magni Ducis Saxoniæ filia, genitus, A. 1123, Marchio Saxoniæ dictus, cum Rege *Lothario* infaustum iniit bellum Bohemicum, ab hostibus captus. *Otto Frisingensis Lib. I Cap. 21 de gestis Friderici I Imp. nobilissimum Marchionem de Saxonia* appellat. *Helmoldus* vocat *Lib. I Cap. 62* ad A. 1148 *Marchionem de Saltwidele*, & ad A. 1164 *Marchionem orientalis Slaviæ*. A. 1121 vocatur adhuc *Comes de Ballenstide* in Diplomate, quo *Reinhardus*, Episcopus Halberstadiensis, Cœnobium S. *Laurentii* Scheningense confirmavit, quo nomine avus ejus, *Adelbertus*, & *Otto*, pater, æque veniunt apud *Annalistam Saxonem ad A. 1062 & 1106*. Marchionatus vero, alium post alium, *Adelbertus* junior tres obtinuit, primo Lusatiæ A. 1124, quem paulo post *Lotharius* in comitiis Leodii A. 1131 ei ademit; deinde Saxoniæ septentrionalis, quem Soltwedelensem vocant, A. 1134; porro *Ducatum* A. 1138 impetravit *Saxoniæ*; tandem Marchionatum obtinuit Brandenburgi A. 1142, a *Prebizlao*, arcis Brandeburgi possessore, tum sine hæredibus defuncti, institutus hæres. Ipse A. 1162 Belgarum plurimos ad Havelam & Albim illexit, teste *Helmoldo Lib. I Cap. 88*. Confer *Albericum ad A. 1157 pag. 331*, & *Hermannum Cornerum ad*

Pag. 155 seq.

169 seq.

TAB. IV Fig. 2.

*ad eundem annum pag. 705.* *Adelbertus* sese in Diplomatibus passim vocavit *Marchionem de Brandenburg ad A. 1144 & 1147*, quem imitatus fuit filius *Otto* in numis suis, quos Ill. *Joannes Petrus de Ludewig* produxit *Tom. VII Reliqu. MSt. pag. 584 Tab. I n. 1 & 2, & Tab. IV n. 107, 110.* *Adelbertum* exstitisse advocatum Cœnobiorum, constat, Ballenstadensis ad A. 1167, ecclesiæ Goslariensis Comesque Cometiæ, in qua prædicta possessio sita erat, nec non cathedralis ecclesiæ Magdeburgensis. Vide *Becmanni Hist. Anhalt. pag. 154 & 474, & Heineccii Antiq. Goslar. Lib. II pag. 154.* Sequitur figura & descriptio numi obsidionalis quadrangularis ad A. 1646, referens obsessum
Pag. 185 seq. Newarckum, oppidulum Comitatus Nottinghamensis; cui subjicitur Numisma, repræsentans *Ludovicum* Burbonium, Comitem Veromanduensem, præfectum classis Galliæ declaratum, ad A. 1678, ex *Valieria*, cujus adjungitur vita, & *Ludovico*
193 seq. *XIV*, R. G. natum. Excipit illud numus *Edwigi*, Regis Angliæ, ante A. 959 cusus. In antica legitur: EADVVIG REX ✠. Additur ei numus *Ludovici Pii*, Imperatoris, in cujus antica conspicitur crux intra medium, & in perigraphe verba hæc: HLVDOVICVS IMPerator. In postica expressum apparet nomen oppidi, in quo est percussus, scilicet: ✠ VENECIAS. *Lotharius*, ipsius filius, Venetiis in Italia itidem numos feriri jussit. *Le Blanc* posteriorem numum jam exhi-
225 seq. buit *pag. 108 n. 18.* Exhibetur hinc pulcher Thalerus geminus, Basileam urbem, & octo ejus advocatias, repræsentans. Addidit
233 seq. Autor urbis Basileæ descriptionem. Tum expromitur Numisma Ducis Albæ, Pro-Regis per Belgium, victoriæ primæ index,
241 seq. ad A. 1568, quem illustrat Ducis Albæ biographia. Succedit typus primi Thaleri, A. 1542 Bremæ percussi, quem jam attulerat *Lilienthalius* in libro: *Vollstændiges Thaler-Cabinet, n. 1309.* Archiepiscopis jam *Ottones* Imperatores jus monetæ concesserunt, illi partem ejus, vel jus ipsum, subinde oppignorarunt senatui urbis, qui tandem a *Carolo V* obtinuit jus
249 seq. cudendi numos. Subjungitur numus funebris, memoriam *Joannis Friderici*, Ducis Brunsuico-Luneburgici, referens;
257 seq. quem excipit Numisma, quo Russorum Imperatricis, *Annæ Joannowna*,

*annowna* initia solii imperialis & coronatio delineantur, ad A. 1730. Sequitur rarior Thalerus, quem, sede Archiepiscopali Moguntina vacante, Capitulum Reverendissimum feriundum curavit; nec non alius urbis Stadæ ad A. 1621, cujus origo investigatur, quæ a Comite *Sigfrido*, qui ibi castrum exstruxit anno circiter 1004, repetenda est. Porro repræsentatur oculis antiquus & rarissimus *Olai III*, Regis Sueco-rum, ad A. 1000 circiter referendus numus, quem repetivimus. Ipse sese primus vocavit Suedorum, seu Sueoniæ, Regem, titulumque Regis Upsaliæ delevit. Rex *Sdevorum* pro *Suedorum* per incuriam typopœi legitur. In altero latere conspicitur SNELLINC MOnetarius. Vox decurtata ZI notat urbem vetustam *Sitbunam*, seu *Sigtunam*, ad lacum Melorum, in qua sedem *Olaus* habuit regiam. Sigthuna & vetus & nova periit. Rex Christianam Sueciæ religionem primus firmiter invexit & impressit. Succedunt Thalerus *Stephani*, Poloniarum Regis, ad A. 1736; Florenus aureus equestris Capituli ad S. *Albani* juxta Moguntiam ad A. 1712, cui adjungitur S. *Albani* & Capituli descriptio; Numisma *Joannis Christophori de Westerstetten*, Episcopi Principisque Eichstettensis, ad A. 1613; rarum unilaterum Numisma *Eduardi Fortunati*, Marchionis Badeno-Badensis, cujus nævi & vitia notantur merito; Thalerus postremi Ducis Saxo-Lauenburgici, *Julii Francisci*, ad A. 1673; Thalerus rarior *Diterici* Fürstenbergensis, Episcopi Paderbornensis, ad A. 1618; Numisma Regis *Ferdinandi I* Bohemicum, thura ex calice adscendentia, id est, precum characterem, designans, sine anno; Numisma, quod D. *Balthasarem Beckerum*, diabolorum averruncum, refert, ad A. 1692; superstitiosus, incantationi proprius, numus, vocatus vulgo *Talisman* & *sigillum solis*; Thalerus *Ferdinandi Gonzagæ*, Principis Molfettæ & Comitis de Guastalla, ad A. 1620, cum biographia; Numisma, referens inclytum numismaticæ rei artificem, & Medicum Augustanum, *Adolphum Occonem*, ad A. 1606, cum ejus biographia; Scotanum Borussicum e primis Numisma, in cujus antica insigne Magistri Ordinis & inscriptio: MAGiSTer WVNRICuS PRIMuS, ac in

Pag. 277.
281 seq.
TAB. IV
Fig. 3.
Pag. 283.
297.
305 seq.
313 seq.
337 seq.
353 seq.
361 seq.
369 seq.
377 seq.

in postica circa crucem leguntur verba: MONETA DomiNORVM PRVCIæ. Numus obsidionalis Mindensis ad A. 1634. Qui hosce excipiunt Numi, sunt ævi recentioris, ideoque a nobis prætermittendi. Quibus varietas doctrinæ, ingenua & modesta sentiendi libertas, soliditas scientiæ, & studium numismaticum, probantur, eis hæ Amœnitates non possunt non probari.

## *SCRIPTORES RERUM MARCHIÆ Brandenburgensis.*

## *Pars I.*

Francofurti ad Viadrum, apud Jo. Godofredum Conradi, 1742, 4.

Alph. 1 plag. 2.

Cum Cl. *Georgius Gothofredus Kusterus* Opuscula, sermone Germanico conscripta, & ad historiam Marchiæ Brandenburgensis spectantia, colligere cœperit, eisque præfixerit titulum *Collectionis Scriptorum, Historiam Marchicam illustrantium*; Autor constitutum habet ac deliberatum, scriptores, de rebus Marchicis Latine commentatos, *Tomis* nonnullis in lucem protrahere, ac junctim evulgare, ut *Nicolai Leutingeri* Operibus quasi *Continuatio* quædam sit in promtu. Continet hæc *Pars Georgium Sabinum* de *Appellatione, situ, moribus, ac populis Marchiæ Brandeburgensis*, *Martini Schoockii Historiæ Marchio-Brandenburgicæ antiquæ Libros IV*, nec non *Christophori Hendreichii Annalium Marchiæ Brandenburgicæ Librum I. Sabini* liber ille, ante quadraginta annos rarus, comparet editus in *Observat. Hal. Tom. VIII pag. 468*, ac olim adjectus fuit *Scriptoribus rerum Germanicarum*, quos *Reinerus Reineccius* collegit, atque Francofurti ad Mœnum A. 1581 forma maxima emisit. *Martini Schoockii* & *Hendreichii* scripta sunt fragmenta. *Schoo-*
Pag. 10. *ckiano* scripto huic præmittitur hoc loco *Descriptio Marchiæ*, a *Carolo IV* Cæsare instituta, seu Epistola *Nicolai de Bozuania* ad *Lambertum*, Argentinæ Episcopum, qua nonnihil gestorum *Caroli IV* in Marchia recensetur. *Schoockiana* historia magnam partem

partem exponit Germaniæ potius priscæ, quam Marchiæ, momenta. Et quid nondum reclusis scriniis ac tabulariis actorum publicorum sperari poterat magnificum ab extraneo? Langobardos partem Suevorum constituit *Schoockius*, &, a longis barbis denominatos fuisse, arbitratus fuit. De Suevis antiquissimis Pag. 120.
luculente & copiose exposuit. Dolendum sane, historiam a viro celeberrimo ad ætatis recentioris haud fuisse provolutam intervalla. *Hendreichius* æque a rebus vetustissimis primas lineas inchoavit, ac ultra Teutonorum Cimbrorumque ad Aquas Sextias cladem haud processit. Digna tamen erant hæc viro- 191.
rum olim celeberrimorum monumenta, quæ ad posteros transmitterentur. Gratulamur Autori tam nobile institutum, eumque volumus publico nomine cummaxime rogatum, ut ei strenue instet, ac Latina, quæ passim latent, Diplomata inedita majoris pretii cum seculo, dapum earum avidissimo, communicare ne dedignetur.

## MODI DI DIRE TOSCANI RICERCATI NELLA loro origine,

id est,

## *RATIONES LOQUENDI TUSCANICÆ, IN origine sua exquisiti.*

Venetiis, apud Simonem Occhi, 1740, 4.

Alph. 2.

Evolvit revolvitque Cl. Autor in itinere *Ægidii Menagii Origines linguæ Italicæ*, cœpitque eis annotationes adjicere, quas tandem revidit, auxit, limavit, & in ordinem redegit. Hæc libri est origo. Primordia capit a phrasi *infilare gli aghi al bujo*, id est, acubus trajicere filum in crepusculo, quam adhibent Itali de eo, qui dicit de re, cujus notitia caret. De fiscina ficorum, ac panaria, seu reticula, e virgulis flexibilibus contexta, adjungit nonnihil exquisiti. Itali, temporis vicissitudinem in pejus designaturi, adhibent hanc loquendi formulam: *Non è più il Tempo, che Berta filavà, non est am-* Pag. 17.
*plius tempus, quo Berta nebat*, deducendam a *Berta*, quæ fi-

 lorum

lorum subtilissimorum textum nequiit in foro Patavii vendere, ideoque *Bertæ*, *Henrici IV* Imp. uxori, donavit, recepitque doni loco tantum in Montagnana agrum, quantus filis illis circumagi ac limitari potuit, teste *Assolsio* in *Officina historica*, Italice conscripta, *pag. 390.* Modum, quo *milites* olim renuntiati sunt viri generosi, solide exponit e scriptoribus ætatis
Pag. 72. mediæ. En ritum & cerimoniam. Caput & barbam comere decebat, deinde intrare balneum in signum abluendi peccati vitiique cujuscunque, postea se in lectum conferre intaminatum præeunte viro, cui hæc cura fuerat mandata, exire aliquantulum e lecto, & drappo albo nitidoque vestiri, induci toga coccinea, caligis rufis vestiri, surgere & cingi zona alba in signum munditiei & castitatis, suscipere calcar auratum, ac cingi ferro, tandemque albam capiti infulam imponere. Monet
121. idem, priscos Italos vocasse fœminam sanctam *Mona*, ex *madonna.* Itali de eo, qui causa cecidit, vel ad incitas redactus est, adhibent genus loquendi *ha toccato scacco matto*, id est, attigit locum ludi, ubi *Rex mortuus est*, nec pauxillulum va-
182. let. *Schach* est rex, *mat* ex מות est *mortuus.* Addit huic phrasi commentarium de ludo Scachico, seu Zatrikio, non con-
184. temnendum, ac versus R. *Abrahami Aben Esræ* de eodem. Non est nostrum, præstantissimas e libro hoc decerpere rosas; nam is est instar viridarii, in quo tetrum & fastidiosum oculis occurrit, eorum vero, quæ spectatorem retinent, insignis varietas & commendabilis multitudo.

## *SIGEBERTI HAVERCAMPI INTRODUCTIO in Antiquitates Romanas. Accedit Index, qui ordine Alphabetico Antiquitates easdem complectitur.*

Lugduni Batavorum, apud Gerard. Corts, 1740, 8.

Plag. 10.

Clarissimi Autoris mens est in Præfatione, ut studiosus harum antiquitatum dicta professorum privata opera in animum revocet, eaque cum dictatis, aut quæ ipse in legendis scripto-

scriptoribus antiquis animadvertit, ad futuros usus in adversaria ordine referat. Quo facto, ad ipsum opusculum progreditur, & *Partis I Cap. 1* urbem Romam considerat, quæ primo Pag. 1.
anno Olympiadis septimæ fertur condita, cujus nomen antea Latine *Valentiam* fuisse, nonnulli existimant. Ad magnitudinem Romani nominis pertinet, quod in ea urbe pietas in Deos, justitia in cives, virtus in bello & moribus civium, floruerit. De Diis agit *Cap. 2*, quorum antiquissimi erant penates, etiam 2.
Samothraces & magni dicti, quos *Æneas* secum Troja attulisse credebatur. Cultus deinde publicus invaluit ætate *Romuli*, quo Deos XII majores, *Consentes* dictos, sex maribus, totidemque fœminis, constantes, Romani venerabantur. Inter minores, quorum numerus iniri non potest, fuerunt quidam ridiculi & turpes. Loca sacra *Cap. 3* occurrunt. Templa, a cavo cœli 3.
spatio, ejusque apud augures descriptione, dicta, habebant tectum fastigatum, quo privata ædificia carebant. Fana erant loca, fatu religiosa facta. De delubrorum nomine ob sententiarum varietatem nihil certi definitur. Sacellorum structuræ templis erant minores. Dedicatio locorum horum omnium fiebat certa formula, nomine & titulo inscribendo, & ultimo postem tenendo. In ornatu templorum statuæ, seu imagines, eminent, minio plerumque coloratæ, quarum genua incerabantur, manus extensas prætereuntes & adorantes exosculabantur. Juxta templa in locis sacris erant altaria structuræ altioris; minoris aræ, a precibus dictæ; quas Græci *ἀρὰς* vocant, unde *κατάρα*, imprecatio. *Cap. 4* recenset personas sacras, ex qui- 4.
bus eminet Pontifex maximus, cujus potestas, jurisdictio, & dignitas, erat magna, qua *Gratianus*, Imp. Rom. eum plane exuit. Augures, quorum numerus impar fuit, nomen habent ab augurio, seu avigerio, a disciplina Hetruscorum profecti, quibus præerat augur maximus. Duumviri ab initio erant duo, tandem XL, consulebant libros Sibyllinos, & lectisternia curabant. Virgines Vestales creabantur a Pontifice maximo hac formula: *Te, amata, capio.* *Vestæ* triginta annos inserviebant, quibus exactis, nubere poterant. Earum officia erant, perpetuum ignem alere, qui Cal. Mart. quotannis renovatur,

Palladii curam agere, sacra *Dei Fascini* curare, aquam ex fluvio Numico haurire, molam salsam ter in anno facere, ad regem sacrorum certo die ire, ægrotantium rationem habere. Iis præficiebatur virgo Vestalis maxima. Corrupta virgo in campo scelerato viva defodiebatur. Hoc sacerdotium duravit usque ad tempora *Theodosii.* Fratres Arvales & Curiones, inter quos erat Curio maximus, Septemviri Epulones, curabant lectisternia. Feciales clarigatione jurati hostibus in eorum finibus bellum indicebant, & tum dicebantur *res repetere*, jacta hasta ferrea, aut Romæ in area templi *Bellonæ.* Pacis tempore, porca silice percussa, fœdera sanciebant ritu & formula: *Jovem lapidem jurare.* Sodales *Titii*, a *T. Tatio* dicti, sodales Augustales, habebant regem sacrificulum, qui, sacrificio facto, ex comitiis fugiebat, convocabant patres & populum ad curiam Calabram, inferorum sacris fungebantur. Inter flamines præcipuus erat flamen dialis, qui apicem gerebat. Flamen Martialis urbe abesse non poterat. Quirinalis jura habebat cum Martiali communia. Eorum præterea minores erant multi. Salii, a saliendo dicti, anciliorum curam habebant. Eorum societas constabat ex patriciis nobilissimis juvenibus, quos inter numerabatur *M. Aurel. Antoninus. Pileati* vocati, quia in capite apicem gerebant, quorum munus erat ancilia in templo Martis reponere, quæ mense Martio inter saltandum, & carmina saliaria, quæ verbis obsoletis & obscuris erant referta, recitandum, per loca urbis celebria portabant. Erant etiam virgines saliares. Ancilia a quodam *Mamurio* erant fabricata. Formulæ in hoc sacro: *condere ancilia, movere ancilia*; malo omine *Mars vigila.* Luperci, a *Pane Lycæo* ex Arcadia nuncupati, mense Febr. *Pani* capram sacrificabant, nudi urbem circumibant, non sine petulantia; erantque juvenes nobiles, quibus se *M. Antonius* aggregasse dicitur. Hæc sacra sub *Anastasio* sunt sublata. *Pinarii* & *Potitii* ab *Hercule* dicti, quorum hi in tempore sacrificiis aderant; illi autem secus. Bonæ Deæ sacra in honorem filiæ *Fauni* a Vestalibus peragebantur in domo Consulis, aut Prætoris, a quibus viri aberant, eorumque picturæ. Sacrificabant porcam. Crater cum lacte & vino dicebatur mellarium. Infamia hæc sacra

cra fiebant aliquando *Clodii* exemplo in uxore *Cæsaris*. Galli, sacrificulorum vilissimi, Deæ Magnæ erant sacerdotes ex Phrygia, exemplo *Attydis* castrabantur testa Samia ad cantum tubarum & tibiarum in hoc die festo. Stipem mendicabant apud Græcos cum asello, cui imaginem Deæ imposuerant, quam apud Romanos solenni pompa transvehebant. Æditui, a tuenda æde, & quæ in eadem asservabantur, dicti, curabant animalia sacra, peregrinis donaria, picturas, &c. enarrabant. Camilli & Camillæ, a Thuscis & Phrygibus nuncupatæ, adhibebantur ad nuptiarum solennia; in sacris administri erant festis diebus. Popæ & victimarii opera in hostiis percutiendis versabatur. Vox erat ad sacerdotem: *Agone*, unde agonalia. Vestis, qua succingebantur, limus appellabatur. Præficæ, conductæ in funeribus, aliis carmine præibant, quod nænia vocabatur; ad rogum canebant laudes defuncti, quibus circumstantes respondebant. Designatores etiam aderant, virgam manu tenentes; alias in spectaculis & ludis conspicui. *Cap. V* cultum sacrum perlustrat, preces Pag. 12.
inprimis & supplicationes. Adoratio fiebat vel jactatione osculi, vel rotatione corporis, vel manibus sublatis puris, vel advolvendo ad pedes simulacrorum. Operto capite fiebant preces, monitore præeunte; in sacrificiis, solenni formula, in qua Deorum nomina recensebantur. Qui vota fecerat, dicebatur *voti reus*; qui consequebatur, quod cupiebat, *voti damnatus*. Supplicationes, seu supplicia, & in publicis & gravioribus malis, & in lætis rebus, a Senatu indicebantur in unum aut in plures dies, in uno aut in pluribus templis habenda, aliquando circa omnia pulvinaria. Cum iis lectisternia, a senatoribus structa, passim conjunguntur. Deabus sellæ sternebantur, unde Sellisternia. *Cap. VI* occurrunt sacrificia in honores di- 13.
vum, quæ hostiæ & victimæ dicebantur, a sacerdotibus probatæ, & divisæ in majores & minores; aliquando ex cibo & farina confectæ. *Cap. VII* ritum explanat sacrificandi, in quo sa- 14.
cerdotis, silentium indicentis, erat formula: *favete linguis*. Sacerdos inter cornua victimæ mitis molam salsam spargebat, & ex patera partem meri affundebat. Popa ejus frontem malleo percutiebat; jugulum fodiebant ministri. Coxæ Diis adoleban-

tur in ara ramis felicibus, ex quorum flamma atque exstispi-
cio capiebant omina; unde *prosecare*, *prosecta*, *porricere*. In
flammas ignis vinum, oleum, mella, fundebantur. Hinc *libare*
& *vergere*. Post sacrificium vox erat: *ilicet*, quæ aliquando
vocantur *verba novissima*. In epulis carnes consumebantur, qua-
rum partem sordidiores domum secum auferebant. Supellex
Pag. 15. sacra *Cap. VIII* erat adspergillum, candelabrum, capis, discus,
lanx, patina, patella, præfericulum, simpulum, vel sympuvium,
16. thuribulum. Lustrationes *Cap. IX*, a lustro dictæ, quod a Græco-
rum λύω, solvo, videtur oriri, pertinebant ad urbes & oppida in
publica calamitate; ad castra & exercitus post pugnam, mor-
bos. Verba ritus propria erant *ambarbium* & *ambarvale*. Lu-
strabatur Roma singulis quinquenniis. Lustrabantur homines
post cædem patratam, post ominosa somnia; quod fiebat cir-
17. cuitione, aqua, & sulphure, quæ *lustramina* dicebantur. *Cap.*
*X* continet oracula & divinationes. Deorum responsa Latini
dicebant oracula & sortes. Omina rei publicæ causa erant au-
guria, quasi avigeria, quæ extra urbem capiebantur. Certa
cœli regio, quæ templum dicebatur, designabatur lituo, &
observabant augures, quid aves, seu oscines, seu præpetes, pie,
aut obscene, addicerent. De bono omine erat formula, *omen
accipere*. Ars pullaria usui erat in bellum proficiscentibus,
qui pullos secum ferebant caveæ inclusos, qui emissi cum gra-
na objecta caperent avide, sic, ut pavirent, unde terripavium
& tripudium, lætum erat omen; sin minus, malum. Aruspi-
ces ex extis omen capiebant, in quibus observabant colorem,
motum, cor, quod si deficiebat, res erat pessimi ominis. Exta,
quæ nihil præsagiebant, *muta* dicebantur; quæ boni aliquid, *lita-*
19. *re*. Annus sequitur *Cap. XI*, a Græco ἀνανεῖσθαι dictus. *Romuli*
erat decem mensium; *Numæ* duodecim; lunaris, a *Julio Cæ-
sare* ad cursum Solis emendatus, qui & annum intercalarem
invenit. Annus, quo *Julius* fastos emendavit, *annus* dicitur
*confusionis*, quem excepit annus *Gregorianus*. Calendæ *Juno-
ni* erant sacræ, quibus senatus habebatur, usuræ exigebantur,
nec licebat nuptias celebrare. Nonæ indicebantur a Pontifici-
bus. Idus *Jovi* erant sacratæ. Dies *naturalis* habebat XII ho-
ras;

ras; *civilis* XXIV horas. Dierum divisio erat in festos, profestos, fissos, seu intercisos, comitiales, comperendini, prœliares, atros, alliares, cannenses, fastos, & nefastos. Ludi *Cap. XII*, a Lydis dicti, apud Romanos præcipui *Circenses*, a circo; *scenici*, a scena, in qua edebantur, erantque *tragœdia*, a Græca voce τράγος, hircus, præmii loco; *comœdia*, a κῶμος, rustica saltatio; mimi & pantomimi *Fescennini*, ab urbe Campaniæ Fescennino appellati, turpia erant carmina. *Atellana*, ab Oscorum urbe Atella appellata, quam pueri nobiles recitabant. Dicti *exodarii*, quia sub finem ludorum exodia dicebant. Ad munera pertinent ludi gladiatorii. Gladiatores instituebantur a lanistis, qui rude, ferula, peccantes castigabant. Batuebant, hoc est, rudibus pugnabant, par pari; unde par bene comparatum, compositum, & compositiones. Pretio qui ad pugnam revocabantur, dicebantur auctorati, unde verbum *auctorari*. Victores accipiebant palmam, postea pilum. Venationes oriebantur a tesseris & missilibus, in vulgus sparsis; exhibebantur in Circo; noxiæ & crudeles a *bestiariis*, qui cum feris, ex provinciis undique conquisitis, pugnabant, homines temeritate atque audacia insignes, hinc *parabolani* dicti. In Naumachia repræsentabantur pugnæ & historiæ antiquæ; aquæ ad hunc usum per canales poterant subito immitti & dimitti. Pugna erat crudelis, qua multi peribant. Ludi *Megalenses* fiebant honori *Magnæ Matris*, cujus effigiem *Corn. Scipio* ex Asia secum attulerat, octo dies. *Cereales*, a *Cerere* dicti, in Circo a matronis equorum cursu celebrabantur. Translatio imaginum fiebat cum pompa, & proponebatur *ovum mysticum*. *Florates*, a Dea *Flora* nuncupati, exeunte Aprili mense cum obscenitate agebantur. *Martiales* ab *Augusto* sunt instituti. *Apollinares* comœdiis & tragœdiis erant conspicui. *Capitolini*, a servato Capitolio ab incursione Gallorum appellati, referebant certamina Poetarum & scenicorum. Victores primi accipiebant coronam lemniscis intextam, qua secundi carebant. *Circenses*, a circo maximo dicti, curabant ædiles. *Consuales*, equestres, Deo *Conso* erant sacri. *Compitalitii*, instituti tempore *Tarquinii Prisci*, fiebant sub Regibus sanguinarii. Fiebant in compitis a servis. *Piscatorii* trans Tiberim. Inter ludos

Pag. 20-26.

dos seculares erant *Terentini*, a loco, in quibus pueri & puellæ nobiles, tempore messis, poema & vota nuncupabant, dicti; durabant usque ad *Honorii* ætatem. *Funebres* erant scenici & gladiatorii. *Juvenales* in prima barbæ tonsione. *Honorarii* fiebant a magistratibus, munus auspicantibus opera scenicorum. *Ludicri* erant saltatio Pyrrhicha, a *Pyrrho*; Trojæ lusus, seu decursio Trojæ, ab *Ænea*, & fiebat in Circo, adhibebantur *desultores*, qui, pileo & scutica ornati, inter currendum ex equo in alium transiliebant; quo nomine inconstantes appellantur. *Pars*
Pag. 27. *II*, de rebus civilibus, *Cap. I* de civitate Romana, & de tribus ordinibus, agit. Civitas Romana habebat magna privilegia, cui peregrinitas opponebatur, cujus rei erant, qui falso jura Romanorum usurpaverant. Ordo patricius, seu senatorius, a *Romulo* institutus, deinde varie augebatur, ad quem requirebatur ætas, ordo, census. In senatu habendo aut in curia, aut in templo Apollinis, vel Bellonæ, rarius sub divo, formula erat, *referre ad senatum*. Qui aliis assentiebantur, pedibus plerumque in eorum sententiam ibant; unde *pedani senatores*; qui secus, de iis formula: *in alia omnia abire*. Interrogandi vox erat: *quid censes?* unde discrimen inter *decretum* & *senatus autoritatem*. Ordo equestris ab equo publico. Illustres gerebant augustum clavum, in transvectione trabeam, in sinistra
29. annulos, quorum privatio erat pœna. *Cap. II* de magistratibus Romanis agitur. Consules, olim Prætores, a consulendo dicti, post Reges habuerunt jus vitæ & necis, quod *Valerius Poplicola* minuit; sub *Augusto* nomen dignitatis nudum erat. Eorum ornamenta constiterunt toga prætexta, picta, trabea, fascibus, quæ virgæ ex arbore betula erant colligatæ, & differebant ab imperatorum fascibus, quæ erant laureatæ. Consules triumphantes ornabantur sceptro eburneo, aquila insistente. Prætor, a præeundo appellatus, primus fuit *Sp. Fur. Camillus*. Formula, *do, dico, addico*. Munia, jus dicere, & curare ludos. Edictum prætorium erat annuum, licet dicatur perpetuum; unde lex Cornelia de observatione edictorum perpetuorum. Ejus insignia currus & toga picta in Circensibus; toga prætexta in judicando, quam invertebat, aut exuebat, dicturus sententiam capitalem.

In

In & extra urbem habebat lictores cum fascibus. Censores, a censendo populum dicti, creati sunt comitiis centuriatis, & initio quinque annorum. Bis Censorem fieri, erat invidiosum. Hunc ejurare prius oportebat odia privata. Recensebat equites, unde transvectio equitum. Formula: *traduc equum.* Qui stipendium impleverat, manu equum ducere solebat. Sedebat Censor in sella curuli ex ebore. Ad Ædilium curam pertinebat urbs, annona, ludi solennes. Quæstores, a quærendo nomen habentes, creabantur in comitiis tributis, eratque quæstura primus gradus ad honores, quem adipisci poterant circa annum ætatis vicesimum septimum. Quæsturæ provinciales erant lucrosiores, quam Italicæ. Urbani curabant ærarium, a pecunia ærea sic dictum, eratque hoc sub clivo Capitolino, qui vocabatur Saturni. Ab hoc differebat sanctius, quod pecuniam ad calamitatem reipublicæ sublevandam asservabat. Tribuni plebis, a tribu dicti, nihil jubere, sed *vetare*, poterant. Mense Decembri magistratum inibant, nec his extra urbem pernoctare licebat. Quæstionem Autor movet, *utrum Tribuni fuerint magistratus*, an *jurisdictionem*, & an jus intrandi senatum, habuerint; quam non solvit. Triumviri capitales noxios ad columnam Mæniam flagellis cædebant. Nocturni rationem habebant incendii, ne fieret. Monetales signabant pecuniam. Curatores viarum publicas vias procurabant. In magistratibus extraordinariis *Cap. III* erant Dictatores, quos necessitas publica invexit. Primus erat *T. Lartius* ex Patriciis; ex plebejis *C. Marc. Rutulus.* Habebant sibi adjunctum Magistrum equitum. Feriæ Latinæ quotannis in monte Albano peragebantur cum sacrificio, quod *Latiar* dicebatur. Decemviri consulari potestate legibus ferendis creabantur, quæ Athenis petebantur, erantque decem, & biennio post duodecim; unde *lex XII Tabularum.* Tribuni militares consulari potestate postea creati sunt; nonnunquam interrex. Formula: *prodere interregem*, & tempus illud dicebatur interregnum. Triumviri R. P. C. civilis potestas haud fuit, sed tyrannica conspiratio ad rempublicam perdendam. Ad extraordinarios magistratus pertinent Præfectus annonæ, & Triumviri mensarii, qui differebant a monetalibus. *Cap. IV* agit de Comitiis. *Curiata* dicta a curiis, in quas populus erat divisus,

Pag. 36.

39.

divisus, in quibus creabantur magistratus, qui in provincias ibant. *Tributa* a tribubus appellata, quæ erant XXXV, in quibus magistratus minores creabantur. De pace agebatur, consultabatur, an duces, re bene gesta, triumphum, quem postulabant, meruerint. *Centuriata* a centuriis dicta, in quas populus erat divisus. Magistratus in eis majores, Consules, Prætores, Censores, nonnunquam Proconsules, creabantur. In campo Martio fiebant, edicto Consulis. Ponticulum transeuntes, ferebant suffragium in positis ibi cistulis, quibus adstabant custodes, qui vetabant
Pag. 41. sexagenarios adscendere; unde proverbium: *sexagenarios de ponte*. *Pars III* res militares complectitur, in quibus *Cap. I* de militia terrestri. Ad pedites referuntur Velites, Hastati, Principes, Triarii. Multitudo peditum vocabatur cohors; minor numerus manipulus, qui in centurias dividebatur. Equites primum ex ordine equestri, postea ex omni genere civium, scribebantur; dividebantur in turmas & alas. Certus numerus ex peditibus & equitibus constituebat legionem, ad quam initio nemo admittebatur, nisi qui civis Romanus. Acerbitate temporum libertini & servi conscribebantur. Delectum faciebat Consul. Vacatione utebantur sacerdotes, vitio corporis affecti, quadraginta sex annis majores, aut qui stipendia confecerant. *Evocati* vocabantur, qui redibant ad militiam.
42. Arma *Cap. II* erant hastæ velitares, missiles, graviores hastatorum conti, pila, lanceæ, jacula. In oppugnandis urbibus locum habebant machinæ, testudo, crates, vineæ, plutei. Aliquando cingebant urbem corona; hinc *corona capere*. In aggeribus exstructis erant brachia, loricæ, cervi, turres, tormenta, catapultæ, balistæ. Murum ariete quatiebant, aut cuniculis suffodiebant. Obsessi cuniculos adversos agebant, machinas in muris disponebant, faces in hostium opera jaciebant, arietum ictus lana & pannis effugiebant, adscendentes pice &
43. sulphure appetebant. Duces *Cap. III* ex annuis magistratibus vocabantur imperatores, penes quos erant auspicia, quibus legati, operam vicariam præstantes, erant additi. Tribuni militum olim distinguebantur in Ruffulos & Comitiatos, postea Laticlavii & Augusticlavii dicti. Centuriones ducebant ordines. Triariorum princeps *primipilus*, & officio functus *primipilaris*,

*nipilaris*, dicebatur. A portando aquilam aquiliferi, a signis signiferi, vocabantur. *Cap. IV* docet profectionem agminis, castrametationem, & aciem instruendam. Profectio exercitus vocabatur agmen, eratque vel quadratum, vel pilatum. Metatores castrorum præibant cum decempeda. Si milites in castris unam noctem commorabantur, vocabatur mansio; sin minus, stativa, quæ in æstiva & hyberna dividebantur. Prætorium ducis edito loco erat positum, cui quæstorium erat oppositum, deinde tribunorum. Locus inter hæc, & militum tentoria, vocabatur *post principia*. In castris milites servabant stationes, & excubias agebant. *Vigiliæ* erant quadripartitæ ad clepsydram, quarum signum dabatur buccina. Equitum *circuitiones* dicebantur. Ubi ventum erat ad hostes, acies instruebatur. *Caput V* memorat tesseras, symbola, & signa. *Signa militaria* in exercitu ad aciem instructo, ætate *Romuli*, erant manipuli fœni vel graminis perticæ alligati, deinde clypeolis ornata cum imagine imperatorum. *Vexilla* habebant pannum, aut supparum, quod ventus agitabat. Legionum signa erant aquilæ, aureæ, aut argenteæ, quæ perticæ imponebantur. Symbola erant faculæ, aut ignes, hostium adventum significantes. Tesseræ, seu signa, tuba dabantur; quod dicebatur *classicum*. *Caput VI* de præda, stipendio, & commodis militiæ, disserit. Præda ad Quæstorem deferebatur; oppida & castra hostium aliquando dabantur militibus diripienda; tandem imperator aliquid ex præda eis concedebat. *Stipendium* a *stipe*, hoc est, uncia, & a verbo *pendere* dictum, cujus summa initio erat tenuis, quam *Cæsar* duplicavit, *Augustus* denis in diem assibus auxit. Frumentum quoque menstruum accipiebant. Ad commoda pertinet, quod emeritis agri distribuerentur, & in colonias deducerentur, quæ *militares* vocabantur. *Caput VII* de præmiis & pœnis militum exponit. Imperatoribus dabatur triumphi honos. *Triumphans*, decedens cum exercitu ex provincia, manebat extra urbem, donec in æde Bellonæ de triumpho decretum esset. Die, quo in urbem invehebatur, summum ei erat imperium. Intrabat curru vectus eburneo, ductis ante se ducibus hostium, prosequentibus *militibus laureatis*, qui donarium ab eo accipiebant. Ad forum cum maxima pompa accessisset, duces hostium, in carce-

Pag. 44. 45. 46. 47.

carcerem rapti, strangulabantur. Ovans urbem pedibus introibat, deinde equo. *Dona militum* erant coronæ, civica, obsidionalis, muralis, vallaris, seu castrensis. Dabantur quoque torques, phaleræ, hastæ. Inter pœnas levior erat *flagellatio*, quæ per centurionem fiebat vite, hordeum, discinctio, stipendii imminutio, transcriptio ordinis, exauctoratio cum ignominia. Gravior & capitalis *fustigatio*, *securis*, *decimatio*. *Navalem militiam* antea Romani ignorabant, quam bello Punico primo tentare cœperunt. Triremis Punica erat occasio classis fabricandæ, cujus curam Duumviri agebant. Navis erat turrita, qua dux vehebatur, & dicebatur prætoria, ex qua facem & ignem de nocte accendebant. Primus, qui mari victoriam reportavit, fuit *C. Duillius*, qui manus ferreas invenit; corvi & har-
Pag. 50. pagones deinde accesserunt. *Pars IV* de rebus domesticis agit, in quibus *Caput I* occurrit de nuptiis & matrimonio tractatio. Romani in matrimonio ineundo respiciebant nationem, conditionem, genus, & sanguinem. Ipsum matrimonium fiebat confarrea-
51. tione, coemtione, & usu. Ritus nuptiarum *Caput II* recenset. Virgo ex gremio matris rapiebatur, deducebaturque in domum sponsi, quæ floribus & corollis ornata erat, sibique cavebat, ne limen tangeret, sed id supergrederetur. Sponsa, flammeo, zona, &c. exornata, convivio nuptiali excipiebatur, &, cum sponsus & sponsa cubitum irent, pueri *carmina Fescennina* canebant. *Caput III* agit de repudiis, divortiis, & contubernio. Sponsalia dissolvebantur repudio, cujus erat formula: *Conditione tua non utor*; matrimonia divortio, cujus formula: *Res tuas tibi habe*; quo facto, uxor abiit, & claves tradidit. *Contubernium*, licet proprie inter servos fuerit & servas, tamen dicebatur de muliere in lectum adscita, quæ loco justæ uxoris erat. Educatio sequitur
52, 53. liberorum *Cap IV* & *V*; cui postremo Autor præmisit ritus recens nati infantis, quem humo tollebat pater, si suum agnoscebat; sin minus, exponebatur. Expositis, necessitate urgente, *crepundia* addebantur, ut partus cognosci, & ad lares suos posset redire. Vitali partui a parentibus die lustrico nomen dabatur, & convivium natale, seu puerperale, habebatur, & quotannis natalis, etiam principum & magnorum virorum, celebrabatur. Principum & optimatum liberi habebant *pædagogos*, qui

qui eos comitabantur in ludum literarium; tenuiorum comites
vacabantur *capſularii*. Virilem togam ſumentes a patre & pro-
pinquis in forum deducebantur. Adoptionis *Cap. VI* magna Pag. 54.
erat ſolennitas. Si quis liberos teneros alteri civi adoptandos
dabat, ea actio vocabatur *emancipatio*, fiebatque per æs & li-
bram, & certo ritu venditionis & emtionis. Arrogatio voca-
batur, ſi quis puber & ſui juris ſe alteri adoptandum dabat, id-
que fiebat comitiis curiatis. Servi *Cap. VII* erant vel nati, vel
facti, & pro officio atrienſes, clavigeri, aquarii, ſalutigeruli,
& quotidie dimenſum capiebant. Servi nequam caſtigabantur
ad *columnam Mæniam*. Fugitivi cognoſcebantur ex ænea ta-
bella, a collo ſuſpenſa, in qua crimen inſcriptum. Servi fru-
gi raro ultra quinquennium ſerviebant. Poſt manumiſſionem
fiebant *liberti* & *libertæ Cap. VIII*, capiebant pileum, togati & 55.
caligati obambulabant, nomen mutabant, Diis ſupplicabant.
Manumiſſione juſta fiebant cives Romani *per vindictam*, circa
quam ritus per cenſum, per teſtamentum, requirebantur. De-
dititia a libertate arcebantur; latina liberi fiebant tribus mo-
dis, inter amicos, adhibitione convivii, per epiſtolam. Con-
vivia, eorumque ritus, ſequuntur *Cap. X.* Locus vocabatur 57.
cœnaculum, ſeu cœnatio. Lectuli ſtrati a numero convivarum
dicebantur biclinia, triclinia. Priſci & heroes ſedebant ad men-
ſam, poſtea accumbebant. In ſingulis lectis accumbebant tres,
hinc locus ſummus, imus, medius. In pretioſas ponebant ſo-
leas. Numerus raro ſupra novem. *Propinatio* fiebat ex nu-
mero literarum, quibus nomen conſtabat amicæ, cyathos mi-
ſcebant. Veſtis *Cap. XI* virorum exterior erat *toga*; interior 58.
*tunica*, eaque longior, ſub qua ſubucula, ſuper qua induſium.
Mulierum *ſtola*, ad talos uſque, pallium, inſtita, vitta, mitra,
ſtrophium, faſces, ſeu ſtrophium pectorale, zona, ſoleæ, ſan-
dalia. Laſcivæ mulieres *Cois veſtibus* utebantur, ita perluci-
dis, ut nuda membra conſpicerentur. Ritus mortuorum *Cap. XII*
finit opuſculum. Propinqui morientium oculos claudebant,
qui in rogo aperiri ſolebant, excipiebant eorum halitum ſu-
premum ſtudioſe, clamorem tollebant anima exeunte. Cada-
ver lavabatur, ungebatur, alba veſte ornabatur, in lectulo po-
nebatur verſus fores. Funeribus ſummorum hominum adſta-

bant pueruli, qui ventum mortuo faciebant. Ante elationem in sandapila præco indicebat exequias. In funere muliebri feretrum non humeris, sed manibus, portabatur. Funera noctu, virorum illustrium die, efferebantur. Rogus, in quo cremabantur, erat varie & pretiose ornatus, (erant autem familiæ, quæ non cremabantur,) quo facto, fiebat ossilegium, cineres in urna condebantur, præcoque clamabat: *Ilicet*, seu *ire licet*. Urnæ demum asservabantur in monumentis, vel columbariis, passim inscriptionibus exornatæ. Libellus hic prælectionibus scholasticis, aut academicis, satis accommodatus videtur.

## *CLEMENTIS XI, P. O. M. VITA, INSCRIPTA Emin. & Rever. Principi ANNIBALI Card. ALBANO, Episc. Sabinen. & S. R. E. Camerario, &c. Autore OCTAVIANO JUSTINIANO, e Societate Jesu.*

Senis, apud Franciscum Quinza & Augustinum Bindi, 1738, 8. Plag. $9\frac{1}{2}$.

Insignis est, & jure quidem, Epigrammatum gratia, si talia sunt, qualia *Jac. Masenius* postulat:

*Omne Epigramma sit instar apis, sit aculeus, isti*
*Sint sua mella, sit & corporis exigui.*

Tria nimirum requiruntur, suavitas, brevitas, & aculeus, quibus merito additur, quod rem unam, non varias, spectare debeant. Hæc si ad Epigrammata, quæ ante manus sunt, & quibus vitam gestaque *Clementis XI*, ut & personas ac res, eo pertinentes, explicari videmus, accommodare voluerimus; patebit, convenire tantum non omnia. Præ se fert *Justinianus* ingenium argutiis, velut sale, conditum, atque etiam ex minimis rebus circumstantibus Herois, quem celebrat, laudes elicere novit. Nec ullum facile momentum prætermittit, unde aculeum fini adjungere valeat. Jam allusiones videbimus, jam comparata, jam similia, seu dissimilia, jam repugnantia atque opposita, & quæcunque alias spicula in animis auditorum infigere putantur. Sola nonnunquam brevitas desiderari forsitan posset, siquidem Epigrammata ibi reperiuntur ultra viginti versus extensa. Sed, ut raro id factum est, exemploque veterum non omnino destituitur, ita & hoc nomine veniam Poeta facile

cile obtinebit. Includit autem carmina ista sua *tribus* nominatim *Libris*, quorum primus 44, alter totidem, ultimus autem 47, Epigrammata complectitur. Singula singulis paginis splendide satis sunt impressa; iisdemque non raro animadversiones subjiciuntur, ad intelligentiam versuum, historicamque illustrationem, eximie facientes. Ita vero *primo Libro* inter alia sistuntur *Clemens XI* Pontifex renuntiatus die festo S. *Clementis* hoc nomine primi, die 23 Nov. A. 1700; Pontificatum detrectans; fortior in accipiendo; de eligendo nomine ambigens; moderationem in Pontificatu præ se ferens; Tiberis inundatio A. 1702 facta; illustris de sepulcro *Christinæ*, Suecorum Reginæ, cura; aquæductus *Trajani*; *Casimira*, *Joannis III*, Poloniæ Regis, conjux; Academia ecclesiastica; *Cleopatræ* statua; cursus solis; templi B. Virginis reparatio; fons ante idem templum; *Annibal Albanus*; S. *Leonis* cinerum translatio; Themidis lances; plurima beneficia *Urbino* collata; Pantheon; pyramis ante hoc templum erecta; vindex Principis justitia; idola Ægyptia, in hortis Cæsiis eruta, & in Capitolio erecta; *Gabriel Philippuccius*, sacram purpuram recusans; *Clemens*, in Castro *Gandulphi* pueros sacra elementa docens; nuptiæ *Caroli Albani* & *Theresiæ Borromeæ*; ac demum *Alexander Albanus*. *Libro II* præ ceteris laudantur ac describuntur *Clemens XI* Italiæ fines tutans; item mœnia Romæ reparans; pax; templum S. *Clementis*; plurium in numerum Sanctorum relatio; ingens pecunia Cæsari missa; publicarum supplicationum indictio; militibus, qui strenuos sese præstiterant, ut pareretur, mandatum; *Eugenius* Princeps gladio & sacro pileo donatus; Turcica vexilla in Exquilino templo suffixa; *Horatii Albani* natalis dies; Principis vigilantia; *Jacobus III*, Magnæ Britanniæ Rex, Urbini exceptus; *Clementis* munificentia; *Alexander Sobieskus* Romæ mortuus; picturæ instauratæ; *Horatius Albanus* moriens; *Clementis* statuæ; artium Academia; *Annibal Albanus* Romam rediens; templum Lateranense; *Joannes Franciscus Albanus*, *Caroli* filius, natus, ut & balnea Nuceriæ exstructa. *Libro III* insunt *Fabius* Card. *Oliverius*; statua equestris *Carolo M.* in Vaticano decreta; funus *Juliæ Albanæ Oliveriæ*; *Albanæ* domus sepulcrum; cœpta ab aliis Pontificibus urbis ornamenta,

sed

ſed a *Clemente* perfecta; templum S. *Laurentii*; columna in foro citatorio; armentorum lues; *Olympia Albana*; *Jacobus III*, Magnæ Britanniæ Rex, Romæ exceptus; *Michael Angelus de Comitibus* & *Laurentius Corſinus* inter purpuratos patres adſcripti; Pontificis orationes ſacræ; Roma; horrea; hippodromus; Principis æquanimitas; poeſeos peritia; triumphantis Romæ ſtatua in hortis Cæſiis eruta, atque in Capitolio erecta; major Tiberis ſtatio exornata; plurium templorum reparatio; templum *Clementi* poſitum; *Clementis XI* mors; ejus ſepulcrum; *Carolus Albanus*, eques Melitenſis; duodecim hoc nomine Pontificum elogia, & *Clementis XI* cum iis comparatio, nec minus id genus alia. Facile patet ex his ipſis argumentis, præconem nos audire & laudatorem; ſed nondum ſcimus, an Poetam. Vel duobus ſpeciminibus, hujus officii partes quo expleverit modo Noſter, denique videamus. In manus hic incidit *Libri II Epigramma XII*, quod inſcribitur *Eloquentia Principis*, atque ſic habet:

*Qualiter Etruſci deſcendit vertice montis,*
*Et tenui Tibris murmure flectit iter,*
*Inde, ubi præcipitem ſocio cum Nare Velinum*
*Excipit, Herculeo ſive Aniene tumet,*
*Suſtinet appulſas Tyrrhena ad littora naves,*
*Merceſque extremi cogit in urbe maris,*
*Sic Græco, Latiove, cadens de fonte redundat*
*Sermo tuus, circum pectora lene fluens;*
*Aſt, ubi collectas patrum de fontibus undas,*
*Divinoque hauſtas amne refundis aquas,*
*Ferves, immenſuſque ruis, Latiaſque per aures*
*Diffuſus, ſacras advebis unus opes.*
*Quin etiam prælis terras diviſus in omnes,*
*Non Roma tantum, magnus ubique fluis.*

Jungendum nobis cum illo videtur alterum *Libri III Ep. XXVI*:

*Principis auguſtæ paulum ſecedite curæ,*
*Lapſus ab Aonio vertice Phœbus adeſt.*
*Sæpius hæc Phœbo patuerunt limina, ſæpe*
*Erravere ſacra laurea ſerta domo.*
*Ipſe jubet Clemens aula ſuccedere Muſas,*
*Et gaudet docta fronde virere comas.*
*Nunc Latiis carmen fidibus, nunc aptat Etruſcis,*
*Et nunc Mæonio fortius ore canit.*
*Sic, quæ tergemina nectuntur tempora vitta,*
*Serto etiam triplici cingere Phœbus amat.*

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Octobris Anno MDCCXLIV.*

---

*ANTIQUITATES ITALICÆ MEDII ÆVI, SIVE Dissertationes de moribus, ritibus, religione, regimine, magistratibus, legibus, studiis literarum, artibus, lingua, militia, nummis, principibus, libertate, servitute, fœderibus, aliisque, faciem & mores Italici populi referentibus, post declinationem Rom. Imp. ad annum usque M D. Omnia illustrantur & confirmantur ingenti copia Diplomatum & Chartarum veterum, nunc primum ex Archivis Italiæ depromtarum, additis etiam Nummis, Chronicis, aliisque monumentis, nunquam antea editis, Autore LUDOVICO ANTONIO MURATORIO, Ser. Duc. Mut. Biblioth. præfecto, Palatinis Mediol. Sociis editionem curantibus.*

*Tomus IV.*

Mediolani, 1741, fol.

Alph. 7 plag. 6.

Exsolvimus ergo fidem, quam olim *Actorum* nostrorum lectoribus obstrinximus, & *quartum* Antiquitatum Italicarum ævi medii *Volumen* exhibemus. Omittimus laudes, quas prioribus *Tomis* ex merito decrevimus, ne adulatorum mores imitari videamur, sed id affirmamus publice & ferimus præ nobis, huic *Volumini*, si industriam in elaborando spectes, eandem commendationem deberi, si argumentorum

torum delectum & elegantiam, majorem. Scilicet ordo nunc fert *Muratorium* ad rerum scitu dignissimarum explicationem, in qua eum sic versatum deprehendimus, ut formæ rerum publicarum, in Italia media obtinenti, lux exoptatissima affulgeat. Atque decebat etiam ita expoliri donum, *Carolo*, Regiæ stirpis speique summæ Principi, oblatum. *Dissertatio XLV*, quæ est inter tredecim *quarti Voluminis* prima, *de assumta a civitatibus Italicis reipublicæ forma, atque origine libertatis in iis*, tractat.

Pag. 3 seq. Singulæ urbes Italicæ, cum adhuc sceptro Regum Langobardorum atque Francorum subessent, Comite, seu Castaldio, regebantur. Sequior autem ætas rerum faciem commutavit, & Seculo XII inprimis reipublicæ formam speciemque intulit. *Sigonius* chronicam notam sub imperio *Henrici IV* Imp. statuit, qua in re veretur *Muratorius*, ne exordium paulo vetustius neglexe-

5. rit accuratissimus alias rerum gestarum scriptor. Cum enim post mortem *Ottonis II* Imp. A. C. 983 *Otto III* impubes succederet, & Italia esset Rege & capite quasi destituta, uti hac occasione cives, & libertatis coquere consilia, cœperunt. Turbas, eo tempore Mediolani obortas, *Arnulphus* sollicite descripsit.

8. Fecit quidem *Ottonis III* in Italiam adventus motibus hisce finem, & animos pacatos reddidit, sed rediit, *Ottone* sine prole mascula defuncto, amor libertatis; quandoquidem alii tum *Henricum II* Imp. alii *Harduinum*, Eporediæ Marchionem, Regem salutarunt. Sane *Henricus* non nisi post bellum diuturnum pacifice regnum tenuit, Ticinumque, quod adventantem Regem sinu suo exceperat lubens, paulo post rebellavit, & non ipsius solum *Henrici*, sed etiam successoris, *Conradi II*, sive *Salici*, iram atque

9 seq. vindictam meruit. Imperante *Henrico III Azzo II*, Marchio, Regis vice Mediolano præfuit, sed, defuncto eodem, cedere officio coactus est, atque tum urbs formam induit ejusmodi, ut, si con-

12. sulas *Arnulphum Hist. Mediol. III, 6*, a specie reipublicæ parum abludat. Nulla amplius Marchionum, nulla Comitum, mentio injicitur. Populi atque urbes instructis aciebus inter se bella gerunt, auxilia requirunt, fœdera pangunt, &, quæcunque a libera gente possunt peragi, circa A. C. 1057 libere tractant.

14. Quid? quod jam ante Seculo XII nobiles viri, milites, capitanei, valvasso-

valvaſſores, & id genus alii, ſpeciem aliquam univerſitatis, ſeu
corporis, formarint, cui dein confirmatio Cæſarum acceſſit. Ta-
lem Arimannis urbis Mantuæ A. 1040 dedit *Henricus* primus,
alter A. 1055 innovavit. Eodem ferme anno, ejusdemque Pag. 18.
*Henrici II* beneficio, naſcentis in urbe Ferrarienſi libertatis
deprehendimus veſtigia, & A. 1064 in urbe Lucenſi, ſi non
omnigenam libertatem, aliquam certe communitatem inſtitu-
tam, reperimus. Piſis A. 1081 *Henricus III* elegANti Diplo- 19 ſeq.
mate, quod poſt *Ughellium* caſtigatius edidit *Muratorius*, va-
ria liberarum urbium emolumenta conceſſit. Omnia denique
ubivis infelix ſacerdotii imperiique ſciſſio conturbavit, adeoque
civium animos diſtraxit, ut *Henricus IV* per omnem Italiam
manu armata opus haberet, & non urbibus ſolum privilegiatis
avitas conceſſiones firmare de novo, ſed etiam aliis ſimiles in-
dulgere, cogeretur. Teſtimonio eſt conceſſio, quam A. 1114
Cremonenſes obtinuerunt. Urbium mores Seculo XII imitata 23.
ſunt caſtella, etiam Mutinenſia, quæ ſequiori ævo urbis Mu- 25.
tinæ poteſtati ſubfuerunt. Si qui ſunt, qui Florentiam alias- 41.
que civitates opinantur multo ante, immo jam ſub prioribus 46.
Romanorum Auguſtis, libertate donatas, rempublicam inſtru-
xiſſe, ii & falluntur ipſi, & alios fallunt credulos. Nam Tu-
ſciæ civitates ſerius, quam Lombardicæ urbes, ad libertatem
plenam adſpirarunt, ſiquidem Seculo XII in Lombardia occur-
runt multæ, quibus nulli magiſtratus imperiales, nulli Marchio-
nes & Comites, præfuerunt, cum interim in Tuſciæ urbibus ad fi-
nem uſque ejusdem Seculi juſtitiam adminiſtrarent, & his legem
dicerent, miſſi ab Imperatore magiſtratus. Quapropter adſtruit
Cel. *Muratorius*, ſupremam libertatem tum demum florere per
Tuſciam cœpiſſe, cum in Germania controverſiæ de imperio in-
ter *Philippum*, Suevum, & *Ottonem IV*, Brunſuicenſem, ferverent,
indeque per Italiam interregnum naſceretur. Liberæ urbes ma-
giſtratibus opus habent. Hinc *de Magiſtratibus civitatum Itali-
carum Diſſertatione XLVI* Autor diſſerit. Principio veteris 49.
Romæ inſtitutum normam præbuit, creatique ſunt jam Secu-
lo X Conſules, ab antiquis tamen valde diverſi. Eum magi-
ſtratum Ravennæ A. C. 990, Ferrariæ A. 1015, reperimus. Ma-

 gnam

Digitized by Google

gnam pro temporum conditione autoritatem concesserunt illis civitates, teste *Ottone Frisingensi de rebus Friderici I Imp. II, 13*, quando res circa A. 1156 gestas recenset. Idem Autor tres notat plerumque Consules ex tribus ordinibus populi electos, sed refragantur monumenta antiqua, ubi modo duo, modo quatuor, modo sex, imo nonnunquam sexaginta, Consules, quemadmodum in pace Lucensi de A. 1124, reperiuntur. Nec semper idem numerus Consulum in urbe eadem floruit. Sic Genuensi reipublicæ A. 1102 sex, A. 1145 octo, A. 1160 duodecim, A. 1161 tredecim, Consules præfuerunt, quorum alii *Consules de communi & majores*, alii *Consules de placitis*, sive *causarum*, audiebant, & priores quidem supremum politicum in urbe regimen, posteriores discussionem litium & causarum civilium,
Pag. 51 seq. in mandatis habebant. Mansit tamen interea eximia Episcopis potestas, ut primas semper & locum ante Consules obtinerent. Sic Mutinæ A. 1142 *Ribaldus* Episcopus & Consules urbis conjunctim monachis S. *Petri* aquam canalem cum potestate exstruendi
53. endi molendinum concedunt. Sed imminuisse episcopale arbitrium videtur *Fridericus I*, qui, ingressus Italiam, novam rebus faciem largiri, vel potius restituere antiquam, cupiebat. Sic A. 1151 & 1182 in pactis societatis fœderumque, Parmenses inter ac Mutinenses initis, nulla fit mentio Episcopi. Similiter in Placentina urbe negotio, quod Episcopus A. 1143 ra-
58. tum habuerat, A. 1157 consensus ejusdem non accessit. Crescente igitur potestate Consulum, & in oppidis minoribus etiam, ut Guadastallæ ad Padum A. 1116, in villa Paulli A. 1218,
62. introducta, crevit simul abusus, & Consules eam ob rationem multi sunt de munere suo deturbati. Beneventanos A. 1281 *Martinus IV* Pontifex dejecit. Idem alibi cives, pertæsi tyrannidis, fecerunt, & satius duxerunt, e sociis civitatibus virum prudentem deligere, qui populo præesset, atque jus diceret, simulque ob defectum cognationis a partium studiis esset alienus.
65 seq. Is magistratus nomine *potestatis*, antiquis jam Romanis familiari, (vid. *Plinius Hist. nat. XXIX, 4, Suetonius Cæs. Cap. 17, Claud. Cap. 23, Juvenalis Sat. X, 99, Sidonius Apoll. Lib. I Ep. 8, l. 47 C. Th. de Episc. & Cler.*) venit, & est ab aliis citius, ab aliis serius,

rius, adſcitus. Genuenſes A. 1190 demum introduxerunt, immo & tum vix per biennium retinuerunt. Quando nec ſic in- Pag. 75.
commodis omnibus obex eſt poſitus, binæ quotannis lectæ ſunt poteſtates, quarum quæque ſex menſibus imperavit. Officium poteſtatis depingit *Conſtitutio Reipublicæ Senenſis de ele-* 81 ſeq.
*ctione poteſtatis*, ante A. 1288 promulgata, quam, ab *Uberto Bentivogliente* ex avthenticis tabulis deſcriptam, *Muratorius* exhibet, ipſique ob affinitatem materiæ *Anonymi* (forte *Boncompagni*) *Oculum paſtoralem, ſive libellum, erudientem futurum po-* 93 ſeq.
*puli rectorem*, circa A. 1222 conſcriptum, ex MSto Codice *Phil. Argelati*, Bononienſis, ſubjungit. *Diſſertationem XLVII de amplificata civitatum Italicarum dominatione ac potentia*, quia nimis longa eſt, nihil moramur, ſed circa *XLVIII de Societate Lombardorum, aliisque civitatum Italicarum, ſervandæ libertatis cauſa initis, nec non de pace Veneta & Conſtantienſi*, paulisper ſubſiſtimus. Italos, tyrannidis Marchionum Ducumque 249 ſeq.
magis, quam poteſtatis imperatoriæ, pertæſos, ab A. 1154 ad 1162 in fidem ac clientelam recepit *Fridericus I*, plerisque etiam poteſtates, ſive prætores, dedit, Genuenſibus, Mantuanis, 253.
& Ferrarienſibus, exceptis, quorum arbitrio reliquit Cæſar, ut 257.
ipſi ſuos ſibi Conſules optarent. Sed defuit concordiæ per- 259.
ennitas. Namque jam A. 1167, cum a præſidibus iſtis crude- 260.
liter multa & impotenter in cives ſtatuerentur, odioſum crediderunt transalpinæ gentes imperium Germanorum, & brevi tempore clandeſtinas inierunt conjurationes, quæ mox in aperta fœdera ac bella eruperunt. Signum, velut anteſignani, ſuſtulerunt Mediolanenſes, quibus aliæ urbes, quæ antea jam defecerant, Verona, Patavium, Vicentia, Tarviſium, &c. ſeſe ſociarunt. Pecuniam ſubminiſtrarunt Veneti. Auxilia ſpoponderunt *Guilielmus*, Siciliæ Rex, *Emanuel*, Imp. Græcorum, &, fovente ſchiſma eccleſiaſticum *Friderico*, *Alexander III*, P. R. Orta hinc *Lombardorum ſocietas*, in quam ſenſim ſenſimque confluxerunt Veneti, Bononienſes, Mutinenſes, Rhegini, Parmenſes, Placentini, Cremonenſes, Oremenſes, Comenſes, Novarienſes, Vercellini, Aſtenſes, *Opizo*, Marchio, *Malaſpina*, aliique proceres ac populi. Tabulas fœderis, ex originalibus de- 261 ſeq.
ſcriptas,



Digitized by Google

ſcriptas, & A. 1167, 1 Dec. Indict. 15 ſubſignatas, benefi-
Pag. 265. cio Marchionis *Franciſci Zambeccarii* edidit *Muratorius.* Ex
quo tempore cum vires accreſcerent ſocietati, ut, aucto nomi-
ne, *Societas Lombardiæ, Marchiæ, Romaniæ, Veronæ, & Venetiæ,*
audiret, novis ſe membra pactis paſſim obſtrinxerunt, & recto-
269. res, ſolenni jurejurando A. 1176 d. 9 Jan. devinctos, in una re-
270. ſidere urbe juſſerunt. Eodem anno 1176 *Fridericus I,* fractis
viribus, monente *Alexandro III,* inducias in annos ſex cum ſo-
cietate Lombardica inire coactus eſt, quas ſacramento in ani-
283 ſeq. mam Cæſaris *Henricus* Comes *de Dedo* confirmavit. Formulam
ſacramenti ex reipublicæ Mutinenſis tabulario edidit *Muratori-
us,* indeque *Acta Alexandri III,* in *Script. rer. Ital. Tom. III pag.*
288. *471* edita, ſupplet. Per iſtud induciarum tempus de pace per-
petua ſtabilique cogitatum eſt, & Placentiæ partim, partim
292. Conſtantiæ, A 1183 actum. Denique d. 7 Cal. Jul. ſucceſſit
conventio, cujus tabulas, etſi ſæpius jam typis deſcriptas,
quod mendis ubique ſcatent innumeris, cum Codicibus quatuor
MStis, uno communitatis Mutinenſis, altero Archivi Rhegien-
ſis, tertio Romano, quarto Monaſterii Brixiani S. Juliæ, quem
*Phil. Garbellius,* pontis vici Abbas, excerpſit, contulit, & emen-
306. datas, variisque lectionibus inſtructas, denuo emiſit *Muratorius.*
Pacem A. 1185 Decembri menſe ſacramento corroborarunt
319 ſeq. ſocietatis rectores, & A. 1198 Tuſciæ populi, qui Conſtantienſi
fœdere haud fuerant comprehenſi, intercedente Pontifice, ac-
321. ceſſione ſua adauxerunt. Vinculum ſub *Ottone IV,* quem ex-
ire Italia Langobardorum ſodalitas coegit, denuo ruptum, &
ſub *Friderico II,* ortis A. 1231 novis atque damnoſis imperio
332. confœderationibus, penitus eſt ſciſſum. Fœderi, miro conſi-
lio, Ferraria A. 1236 acceſſit, licet addictiſſimus *Friderico II*
326. *Salinguerra* primas in civitate teneret. Tum inter partes liti-
gantes laudum *Gregorius IX,* Rom. Pont. tulit A. 1233, quod
ad A. 1230 male retulit *Odor. Raynaldus* in *Annal. Eccleſ. Mu-
331. ratorius* non formulam ſolum laudi ex Eſtenſi tabulario, ſed et-
iam Epiſtolas, a rectoribus civitatum hac de cauſa ad Pontifi-
cem ſcriptas, edidit, quas, etſi nota chronica deſtitutas, manife-
336. ſtum eſt, poſt illam demum ſententiam exaratas. Quam diu
duraverit

duraverit Lombardorum societas, quæstio anceps est, quam nec *Muratorius* audet decidere, nec quisquam adhuc, quantum nobis constat, definivit. Pergit *Dissertatione XLIX de civitatum Italicarum fœderibus & pacibus* disputare Cel. Autor, quæ quidem ad conservationem libertatis & floris commerciorum Pag. 340.
inita utplurimum fuerunt, quale Bononienses & Mutinenses icisse A. 1166, atque vel A. 1172, si regesto reip. Bonon. fides, vel A. 1181, si *Sigonii* & *Ghirardaccii* verus calculus, iterasse, clausula, *ut alter alteri, prout ferret necessitas, militaret*, adjecta, leguntur. Similis Societas Mutinenses inter atque Parmenses floruit, ut Rhegienses in officio continerentur, qui Bononiensium 346.
ideo auxilium passim implorarunt. Huic A. 1188, iterumque 347 seq.
A. 1218, juramenti religio accessit, *salva* tamen *fidelitate Imperatoris, & filii ejus, Regis Henrici, & salva societate Lombardorum.* 351.
Aliud A. 1191 in *Peregr. Prisciani Annalibus* MStis reperimus Ferrariensium ac Venetorum fœdus de ratione judiciorum in causis & litibus inter utriusque reipublicæ cives in posterum futuris; A. 1204 ope *Rayherii*, filii *Henrici Danduli*, 358. 366.
Ducis Venetiarum, itemque A. 1230, repetitum. A. 1199 cum populo Laudensi Mediolanensis civitas post innumerabiles simultates fœdus iniit, ex Collectaneis Puricellanis Ambrosianæ Bibliothecæ protractum. Ibi, quemadmodum in aliis ejus ævi 371 seq.
monumentis, *guerræ recredutæ* (nam inepte *recretata* pinxit imperitus scriba,) mentio occurrit. Male *Langius* pro bello, quo restitutio in integrum impetratur, accipit. *Muratorius* autem, cum observasset, *recredutum* a Gallis Italisque vocari eum, qui, amissa non bene parmula, in prælio hosti cedit, objectionem probri adhærere vocabulo, & *guerram facere recredutam* idem denotare, arbitratur, ac bellum fictitium ignavo animo inferre, aut sustinere, hostisque partes sine consensu fœderatorum turpiter amplecti. Proinde eos, qui, bellum se gesturos cum aliis contra hostem communem, spondebant, pollicitos simul legimus, se bona fide bellaturos, neque acturos pacem, neque treugam, neque guerram recredutam, id est, simulatam, sine parabola, hoc est, sine notitia ac assensu sociorum. Nolumus arida fœderum ejusmodi recensione nauseantes epitomæ nostræ lectores

Pag. 394. lectores conciliare, ideoque tacemus, quæ inter Pisanam rempublicam & Cornietanos, sui juris tum populum, Cajetanos, Arelatenses, & Venetos, A. 1174, 1214, 1221, 1257, inter
374.425. Ferrarienses ab una & Ravennatenses, Brixianos, Bononienses,
434.439. Mantuanos, Veronenses, Mutinenses, ac Patavinos, ab altera
419.421. parte A. 1193, 1195, 1200, 1203, 1207, 1216, 1217, 1220,
448. 1221, 1227, 1229, 1234, 1239, inter Mutinenses & Pisto-
458 seq. rienses A. 1225, inter Patavinos, Mutinenses, Cremonenses, ac
425.443. Brixienses, A. 1278, inter *Bertholdum*, Patriarcham Aquilejensem,
427.429. Marchionem Estensem, Brixianos, & Mantuanos, A. 1249, gesta
437.441. reperiuntur. Lustramus potius *Dissertationem L de libertate,*
413. *immunitatibus, & privilegiis, civitatum ac Principum Italicorum.*
409 seq. Per pacem Constantiensem A. 1183 civitates Italicæ plenam li-
457. bertatem acceperunt, & fuit peculiare hoc Brixianorum onus,
465. ut, post impetrata ab *Henrico V* Imp. A. 1192 regalia, ad cen-
468. sum Cæsari pendendum adhuc obstringerentur. Apud Thuscos hæc necessitas cum imperatoria autoritate diutius, quam inter Langobardos, duravit, indeque eidem conditioni adscripti sunt A. 1186 Senenses & Cremonenses, nec non A. 1193 Pisani &
478. Rhegienses. Memorabilis est in pace Constantiensi mentio supremorum judicum, quibus absentes & considentes in Germania Augusti potestatem recipiendi appellationes, & judicandi de illis, indulserunt. Exempla *Opizonis* & *Azonis VI*, Estensium Marchionum, in *Ant. Estens. Lib. I Cap. 36, 39, Muratorius* dudum attulit; nunc addit, A. 1186 *Opizonem* in causa, inter Canonicos Patavinos & *Gerardum de Vico* agitata, nec non A. 1187 in alia *Gerardi*, Abbatis S. *Zenonis* Veronensis, & *Nicolai*
480. *de Advocatis*, per provocationem ad se delatis, judicasse. Sed Seculo XIII hoc etiam provocationum jure Imperatores spoliarunt,
520. sibique id vindicarunt civitates Italicæ. Similiter eodem, vel proxime antecedente, Seculo potestatem condendi leges & statuta
527.600. obtinuerunt. Demonstrant hoc *Civitatis Pistoriensis Statuta*, quæ cum notis *Hub. Benvoglienti*, sermone Italico conscriptis,
521. prodeunt. Sed notat *Muratorius*, in temporum rationibus cubare mendum, nec promulgatum e Statutis ullum *anno a nativitate Domini 1107, indict. 11, 6 Cal. Dec.* siquidem nec *Henricus IV*

*cus IV* A. 1107 Imperatoris nomen gessit, nec indictio XI respondet; quapropter erudite substituendum A. C. 1117 statuit. *Dissertatio LI originem & progressum Gibellinæ & Guelphæ factionum per Italiam* exponit. Appellationum natales e Pag. 606.
Germania repetit *Muratorius*, & in antiquis litigiis requirit, quæ inter *Conradum Salicum*, Guebelinguæ aut civem, aut dominum, ejusque hæredes masculos, & inter lineam familiæ Estensis, quæ, a *Guelfone*, *Azonis*, Atestini Marchionis, filio, in Germaniam translata, Saxoniæ Bavariæque diu præfuit, leguntur agitata. Hæc enim, sicut ad seros Guelphicæ pariter ac Weibelingicæ familiæ nepotes perdurarunt, ita Seculo XII in Italiam penetrarunt, & Seculo XIII infausta publicæ quieti nomina adsciverunt, quorum prius Romanæ sedi utplurimum adhæsit. Prima forte utriusque factionis per Italiam vestigia A. 1209 apparent, cum *Otto IV* in odium *Innocentii III*, Rom. Pontificis, incurreret, & anathemate percussus, *Fridericum II*, Siciliæ Regem, æmulum nansisceretur; siquidem *Fridericus II* ex Guebelingica familia per fœminam, *Otto IV* autem, Dux Brunsuicensis, *Henrici Leonis* filius, ex gente Guelforum, descendebant. Nolumus in præsenti allegare rationes, quibus alii in Guelphicas, alii in Gibellinorum, partes pertrahebantur. In eas autem insigni cum ἀκριβείᾳ inquisivit Cel. 610 seq.
*Muratorius*. *Dissertatio LII* agit *de regimine ac divisione nobilium & plebis in civitatibus liberis Italiæ*. Non minus Italiæ 651.
damnum factiones, mox excitatæ, quam simultates nobilium & plebis continuæ, intulerunt. Latent carceres, quibus Seculo 652.
XI, cum forma rei publicæ imperio Cæsarum succederet, autoritas plebem inter atque nobiles divisa est. Plebi tamen datam portionem aliquam, ex *Ottone Frising. de rebus gest. Frid. II*, 13, patet. Similem formam extra Italiam obtinuisse, declarat Diploma Ragusinum de A. 1044, quod exaratum fertur 654.
*temporibus piissimi Augusti Constantini, scilicet Monomachi, una cum domina Theodora, piissima Augusta.* Latet in hac formula scrupulus summi ponderis. Utique, sublato e vivis *Michaele Calaphata*, Imp. Græcorum, *Theodoram*, *Zoes* sororem, A. 1042 Augustam, *Cedreno* teste, populus pronuntiavit. Rursus eodem anno Junio mense *Constantinus Monomachus*, nuptiis cum

*Zoe* celebratis, Imperator electus, post menses tres, perhibente *Psello*, *Theodoram* de solio dejecit. Qui ergo A. 1044 imperasse Ragusii *Constantinus Monomachus* cum *Theodora* dici potest? Duplex responsum in re ancipiti suggerit felix hariolandi magister, aut *Constantinum Monomachum* serius, quam *Psellus* tradit, loco dejecisse Augustam, aut non ita deturbasse, ut omni penitus dignitate spoliaretur. Atque hoc vel inde veritati censet congruum, quod *Cedrenus* & *Curopalatas* tradunt, A. 1044 indict. 12 seditionem obortam contra *Monomachum*, τὰς δὲ βασιλίσσας (Reginas, seu Augustas, hoc est, *Theodoram* & *Zoen*,) προκύψασας ἄνωθεν καταςορέσαι τὸ πλῆθος. Sed re-
Pag. 655. dimus ad contentiones plebis & nobilium in Italia, quæ Seculo XI in bella publica eruperunt, nec nisi per introductam monarchiam sunt sopitæ. Prima A. 1041 Mediolani discordia in-
658 seq. ter plebem & milites exarsit, in qua urbe A. 1191 *Bernh. Corius* tria tradit dominia fuisse, Archiepiscopi scilicet, qui jurisdictionem in nobiles privilegiatos, jusque monetæ ac stateræ publicæ, habuit, potestatis, sive Prætoris, qui ab Archiepiscopo jus gladii acceperat, & Consulum, quorum unus *judex communis* dicebatur. Hi ex cœtu nobilium a populo universo, seu potius nomine plebis a centum artificibus, eligebantur. Interea bini hi ordines perpetuo inter se pugnabant. Nobilibus, A. 1220 *Friderico II* parentibus, plebs se objecit cum *Consilio credentiæ*, quod pro colluvie viliorum artificum poni, male existimant *Corius*, *Tristanus Calchus*, *Jo. Ant. Castiglioneus*, *Osius*, *Gualvaneus de la Flamma*, & *Sigonius*. Rectius *Muratorius* interpretatur consilium secretum, sive arcanum, quale & nunc in plerisque rebus publicis Italiæ conspicitur, nomenque traxit
665. e rebus absconditis, quæ huic Collegio credebantur. Maximum discordiæ theatrum Florentia, acrioribus abundans ingeniis, aperuit. *Dissertatio LIII* agit *de institutione militum, quos* Cavalieri *appellamus, & de insignibus, quæ nunc* arme *dicuntur.* Inde ab antiquissimis temporibus Germanorum honor militiæ equestris solenni ritu datus est, qui *cingulum militare* ap-
686. pellatur. Qui sic armis erant instructi, a singulari habitu *Cavalieri di Corredo*, nec non ab ornatu *milites adobati*, dici solebant.

bant. *Adobbare* enim Italica lingua idem, quod exornare, ſignificat. Male *milites adoptati* vocantur in *Statutis Mediol. P. II Cap. 5*, quamvis id non tam ſtatuentis errori, quam imperitiæ ſcribentis, tribuendum eſſe videatur. Sed accidit huic voci, ut eruditiſſimi homines in ea explicanda atque formanda a tramite veritatis aberrarent. Ita enim *Cangius* ab *adoptare*, *Menagius* ab *adduplicare*, verbo ſcriptoribus Latinis ignoto, *Furreterius* ab *adaptare*, derivavit. *Muratorius* e borealibus linguis repetit, quas notat voces non paucas cum Italis communicaſſe, & ex *at dubban*, quod apud Irlandos, Saxones, atque Scandios, creare equitem ſignificavit, natum *τὸ adobbare*, probabili conjectura, ſtatuit. Vid. *Georg. Hickeſius* in *Grammat. Franco-Theodiſca pag. 91.* Alapam infligere novo militi, ritu ex manumiſſionibus Romanorum ducto, moris fuit. Additum aliquando balneum, unde *Cavalieri bagnati* in Diplomatibus. Inſignium, quæ Italis *arme* audiunt, nulla ante Seculum XI ve- 690.
ſtigia. Quamvis enim vexilla apud Romanos, Langobardos, Normannos, Francos, atque Germanos, certis diſtincta fuerint ſignis; hæc tamen a gentilitiis teſſeris abeſſe multum, quivis facile intelligit. *Diſſertatio LIV de Principibus, vel tyrannis, Italiæ* inſcribitur, eoque nomine deſignantur, qui democraticam rei publicæ formam per urbes Italicas ſubruerunt, & primas in illis partes ſibi vindicarunt, etſi nec Imperatores eſſent, nec Reges, nec Duces; quales Seculi XII hiſtoria exhibet pæne innumerabiles. *Diſſertatio LV* agit *de Repreſſaliis*. Quid ſit, quod hoc nomine indicatum eſt, ab *Autore Briviloqui* apud *Cangium* diſcamus. 741.
*Repreſſaliæ dicuntur*, inquit, *quando aliquis oriundus de una terra ſpoliatur, vel damnificatur, ab alio oriundo de alia terra, vel etiam, ſi debitum non ſolverit ei. Tum enim datur poteſtas ſpoliato, vel creditori, quod ſibi ſatisfaciat contra quemlibet de terra illa, unde eſt ſpoliator, vel debitor.* Impium hoc inſtitutum plurimæ medii ævi leges receperunt, atque ſic Capitulare *Sicardi*, Principis Beneventani, de A. 836, nec non Statuta populi Mutinenſis de A. 827, inter mores probatos retulerunt. Immo peculiares repreſſaliarum conceſſiones ſueverunt a magi- 744.
ſtratibus civitatum Italicarum dari. Sic A. 1273 Prætor, Capi-

taneus, & Antiani populi Bononienſis, Saraceno *Lambertino* dant
facultatem, repreſſalias exercendi contra Mutinenſes; illudque
Diploma *Lambertinus* cum Mutinenſibus ante executionem
Pag. 751. communicavit. Quodſi peculiare eſſet inter binas urbes con-
cordiæ & pacis vinculum, pacta de repreſſaliis utrinque haud
concedendis intercedebant, qualia deprehendimus inter Bono-
nienſes & Mutinenſes A. 1213, inter Mutinenſes & Veronenſes
A. 1219, inter Brixianos ac Ferrarienſes A. 1226, inter Muti-
758. nenſes & Placentinos A. 1318, percuſſa. Diu floruit repreſſa-
liarum exercitium, & A. 1371 inter Genuenſes, Piſanos, atque
Senenſes, occurrit. In Germaniam quoque penetravit, ſed ibi
mox Imperatorum legibus proſcriptum eſt. Ex Italia prudens
damni inde oriundi conſideratio exturbavit, ita ut hodie vel
rarior, vel nullus, ſuperſit repreſſaliarum uſus. *Diſſertatione LVI*
in alium campum deſcendit *Muratorius*, agens *de religione Chri-
ſtianorum per Italiam poſt annum Chriſtianæ Epochæ quinquage-
ſimum*; cui in *Diſſertatione LVII* jungit argumentum *de ritibus
Eccleſiæ Ambroſianæ*. Ceterum, quemadmodum eſt Autor Cel. ab
ingenio & moribus illorum longe ſejunctus, qui fontes rerum,
a ſe traditarum, ſibi ſervant, ſuosque theſauros in obſcuro re-
ponunt invidi, ita huic etiam *Volumini* eximiam ſyllogen Opu-
ſculorum, quæ ex ætate media poſt tantum naufragium reſtant
435-454. ſalva, liberaliter ſubjungit. Prodeunt igitur 1) *Fragmenta hi-
ſtoriæ Fulginatis ab A. 1198 uſque ad A. 1341, Autoribus* Bonaven-
tura Benevenuti *ac* Petruccio de Unctis *conſcripta, & a* Juſtiniano
943 ſeq. Pagliarino, *Fulginate, doctis obſervationibus illuſtrata*; 2) *breve
Chronicon Regum Langobardorum & Auguſtorum Francici generis
ab A. C. 568 uſque ad 883*, e MSto Codice Patavino a *Jo. Bru-
951 ſeq. naccio* deſcriptum; 3) *Excerpta ex Chronico Jordani*, de quo
1035 ſeq. præter nomen nil plane conſtat, *ab anno circiter 950 uſque ad
1320, e Codice Bibliothecæ Vaticanæ*; 4) *Chronicon Sublacenſe, ſeu
Catalogus Abbatum Monaſterii Sublacenſis, ab A. C. 595 uſque ad
1390, Autore monacho Sublacenſi anonymo.* E Codice Romano
hauſit *Dominicus Maria Jacobatius*, Mutinenſis, poſtquam *Jo.
Mabillonius* in *Itinere Italico* ejus edendi ſpem feciſſet, fidem
1075 ſeq. vero datam haud liberaſſet; 5) *Richardi, Cluniacenſis Monachi,
Chronicon*

*Chronicon ab imperio Caroli M. sive ab A. C. 800, ad A. 1162*, quod inter cimelia Bibliothecæ Vaticanæ huc usque fuit, postquam e Bibliotheca *Christinæ* Reginæ, quæ ab *Alex. Petavio* acceperat, eo commigrasset. Quæ *Casimirus Oudinus de Scriptor. Eccles. Tom. II Richardo Cluniacensi* tribuit, *Collectanea*, sub nomine *Hugonis de S. Victore* vulgo nota, commune nihil cum Chronico præsenti habent, immo, cum res post A. C. 1162 gestas recenseant, loco potius continuationis & supplementi sunt accipienda. Vitam *Richardi G. J. Vossius de Hist. Lat. II, 53*, enarravit, sed Parisiis oriundum male tradidit, cum sit Pictaviensis. Vid. *Ptolemæi Lucensis Hist. Eccles. XX, 23*. 6) *Chronicon Patavinum*, quo accurata potestatum, sive Prætorum Patavinorum, series, & multa, alibi frustra quæsita, continentur, *ab A. C. 1174 usque ad A. 1399*, ab *Anonymo* (forte a *Steph. Venturato*) compositum, e MSto Codice scriniorum Estensium; 7) *Instrumentum pacis inter Guelfos & Gibellinos, A. 1233 a. d. 4 Cal. Sept. in Campanea Veronæ versus Mantuam juxta Atesin flumen conditum*; 8) *Landrisii Cremonensis, urbis Brixianæ Prætoris, Epistolæ variæ ad Bonifacium de Canossa, Rhegiensem, urbis Mantuæ Prætorem, scriptæ*; 9) *Gregorii de Montelongo, Legati Apostolici, & Octaviani, Cardinalis, Epistolæ ad diversos*, quas *Phil. Argelatus*, Vir optimus & doctissimus, cum *Muratorio* communicavit.

Pag. 1115 seq.

1171 seq.

496 seq.

*DE PRÆCLARIS MEDIOLANI ÆDIFIciis, quæ Ænobarbi cladem antecesserunt, Dissertatio, cum duplici Appendice, altera de Sculpturis ejusdem urbis, in qua nonnulla, usquehac inedita, monumenta proferuntur; altera de Carcere Zebedeo, ubi nunc primum S. Alexandri Thebæi Martyris acta illustrantur,* D. PETRO GRATIOLIO, *Bononiensi, Congregationis S. Pauli, vulgo Barnabitarum, Cler. Reg. Autore. Accessit Rhythmus de Mediolano, jam editus, ab eodem vero emendatus, & notis auctus.*

Mediolani, in regia curia, 1735, 4.
Alph. 1 plag. 9.

Autori Summe Rev. difficultas nulla fuit impedimento, quo minus ſolertem manum ad vetuſta ædificiorum Mediolani rudera ac veſtigia admoveret, daretque operam ſatis exquiſitam, ut exciſa jam diu præclaræ urbis monumenta reſurgerent, &, quemadmodum olim oculis ſpectantium occurrerant admiranda, ita, quantum per vetuſtatem licet, accurate mentibus legentium repræſentarentur. Approbarunt inſtitutum Marchio *Alexander Theodorus Trivultius* ac *Philippus Argelatus*, ſummi Viri, judicio valentes. In Chronicis mediæ ætatis non ſemper acquievit Autor, fabulas rejecit permultas, coævos delegit teſtes, ad cetera pervidenda judicium ipſe ſuum adhibuit. Ædificia ſuſcepit illuſtranda non niſi præclara & antiquiora, quæ ruinam, ab *Ænobarbo* urbi illatam, anteceſſerunt. Nec ſeſe prorſus abſtinuit a rebus affinibus, commentatus inter alia de origine leonini verſus, de Mediolanenſis antiqui Præſulis in urbem dominatione, de præſtantia ædificiorum Romæ ante *Auguſti* tempora, de præclaris molibus & monumentis Romanorum & aliarum gentium extra Romam ante eundem *Auguſtum*, de dubii illius, in *Ambroſii* æde quondam jacentis, ſimulacri ſignificatione, de ritu coronationis Italiæ Regum apud eam, quæ nunc ſupereſt, columnam prope ſepta Ambroſiani Periſtylii, & de aliis quibusdam, paſſim inſertis, momentis ac rebus. Acceſſerunt multæ delineationes graphio inciſæ, formisque chalcographicis expreſſæ, Operis ornamentum. Primo autem diligentem & accuratam veteris Mediolani tabulam, manu ſua deſcriptam, æri inſculpendam tradidit, & hic exhibuit exſculptam, cujus limites & certos ædium ſitus ex iis veterum locorum animadverſionibus notisque, quas cognitio ſcriptorum & monumentorum præbuerat, fuit metitus. Eum mœnium ambitum, eas ædes ſacras & profanas, eam locorum diſpoſitionem, ſervavit & appoſuit, qualem prorſus, cum ea ab *Ænobarbo* deleta fuit, urbem habuiſſe opinatur. Directiones viarum nullas quidem intra ſepta ejusdem curavit delineandas, ne incerta pro certis venditaret; veſtigia tamen vetuſtiorum ædificio-

ædificiorum appofuit, quæ jam *Ænobarbi* tempore jacuerant disjecta. Hæc ad Differtationem dicta funto. Differendum porro eft de gemina, quæ Operi fuit adjuncta, Appendice. In priori exponuntur fculpturæ veteres, ftatuæ nempe, anaglypha, aræ, ftylobates, & alia id genus fingularia ædificiorum veterum ornamenta, æri incifa. In pofteriori expofitus fuit *Zebedeus Carcer*, tetricum & luctuofum urbis ædificium, quorfum *Alexander* ex Thebæa legione invictiffimus Martyr fuit detrufus, pofthæc facra æde honeftatus. Addidit nonnulla de *Alexandro* Martyre, a Bergomatibus impetrata, fcilicet Acta ejusdem Martyrii ex vetufto MSto Bergomenfi Codice, ac Miffam antiquiffimam de eodem Martyre, ex alio illius civitatis MSto defumtam. In Acta fubjecit notas, ac annum cædis Martyrum Thebæorum figere tentavit. Rhythmum de Mediolano jam Cel. *Muratorius Tom. II P. II rerum Italicarum* ediderat, fatis de cetero exiguum. Eum denuo edidit Nofter, fed a maculis mendisque purgatiorem. Hæc ad notitiam de Opere toto inftillandam fufficiant. Progrediendum nunc eft ad interiora libri momenta. Differtatio complectitur *Capita duodecim*, in quibus agitur 1) de fitu ac ambitu prifcæ urbis; 2) de mœniis portisque urbis vetuftæ; 3) de Arcu Romano; 4) de Fanis Deorum, urbi adjacentibus; 5) de eo, an Mediolani extiterint fana *Bacchi* & *Æfculapii*; 6) de fpeleo *Aciliano*; 7) de fanis Deorum, in ipfa urbe pofitis; 8) de palatio Imperatorum; 9) de theatro; 10) de circo; 11) de Arengo, five Arena, feu Amphitheatro; 12) de Aquæductibus ac Thermis. In Appendice prima occurrunt 19 icones, feu fculpturæ, æri incifæ, & ab Autore literatiffimum in modum expofitæ. Habes hic, Lector, *ftatuam M. Bruti* æream, in foro quondam erectam; *ftatuam*, quam vulgus credidit effe *Herculis*, olim in Ambrofiana Bafilica pofitam; *Fragmentum ftatuæ Herculis* in ædibus Marchionis *Mazantæ*; *Herculem puerum* in tabula marmorea, olim ad S. Victorem pofita; *ftatuam hominis togati*, vulgo *Homo lapideus* dictam, viæ orientali adftantem; *ftatuam fœminæ, facrificio intentæ*, in propylæo Archintorum confpicuam; *Imaginem gladiatoris in tabula marmorea*, cum appofita Infcriptione

ptione in eodem propylæo; *tabulam marmoream* cum insculptis annulis & coronis in hortis Archintorum; *sacrificium Jovis in cippo undique insculpto*, in commemorato superius propylæo; *statuam Serapidis* pectore tenus obviam, servatam in ædibus Marchionis *Mazantæ*; *lapidem*, qui repræsentat caput cranio mutilum & agnum quendam; *Stylobaten*, undique cælatum, & *Jovi dicatum*, ex MSto *Innocentii ab Ecclesia*; *Stylobaten, Mercurio sacrum*, cum sue insculpto, ex eodem MSto; *sutorem ad scabellum*, apud Archintos obvium; *suculam lanatam* in lapide ad Forum Mercatorum; *serpentem æreum* Ambrosianæ Basilicæ; *Stylobaten*, cum puero, inversam faciem gestante, in hortis Archintorum; *Genium in tabula marmorea*, prope eosdem hortos; *Magios*, sese invicem dextris complectentes. Mediolanum ab Insubribus primo habitatum fuit,
Pag. 2. cum vicus adhuc esset. Galli loco circumdederunt mœnia, eumque muniverunt, teste *Livio*. Nomen ex *omine loci* tractum, refert idem. Autor, illud exstitisse, putat, inventam suem lanigeram simul atque setosam, licet, fabulam subesse, haud neget. Vox, seu cognomen, ex veteri Gallica lingua, nequaquam ex Latina, est repetendum. *Mediolanum*, si vocem, ejusque originem, spectes, dictum videtur quasi *ad Æduorum fluvium*, id est, Ticinum, juxta quem Galli illud muniverant. Flumina Galli ac Celtæ veteres dixere *lonen, lenen, linen*, id est, ab uno latere ad alterum sese movere. Præfixum *M* est ex *an, am*, id
8. est, juxta. Initia urbis in parte media Mediolani sunt quærenda, siquidem ipsa quidem urbs reædificata fuit, nequaquam vero aliorsum translata. Falsum est, quod Mediolanenses vulgo referunt, Mediolanum a *Brenno* fuisse solo æquatum, ac
11 seq. deinde ab *Annibale* disjectum, a *Marcello* restitutum. *Maximia-*
13. *nus* illud dilatavit, testibus *Aurelio Victore* & *Ausonio*. Postea vero limitem eundem, eadem pomœria, ad *Abenobarbum* usque retinuit. Ad indagandam urbis veteris faciem usus fuit Autor *Rubricis Beroldi*, quæ ad triduanas litanias ritu Ambro-
15. siano celeberrimas pertinent, ac alio Codice antiquissimo ecclesiæ S. *Victoris* ad Theatrum apud *Puricellum Diss. Naz. Cap. 64*, alioque item metropolitanæ Basilicæ apud eundem eodem *Cap.*

*Cap. num, 20.* Ordo enim portarum & templorum, ad quæ supplicantes Deo procedebant, designat plurimas urbis magnificentissimasque ejus partes. Quales antiquæ ibi exstiterint turres, id patet ex turre, ibi in Monasterio majori superstite. Pag. 24.
Arcus Romanus vel a *Marcello*, vel sub *Augusto*, fabricatus. Obiter notamus, Italos quoque nemus, urbi adjectum, venationibus 43 seq. 57.
destinatum, dixisse *brolium*. Nostri vocant *Bræbl, Brühl*. Fani *Herculei*, quod deinde in templum S. *Laurentii* fuit conversum, figuram habes ad *pag. 66*. Adjuncta ei sunt æri incisa lavacri fanique *Herculei* vestigia, cum erecta in eisdem ædificiorum serie. Addidit Autor superstites lavacri *Herculei* columnas, ære expressas. *Bacchi* & *Æsculapii* fana exstitisse Mediolani, negat, argumentisque ajentium satisfacit. Antra, Diis 82.
consecrata, vicem templorum ætate antiquissima referebant. *Mithra* semper in antro coli consuevit, ejusque cultus olim viguit Mediolani. In urbe eadem fana *Jano* & *Minervæ* olim 85.
æque fuerunt posita, fortassis etiam *Mercurio*, matri Deum, & 91.
*Dianæ*. Palatium Imperatorium ibi incoluit *Octavius Augustus*, auxit illud *Trajanus*, situm olim in loco fere eo, ubi nunc eminet *Ecclesia S. Georgii ad Palatium*. Ab eo diversum fuit 93.
palatium *Maximiani Herculii*. De scholis ac Bibliothecis Mediolanensium scripsit Cel. *Saxius* in suo *de Studiis Mediol. Prodromo*, ideoque Noster de eis nihil edisserit. De sacrificiis 124. 154 seq.
*Mercurio* faciendis affert elimata. Passos fuisse Thebæos legionarios A. 303, ipse existimat. *Maternum* ecclesiæ Mediolanensis fuisse Episcopum, & sub *Maximiano* durissima quævis 182. 183 seq.
sustinuisse, ex Actis martyrii *Alexandri* intelligimus. Versus leoninos a *Leone* Poeta, qui circa *Ludovici VII*, vel *Philippi Augusti*, Galliæ Regum, tempora floruit, dici, constat. Nono tamen jam Seculo eos fuisse adhibitos, Noster contendit. 37.
Nostrum est, illud unicum adjungere, &, re videlicet feliciter gesta, proclamare: *Plaudite.*

DISSERTATION SUR LE GRAND PONTIFICAT des Empereurs Romains, &c.

hoc est,



Digitized by Google

*DISSERTATIO DE PONTIFICATU MAximo Imperatorum Romanorum. Accessit Epistola, in qua idem argumentum, & alia nonnulla, ad Antiquitates Romanas spectantia, pertractantur. Autor est BOUHIERIUS, Præses honorarius Parliamenti Divionensis, & Academiæ Franciæ.*

Divione, 1742, 4 maj.

Plag. 5.

Variis obseptam difficultatibus, sed perjucundam rem antiquitatum studiosis, & dignam persona sua, in hac parva quidem, sed elegantissima, atque doctrina politiori instructissima, Dissertatione suscepit Præses Illustris *Bouhierius*, occasionem nobis suppeditans, ob perceptam ex tam limata scriptione voluptatem publicas ipsi grates persolvendi. Cum enim inter eos, qui antiquitatibus operari Romanis solent, dubium sit admodum, nec satis vel perspicacissimis constet, quid statuendum sit, quando ad dignitatem Imperatoriam evecti plures simul essent, utrum unus tantum Pontificis Maximi gesserit honores, an reliquis etiam titulus iste fuerit atque honos attributus; meruit sane exinde laudes doctissimorum hominum ac præconia Vir Illustris, quod in tanta opinionum discrepantia ita tamen rem omnem luci exposuit, testimoniisque, ex probatissima sumtis antiquitate, stabilivit, ut, extricatum hunc esse ab eo nodum, unanimi consensione censendum sit. Sunt enim complures inter eruditos, &, præter ceteros, *Rosinus*, *Panvinius*, & *Bulengerus*, locis ab Ill. Autore citatis, haud veriti pronuntiare, ut quisque ad Imperatoris summitatem adscendisset, ita & eundem titulo Pontificis Maximi ornatum exstitisse. *Gutherius* contra ea *de Jur. Pontif. Lib. I Cap. 15* negat, fuisse hos omnes *Maximos Pontifices*, sed, *Pontificum* tantum gessisse nomen, contendit evincere. Est deinde *Seldenus de Syn. Ebr. Lib. I Cap. 10*, cujus sententia cum illa *Gutherii* ferme coincidit, qui, eum ad *Constantini* usque *Magni* durasse tempora morem, affirmat, ut ex pluribus Imperatoribus

ratoribus unus saltem Pontificatui Maximo præfuerit. Denique adoptata est a recentioribus eruditis, atque nominatim quidem a *Bosio*, *Spanhemio*, *Pagio*, *Norisio*, *Tillemontio*, aliisque, hæc veluti decretoria sententia, non esse prius cœptum, pluribus Imperatoribus simul Pontificis Maximi conferre titulum, quam sub *Balbino* & *Pupieno*. Atque ex his ipsis sententiis quatuor, quoniam priores illæ nulla se poterant verisimilitudinis specie commendare, hanc ultimam pertraxit in examen Ill. *Boubierius*, argumentisque evicit clarissimis, longe ante *Balbinum* ac *Pupienum*, quos Pontifices Maximos simul nominari, bene omnino agnoscit, factum tamen esse, ut in ejusmodi regentium societate Imperator uterque Pontifex Maximus appellaretur. Cujus rei evincendæ causa exempla Imperatorum *Titi Vespasiani*, *Lucii Veri*, *Commodi*, *Caracallæ*, & *Getæ*, produxit; quæ, ut poterimus, brevissimis enarrabimus. Notum est autem ex historiis, *Titum* a patre suo *Vespasiano* in regni societatem adoptatum fuisse. Eo autem jure & potestate adoptatus erat, ut is honore etiam Pontificis Maximi & prærogativis simul cum eo uteretur. Quod ut magis magisque confirmaret Ill. Autor, partim Numos protulit ex *Mediobarbo*, partim Inscriptiones, ex *Bosio de Pontif. Max. Cap. 2 n. 9* & *14* transsumtas. At enim vero non agnoscit Numorum istorum autoritatem *Bosius*; contra quem Ill. *Boubierius* quædam inde monuit. Tredecim vero omnino Numi sunt, ad quos inprimis Noster provocat, quorum sunt 6 temporibus Consulatus, sexies a *Tito* gesti, reliqui autem 7 in memoriam ejus tribunitiæ potestatis, cusi; in quibus legitur omnibus P. M. hoc est, *Pontifex Maximus*. Est autem unius ex istis Numis hæc Epigraphe: IMP. T. CÆS. VESP. AVG. F. P. M. TR. P. COS. III. Sed hujus præsertim ipsius negare *Bosius* præstantiam videtur. Quod vero quam citra omnem rationem faciat, Ill. Præses luculenter monstrat. Ipse enim non solum *Occo* talis Inscriptionis vidit numum, sed etiam *Mediobarbus* ex Numophylacio Sereniss. Ducis Parmensis eundem protulit, & *Begerus* istum, ut genuinum, commemoravit in *Thes. Brand. Tom. II pag. 635*. Eodem

dem etiam modo vanum eſt, quod *Boſius* in Numis 2 Conſulatus quarti pro Coſ. IV legere conatur Coſ. VII, vel VIII. Neque enim ullo modo tueri eam ſententiam & ratione poteſt. Majorem autem veri præ ſe ferre ſpeciem aliud quoddam *Boſii*, quod ei ſubnatum eſt, dubium videtur de *Lucio Vero*. Cum enim *Capitolinus* in *Marco Cap. 7* de titulis verba facit, quibus *Verus* mactaverat *Marcum Aurelium*, ne ſyllaba quidem, quod mireris, Maximi Pontificatus injecit mentionem. Sed in promtu tamen ſunt Eruditiſſimo Præſidi, quæ regerat. Primo enim ſic loquitur *Capitolinus*, ut facile etiam hæc ipſa potuerit dignitas ſubintelligi. In *Marco* enim *Cap. 7* dicit: *Ex eo cœperunt pariter Rempublicam regere.* Et in *Vero Cap. 1* ait: in ſimili *ac* pari *majeſtatis imperio. Capite* autem *3* ſic fatur: *Marcus in eum* omnia *contulit.* Deinde vero Numi habentur in *L. Verum*, in quibus diſtinctis verbis PONT. MAX. dicitur. Longe autem præſtantiſſimæ ſunt Inſcriptiones, quas ex *Grutero fol. CCLVIII, 3, CCLIII, 2, CCLVII, 11,* & eruditis *Patribus Benedictinis*, Præſes Ill. exhibuit, in quibus clariſſime habetur: IMP. CÆS. L. VERO. AVG. ARMENIC. MED. PARTHIC. PONTIF. MAX. &c. Ulterius pergimus. A *Marco Aurelio* in ſocietatem imperii receptus filius, *Commodus*, Imperator, A. C. 175, titulum habuit Pontificis Maximi, quemadmodum *Mediobarbus* variis Numis, in publicum conſpectum datis, ad oculum luculenter demonſtravit. Quorum nullum cognoviſſe *Boſius* videtur; cum quorundam tamen ex iis meminerit *Tillemontius Hiſt. des Emper. Tom. III pag. 596*, quo itidem loco varias ſubinde obſervationes ſubnectit, & præclara multa commentatur. Præterea Numus adhuc exſtat *Caracallæ*, anno 207, & quinque alii *Getæ*, anno 210, cuſi, quorum omnes utrique Imperatori ſimul Pontificis Maximi nomen attribuunt. *Mediobarbus* quidem illum *Caracallæ* Numum arguere ſuppoſitionis mallet, &, proferendo locum ex *Dione Caſſio*, occurrere hic *ænigma* putat, (hæc enim ejus verba ſunt,) *Oedipo indigens.* Si vero accuratiori ſtudio *Caſſium*, citato loco, *Lib. LIII pag. 508* contemplamur, &, de quo verba faciat Hiſtoricus, inquirimus, quando

quando dicit Ἀρχιερέων τε τινὰ αὐτῶν εἶναι, *Augusti* tempora videbimus eundem respicere, quippe qui non longe a morte sua adoptaverat *Tiberium*, solusque Pontifex Maximus permanserat. Neque igitur in *Caracallam* potest & *Getam*, quod de alio longe dictum est, transferri. Atque sic *Mediobarbi* scrupulus sublatus est. Aliud autem hoc loco, quod *Bosio* & *Norisio* subnatum est, dubium attentionem meretur. Quippe Numi occurrunt, in Imperatores, eosque *Pontifices Maximos*, cusi, qui nihil tamen præter *Pontifices* ibi nominantur. Quare præclare monuit *Spanhemius de Præst. num. Tom. II pag. 84*, subintelligendum esse vocabulum *Maximus*. In quam ivere etiam *Pagius* & *Cuperus*, & recte quidem, sententiam. Id enim eo magis veritate radiat sua, quo certius est, unius ejusdemque temporis prostare Numos, in quibus unus & idem Imperator & PONT. MAX. & deinde PONT. solum, nominatur. Ceterum Ill. Autor, rationes subinde decori postulasse ac politicæ Imperatorum, arbitratur, Collegis adoptatis non omnes prærogativas & titulos contribuere, inprimis autem, liberum Imperatoribus fuisse, judicat, utrum Pontificatum Maximum transferre in eosdem voluerint, nec ne; nempe ut eminere aliqua ex parte præ illis ipsi viderentur. Atque in eum quidem modum, jam ante tempora *Balbini* & *Pupieni*, in utrumque, qui simul erant Imperatores, Pontificis Maximi titulum honoresque collatos fuisse, præclare evicisse Illustrem Autorem, non sine voluptate cognovimus.

Contra istam autem, quam usque huc recensuimus, Dissertationem scripsit aliam ejusdem materiæ, scilicet *de Pontificatu Imperatorum Romanorum Maximo*, Generosiss. Baro *de la Bâtie*, *Tomo*que eandem *XII* Commentariorum Academiæ Inscriptionum inseruit; cum in iisdem vicissim Commentariis, & *Tomo* quidem *IX*, Illustris *Bouhierii* laudata Dissertatio jam ante comparuisset. Omnem igitur, quam potuit, operam *de la Bâtie* adhibuit, ut *Bosii*, reliquorumque, defenderet sententiam, suamque prorsus faceret. Facillimum autem, eumque perbrevem, invenit, & dextre adhibuit, modum, ut *Bouhierii* argumenta infringeret. Quotquot enim



Digitized by Google

Ill. Præses Numos ex antiquitate produxerat, (produxerat autem ex *Occone* & *Mediobarbo*, de *Tito*, *Commodo*, *Caracalla*, & *Geta*, tredecim,) illos & falsos omnes, & suppositos, probationique adeo ineptissimos, eruditus Adversarius proclamavit. Nec *Occoni* & *Mediobarbo* fidem ullam habuit, nedum ut illorum agnoverit autoritatem, ut potius, in re præsertim dubia, ad eos nullo provocari modo posse, libere pronuntiaverit. Sed dixit facilius talia, quam probavit. Neque enim ulla penitus ratione horum Duumvirorum, quorum ipse *Harduinus*, Numorum quamvis & historicarum rerum impugnator acerrimus, in *Oper. select. pag. 685* tamen agnoscit fidem & prædicat, ille labefactare autoritatem potuit; sed facile ivit obviam contrarias tuentis partes conatibus Ill. Autor, eumque perbelle suo ipsius, quod ajunt, gladio videtur jugulasse. Concesserat enim *de la Bâtie* in Dissertatione sua, si qui etiam essent Numi, & vere haberentur, suppositi, ex eorum tamen epigraphe, si occurrere in eadem nihil ostenderetur, quod in antiquos ritus historiamque impingeret, tuto probari aliquid atque evinci posse. Uti veram, quemadmodum est re ipsa, *Boubierius* regulam hanc assumsit, illiusque adjutus auxilio, varia Adversarii dubia feliciter diremit. Numum autem, quippe ne diu quæreret, statim primum, eumque in Consulatu *Titi* secundo cusum, quo *Pontifex Maximus* ille dicitur, *de la Bâtie* impugnavit. Habetur ipse in *Mediobarbi* Opere *pag. 114*, ex Numophylacio Ducis Parmensis desumtus. Ita autem legendum putat Criticus: IMP. PP. CÆSAR. Sine ullo profecto exemplo PP, hoc est, *Pater Patriæ*, inter duas voces IMP. & CÆSAR positum apparet. *Occo* autem *pag. 153* accuratissimum hujus Numi typum exhibet, ubi non legitur PP, sed T, id est, *Titus*, non COS. III, sed, quod optime cum historia convenit, COS. II. Inprimis putida etiam est nostri *de la Bâtie*, quam habet, explicatio, si vel maxime genuina esse verba concederet, quæ sequuntur: IMP. T. CÆS. F. VESP. P. M. TR. P. COS. II. Nam ita opinatur interpretanda esse: *Imperator Titus Cæsar, Filius Vespasiani Augusti, Pontificis Maximi, &c.*

Miram

Miram vero explicationem, qua nulla fuit unquam in omni re Romana insolentior usurpata. Neque enim in unica vel Inscriptione, vel Numo unico, vox *Filius* ante Patris nomen, ut bene *Bosius de Pontif. Max. P. II Cap. 2 n. 12* observavit, collocatur, sed semper Parentis potius præmittitur nomen, sequente vocabulo *Filius*; quemadmodum in Numis *Agrippæ* legitur: DIVI F. id est, *Augusti*; aut in *Tiberii*, DIVI JVLI F. &c. Sic in *Titi* etiam Numis est epigraphe: VESP. AVG. F. AVG. hoc est, *Vespasianus, Augusti Filius, Augustus.* Ex quibus igitur dictis, quis est, cui non pateat, illud F in laudata Inscriptione familiæ Imperatoris præ se nomen ferre, atque, ut notum est ex historiis, *Flavius* significare? Contra alium præterea Numum, in tertio *Titi* Consulatu figuratum, frigidiuscule paulum excepit doctissimus Censor, illum nimirum, quoniam *Mediobarbus*, ex quo desumtus est, autore præter *Occonem* alio non uteretur, penitus exinde rejiciendum esse. Addidit alias præterea ratiunculas, quas nolumus describere. At enim vero plures habet omnino & *Mediobarbus pag. 122* Numos, & plures etiam *Gruterus CIII, 7.* Inscriptiones, quæ tam exacte cum Autore nostro conveniunt, ut, fundamento illud suo destitutum ædificium corruat ex sese, necesse sit. Eodem comparatæ modo sunt, quæ contra tertium aliquem, quartum, & quintum, ex istis Numis, dubitationes a *de la Bâtie* conceptæ sunt, quippe ad refutationem facillimæ pariter, & quasi factæ; quæque etiam ab Ill. *Bouhierio* solide non magis, quam ornate, ne quid desiderari a quodam possit, consummata est. Cujusmodi quid in alio etiam *Begeri* perfecit, quem contra Adversarii exceptiones ut clare vindicavit, ita verissime. Ulterius autem instat Vir eruditus, &, cum huc usque Numorum tantum, quamvis illorum *quinque* saltem ex *tredecim*, quos *Bouhierius* adduxerat, labefactare autoritatem quæsivisset, telis ex re ipsa adeo & Historia petitis Ill. Præsidis confodere de novo sententiam identidem conatur. *Suetonium* enim, accuratissimum sane, cunctorum judicio, Historicum, ne verbo quidem meminisse ait, *Titum* eodem, quo *Vespasianus*, tempore Pontificis Maximi honores & dignitatem gessisse;

gessisse; quin ipsum potius *Vespasianum* non nisi sero cum tribunitiam potestatem, tum Patris Patriæ appellationem, recepisse, objicit. At nihil inde omnino effecit, quantumvis sibi effecisse videatur, Vir generosus. Si enim *Suetonius*, aut alius Scriptor, rei non meminit alicujus, quamvis ea est suo tempore gesta; quæsumus, an suspecta propterea, aut plane falsa, censenda est, præsertim si illa ex aliis Historicis, quemadmodum hoc loco ex *Dione Cassio Lib. LXVI*, immo vero ex Numis etiam, evinci, & plane demonstrari, possit? Haud ita quidem videtur. Ultimum autem Vir doctissimus in *Plinii Panegyrico* suffugium quæritat, ubi *Nerva*, ut in filium, sic in regni etiam adoptasse societatem *Trajanum* legitur. Cum igitur Numi exstent, in quibus nil nisi *Pontifex* dicitur *Trajanus*, documento esse eam rem, confirmare sibi videtur posse, *Titum* etiam, vivente *Vespasiano*, non *Maximum Pontificem*, sed *Pontificem* tantummodo, & nil præterea, exstitisse. Enimvero non perpendit cum animo *de la Bâtie*, *Plinii*, tanquam Oratoris, autoritatem in ejusmodi re probanda vix quidquam momenti habere, præsertim cum a *Tillemontio* in *Vit. Nervæ pag. 147*, eosdem cum *Nerva* titulos *Trajanum* gessisse, satis probatum sit. *Boubierius* præterea in Dissertatione sua, & gravissimis quidem fultus autoritatibus, quamvis subinde vocabulum *Maximus* in antiquis monumentis desideretur, luculenter tamen ostendit, sæpissime subintelligi. Ut *Plinii* ergo iste, ex *Panegyrico* adductus, locus ad impugnandam Præsidis Ill. sententiam non aptus sit, nec quidquam promoveat. Ex his igitur, quæ & ante dicta sunt, & paucis adhuc ex Inscriptione aliqua de *L. Vero* in Dissertatione pertractantur, illam *Boubierii* sententiam, qua is, ante *Balbinum* jamjam & *Pupienum* duos Imperatores simul Pontifices Maximos fuisse, evicit, firmam adhuc perstare & inconcussam, clarissime patebit.

Atque ea quidem sunt, quæ ex elegantissima hac Dissertatione, satis pro instituto nostro, enarrare visum est. Varia quidem occurrunt adhuc, ad Rev. *Oudinum*, ex S. J. Eruditum, disputata, quæ magnam illam, quam bene huc usque cognovimus, Præsidis Ill. doctrinam, & in antiquorum libris monumentisque

que peritiam ex affe loquuntur; quæ tamen, ne totum huc libellum cogamur transfundere, ut quivis facile videbit, omittenda funt. Inprimis autem perpulchre explicata eft Infcriptio, de cujus antiquitate inter ipfum *de la Bâtie* & Illuftrem Virum *de Valbonnais* fuit difputatum, quamque ita explicari oportere, nobis *Bouhierius* perfuafit: *Jovi O. M. Claudio Albino, Caji Filio, Viro Clariffimo, Præfidi Galliarum Augufto, & Lugdunenfium libertatis adverfus Severum acerrimo vindici.* Alia eft penes *Gruterum fol. MXXXV, 5,* Infcriptio, contra quam varia, & admodum erudita; idem *de la Bâtie* excipere conatus eft, quam non minori tamen dexteritate & felicitate Nofter vindicavit. Idem dicendum eft de illa, quæ apud *Reinefium Claff. IV, 15,* & de illa, quæ *Claff. VI, 15,* confpicitur [illegible] occafione de titulo *Viri Clariffimi* quædam Vir Illuftris difputavit. Eruditiffima etiam funt, quæ ulterius de adoptione Principum leguntur fcripta, de qua præclare *Dodwellus* monuit *Prælect. Camden. pag. 552,* multis eam nominibus longe fuiffe aliam ab illa, quæ privatarum familiarum fuerit, quippe quod tota pependit ab arbitrio adoptantis, legibusque civium foluta fuit. Quo loco, ipfos Imperatorum filios naturales natos Cæfares non fuiffe, fed fingulari demum lege atque decreto dignitatem eam adeptos effe, *Bouhierius* evicit. Quod potiori igitur jure effet dicendum de iis, qui faltem in filii locum adoptati ab Imperatoribus fuiffent. Cujus etiam opinionis focium habet *Baronium*, aliosque. Denique una adhuc apud *Muratorium* Infcriptio contra *de la Bâtie* vindicata eft, quoniam is, quamvis in illa diftinctis verbis legitur: POMPEIA. CN. F. MAGNA, tamen, quod a nullo alio Scriptore hujus *Pompeji* filiæ mentio injiceretur, veram effe eam poffe, perpetuo negaverat, & egregie falfos nominaverat hos, qui aliter arbitrantur. Optandum omnino effet, ut plures hujus generis Differtationes ab eruditis hodiernis eadem accuratione, ftudio, induftria, modeftia, perfcriberentur.

*DISSERTATIO GLYPTOGRAPHICA, SIVE Gemmæ duæ vetuftiffimæ, emblematibus & Græco arti-*

 *ficis*

*ficis nomine inſignitæ, quæ exſtant Romæ in Muſeo Victorio, explicatæ & illuſtratæ. Accedunt nonnulla veteris elegantiæ & eruditionis inedita monumenta.*

Romæ, typis Zempelianis, 1739, 4 maj.
Plag. 19½.

Non pauca hic libellus complectitur, quæ antiquitatum, inſcriptionum, imaginum, curioſis lectoribus mirifice placere poſſunt. Agitur hic præſertim de excellentia ſculpturæ gemmarum antiquarum, quique primi gemmas inciderint, inquiritur. Qua quidem occaſione non paucorum ſculptorum celebrium nomina pe[illegible]ſentur, etiam in Indice uni obtutui ſubjecta. Eſt inter ejusmodi gemmarum ſculptores *Aulus*, plurium, quæ diligenter hic commemorantur, artifex. Conſpicitur in una talium gemmarum, Achate ſcilicet, Venus, ſedens in eleganti quadam ſaxorum ſtrue, cui ſiniſtra innititur, dexteræ vero manus nonnihil elatæ, atque expanſæ extremo indice producto, calamum, ſeu virgam erectam, ſuſtinet, librat, circumducitque, duplici armilla, qua brachio manus adjungitur, revincta. Caput oblique expreſſum eſt, oculo ad æquabilem virgæ agitationem jucunde intento, vultu, ſive ore, plane blando atque hilari. Crines habet criſpos, & modo religatos ad occiput, relictis extremitatibus, ad auræ flatus ſpatiantibus. Inauribus decoratur, ſed ſine gemma; monili tamen circa collum unionibus valde pretioſo. Parte ſuperiore corporis tota fere nuda eſt, diſcincto baltheo, turgidula, & ſucci plena, ad artis certe oſtentationem & miraculum ſculpta. In inferiore deſlua palla tegitur, multis flexibus ſinuoſa, ejusque extremitates nonnullis flocculis, ad olivæ figuram accedentibus, exornatur; pedibus vero nullo calceamenti genere indutis efficta eſt. Advolat e regione puer Amor explicatis alis, & ridenti ore, capillo breviuſculo, cirratoque, extenſis autem brachiis manibusque, ac digitis ludicre exertis; corporis ſtatu exprimitur, quo ſe urgeat circa libratum bacillum, ſeu calamum, tanquam impetraturus illum a matre, ut eundem lu-

dum

dum luderet; totus pinguior, ut pueri esse solent. In area legitur ΑΤΛΟC. Dum deinceps veterum opiniones circa gemmam Achatem percensentur; usus simul & consuetudo comburendi gemmas, una cum cadaveribus mortuorum, illustratur. Hinc varia in ipsa imagine notatu digna seorsim expenduntur. Agitur e. g. de inauribus, Veneri tributis, de monili circa collum, de armillis circa manus & brachia, de baccis, seu flocculis, &c. Neque minus tractatio additur de ancillis, quæ inaures, armillas, monilia, aliaque ornamenta muliebria, servabant apud veteres, deque talibus ornamentis, in sacris quoque imaginibus, a Christianis usurpatis. Hac data occasione duo vasa vitrea Musei Victorii sistuntur, quorum in altero mulier spectatur in Elysiis, & ejus ornamenta indicantur; in altero imagines ornatæ monilibus sunt expressæ. Expenditur quoque ludus, cui Venus videatur intenta, cum aliis nonnullis ludis puerilibus veterum, a Philosophis, Regibus, Imperatoribus, ac Diis ipsis gentium profanarum, adhibitis. Inde post circuitiones nonnullas progressio fit ad mysteria, in antiquis gemmis cælatis frequentissime occultata; itemque ad cælaturam & sculptores tam mediorum temporum, quam recentiorum; ubi etiam *Georgio Vasario* justa laus tribuitur, quique ab eo memorantur gemmarum cælatores, aliis adjectis, indicantur. Præterea de modo agitur gemmas cælandi, veteresque microscopio usos esse, sive lente vitrea, ostenditur. Altera hujus Dissertationis pars Gemmæ dicata est, a *Quinto Alexa* insculptæ, atque *Achillis*, armis instructi, præ se ferenti imaginem. Ubi simul de ocreis, quibus *Achilles* indutus est circa tibias, ac de nomine *Quinti Alexa*, disquiritur. Inter figuras, in hac Dissertatione comparentes, sunt etiam Numismata quædam notatu non indigna. Spectat huc numus argenteus, cum imagine *Alexandri Medices*. In area partis aversæ lemma inscriptum coronæ quernæ: *Solatia luctus exigua ingentis* ex *Virgilii Lib. XI Æn. v. 62, 63.* Quibus verbis ejus fatum indicatur, quo a *Laurentio Mediceo*, noctu, per proditionem, e vivis ipse sublatus est 8 id. Jan. A. 1536 more Florentinorum, communi autem ex ratione 1537. Facinoris ejus memoriam ibidem exhibet alius numus, ubi *Lau-*

*rentius Medices* cum *Bruto* comparatur, æquale qui facinus patrarat. Siſtitur quippe in altera parte *Laurentii* imago cum verbis: *Laurentius Medices*; in altera pileus libertatis, cum duobus pugionibus, & ſubſcriptione VIII ID. JAN. *Marci Bruti* numiſma cum eadem parte averſa, & verbis: EID. MAR. publicarunt *Antonius Auguſtinus Dial. I, Fulvius Urſinus*, aliique.

## *PHYSICES ELEMENTA MATHEMATICA, EXperimentis confirmata, ſive Introductio ad Philoſophiam Neutonianam; Autore GUIL. JACOBO S' GRAVESANDE.*

## *Tomi II.*

Lugduni Batavorum, apud Jo. Arnold. Langerack, Jo. & Hermannum Verbeek, 1742, 4 maj.
Alph. 7, Tabb. æn. 127.

De prioribus eximii hujus Operis editionibus cum ſuo loco ſatis videamur dixiſſe; nihil jam ſupereſt, quam ut Lectores doceamus, quid tertia ab iis differat. Nullum ſcilicet lapidem non movit Cel. *s' Graveſandius*, naturæ ſcrutator valde diligens, & in experimentis dextre inſtituendis verſatiſſimus, cujus obitum merito lugent omnes, qui ſcientiarum profectum amant, ut Opus hocce continuo magis magisque expoliret, uſibusque non tironum modo, ſed provectiorum quoque, accommodaret. Primo quidem univerſo Operi Orationem *de Evidentia*, quam in ſolennitate Academica olim recitaverat, licet publici juris jam antea factam, denuo præfixit, qua de fundamento perſuaſionis, cum de rebus corporeis agitur, diſtincte diſſerit. Deinceps rationem Operis ita immutavit, ut Supplementum, quod ſecundæ editioni ſubjunxerat, cum reliquis in unam quaſi maſſam fuderit, inque *ſex Libros*, quæ antea *quatuor* comprehendebantur, digeſſerit. Plurimis annotationibus novis, quæ in priori editione dederat, auxit, illuſtravit, quædam correxit quoque. Machinas addidit numero plures, & non paucas ita correxit, ut fere pro novis haberi poſſint;

possint; in earum partibus describendis tanta cum cura versatus, ut omnes facile ab artifice construi possint. Cumque, improbari a quibusdam, animadverteret, quod Autores, quorum opera usus erat, haud indicasset; omnes in nova Præfatione, quorum quidem reminisci potuit, recenset, &, in quibus materiis lucem ab illis mutuatus fuerit, candide aperit. Jam vero ad specialiora quædam digitum paucis intendere haud gravabimur. In tractatione de machinis simplicibus organon novum ad demonstrandos Cunei effectus, quod in priori editione jam proposuerat, distinctius ob oculos ponit, &, quid deficiat ab aliis quibusdam Autoribus eam in rem adhibitum, luculenter ostendit. In demonstrando potentiarum obliquarum effectu ordinem, quo antea usus fuerat, mutavit. Cum enim olim punctum, in quod tres potentiæ oblique agunt, statim considerasset, & *Varignonii* demonstrationem de Parallelogrammo virium attulisset, simplicius nunc, & rei naturæ magis conveniens, judicavit, si vecti cuidam angulari potentiæ duæ, idque directe, applicari concipiantur, quarum una respectu alterius obliqua sit. Exinde enim magna facilitate deducitur casus potentiarum trium, punctum quoddam oblique & junctim trahentium. Cum reminisci non amplius posset, quisnam hujus methodi Autor sit; suam tamen haud esse, fassus est. Hoc certum est, insignem Geometram, *de la Hirium*, in Tractatu suo mechanico a consideratione vectis angularis ad Parallelogrammum virium progressum fuisse. Machinis ad hanc rem necessariis, quæ in editionibus prioribus comparent, novam nunc addit Autor, magis quidem compositam, sed talem, cujus usus multo latius pateat. Pro demonstrandis viribus centralibus novam, qua admodum accurate experimenta fieri possunt, machinam fuse describit. Licet enim in experimentis hanc in rem capiendis desudaverint Viri Clarissimi; nemo tamen corporum, separatim in gyrum actorum, vires inter se conferre valuit, id quod machina *s'Gravesandiana*, licet paulo videatur complicatior, feliciter præstat, hoc saltem nomine pro re vera nova reputanda. Porro, cum in priori Operis editione Vir Cel. ad eorum accesserit partes, qui mensuram



Digitized by Google

ram virium vivarum *Leibnitianam*, (quam ſuo modo *Hugenianam* quoque dicit, cum ſemina ejus lateant in *P. IV Horologii oſcillatorii*,) tuentur; multis hanc ipſam theoriam & novis experimentis corroborare, & in aprico ponere, laborat. Cum de verbis non litiget, hæc duo tam ratione, quam experimentis directis, demonſtrare nititur: 1) cum corpore quieſcente non communicari velocitatem finitam, niſi actione, quæ ſit ut factum ex maſſa in quadratum velocitatis; 2) corpus motum nunquam amittere totam velocitatem, niſi reſiſtentiam ſuperet, quæ ſit in dicta ratione. Exinde autem effectus virium plenus & adæquatus cognoſcitur. Quare effectus virium pleni ſunt in ratione compoſita ex ſimplici maſſarum & duplicata celeritatum, & in eadem quoque ratione ſunt vires ipſæ. Hanc veritatem graviſſimam adeo in luce poſuit Vir doctiſſimus, experimentisque roboravit, tanta cum cura inſtitutis, ut totum hocce *Caput* non poſſit non mirifice placere rerum intelligentibus. Notiſſimum Cel. *Poleni* experimentum, quo, a viribus æquales produci effectus, demonſtratur, ſi quadrata celeritatum ſint reciproce ut maſſæ corporum, adhibita machina, accuratius peragere docuit. Temporis rationem (quod tantopere urgent adverſarii,) in hoc negotio non habendam eſſe, ex eo demonſtrat, quod elaſtrum, eodem modo flexum, dum relaxatur, eandem ſemper corpori vim impertiat, lentius, an velocius, relaxetur, ſi elaſtri inertia ab inertia corporis haud ſeparata ſit, id quod ita habet, ſi elaſtrum partem corporis conſtituat. Eandem denique virium menſuram ex principiis ab hiſce diverſiſſimis, motu nimirum compoſito, & fluidorum reſiſtentia, eruit. Nullibi ſcilicet natura ſecum non conſpirat. In Aerometricis duas Autor exhibuit machinas novas, alteram ad compreſſionem aeris demonſtrandam, alteram ad experimentum de lapſu corporum iſochrono, qui in vacuo ex eadem altitudine fit, pluries repetendum. Ad explorandam diverſorum corporum dilatationem, eodem gradu caloris factam, machina quidem uſus eſt accuratiſſime elaborata, nihilque induſtriæ a ſe deſiderari in experimento inſtituendo paſſus; eo tamen nunquam ſe perveniſſe fatetur, ſed uſu edo-

ctum,

ctum, comparationem hanc inutiliter tentari, nisi corpora explorandа fluido immersa sint, ut ab eodem calor cum ipsis communicetur. Tractatio de Lumine auctior quoque compareт. Ex Optica *Rob. Smithii*, olim nobis laudata, transtulit quædam, ea inprimis, quæ ad causam spectant, cur duobus oculis objecta non appareant duplicata. Ratio nimirum phænomeni, quod Philosophos haud mediocriter torsit, ad mentem Viri istius doctissimi ab experientia ipsa petenda est, quæ semper nos docuit, duas sensationes, in punctis nervorum respondentibus oriundas, ab uno eodemque objecto proficisci. Sin pictura objecti cadat in puncta nervorum non homologa, duplicatum apparet, id quod strabonibus non modo accidit, sed ex variato quomodocunque humoris crystallini, aut fibrarum, situ ortum ducere potest. Vid. *Smithii Syslem. of Opticks Tom. I §. 137.* Pluribus addendis, cum per singula ire non liceat, merito supersedemus, quin eos potius, quibus profundior naturæ cognitio curæ cordique est, ad præstantissimum huncce Cursum experimentalem, qui, nescimus, an sui parem habeat, diurna nocturnaque versandum manu, atque ad veram artem, interrogandi naturam, exinde penitius addiscendam, imitandamque, serio exhortamur.

## *FLORA VIRGINICA, EXHIBENS PLANTAS, quas V. C. JOANNES CLAYTON in Virginia observavit atque collegit. Easdem methodo sexuali disposuit, ad genera propria retulit, nominibus specificis insignivit, & minus cognitas descripsit, JO. FRID. GRONOVIUS.*

## *Partes II.*

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Haak, 1743, 8 maj.

Plag. 14.

Non defuerunt celebres quidam Botanici, *Doodius*, *Vernonius*, *Krieggius*, & *Bannisterus*, qui plantas variarum Indiæ meridionalis regionum collegerunt & descripserunt; sed

ſed, præter pauca fragmenta, quæ *Rajus* ab interitu vindicavit, ſcripta eorum deperdita fuerunt. Cum igitur hactenus Cl. *Claytonus* magno cum ſtudio ſtirpes Virginiæ diſquiſiverit, & ſæpius jam ab A. 1736 faſciculos exſiccatarum plantarum Cl. *Gronovio* transmiſerit, hic in publicandis & ordinandis his plantis rem Botanicis non ingratam præſtitit. Plantas vero, olim jam miſſas, cum Cel. *Linnæo* communicavit, qui ſtructuram florum accuratius ſub examen vocavit, & varia nova genera generibus ſuis plantarum inſeruit, & ita ſyſtemati ſexuali adaptavit. In prima enim generum editione recenſentur Melothria, Xyris, Houſtonia, Cephalanthus, Claytonia, Pontederia, Prinos, Medeola, Rhexia, Clethra, Hydrangea, Penthorum, Trichoſtema, Schwalbea, Diodia, Obularia, Chryſogonum, Nyſſa, & Chionanthus, cujus character ab ipſo *Claytono* deſcriptus fuit. In nova vero generum editione acceſſerunt Limodorum, Hamamelis, Itea. Hæc etiam cauſa fuit, cur *Gronovius* in edendis his ordinem methodi ſexualis ſecutus fuerit, cum *Claytonus* in illis diſponendis methodum *Rajanam* elegerit. Nomina ſpecifica, quæ in Horto *Cliffortiano* inveniuntur, adjecit, & reliquis plantis, quæ *iſtic non obviæ* erant, nomina *Linnæanis* ſimilia, & ex plantæ partibus deſumta, addidit, paucis vero nomen non adjecit, ſed ulteriori Autoris diſquiſitioni propoſuit. Nomina ſpecifica ſynonymica pauca adjecit, quoniam ex his ſatis cognoſci, & cum aliis Autoribus conferri, poſſent. Nomina ſpecifica, a *Claytono* exhibita, ſatis ampla ſunt, & integras ferme deſcriptiones plantarum ſiſtunt, e. g. Lyſimachia flore pallide cœruleo, e ſingulis foliorum alis ſingulo, absque pediculo egreſſo, tubulato, ad oram quinquepartito, galea & labio a ſegmentis lateralibus non facile diſcernendis, calyce in quinque acuta ſegmenta ad unguem fiſſo, foliis ſubrotundis crenatis auriculatis adverſis, caule ſimplici infirmo, vaſculo acuminato duro bicapſulari. Hæc vero nec ad Lyſimachiam, nec ad aliud cognitum genus, referri poterit; quamobrem in his & ſimilibus Cel. *Gronovius* characterem genericum amplius expoſuit, & more *Linnæano* deſcripſit. Maxime ideo laudandus eſt, quod nova genera nondum ſtabiliverit, ſed

ſed eadem ulterioribus *Claytoni* diſquiſitionibus in plantis virentibus & florentibus reliquerit. Hoc igitur *Floræ Virginicæ* ſpecimen oſtendit, nobis varia adhuc, incrementum rei botanicæ promoventia, a Cl. *Claytono* exſpectari poſſe, quippe qui non hæc ſolum perficiet, ſed & ex aliis vicinis provinciis, quas peragrandas ſuſcepit, novas plantas addet. Eo tamen reſpiciendum erit, ne nomina diverſa, a *Claytono* & *Gronovio* aſſumta, in generibus & ſpeciebus confundantur. *Pag. 18* Ilicis *Tourneforții* ſpeciem ad genus Ilicis *Linnæi*, ſive Aquifolium, adſcriptam videmus; ut nonnulla alia levioris momenti jam taceamus.

*HERMANNI BOERHAAVE, PHIL. ET MED. Doct. Inſtit. Colleg. Pract. Botan. & Chem. Prof. in Acad. Lugduno-Batav. Præſid. Colleg. Chirurg. Soc. Reg. Scient. Lond. & Acad. Reg. Scient. Pariſ. Sodalis, Prælectiones Academicæ in proprias Inſtitutiones rei medicæ. Edidit, & Notas addidit, ALBERTUS HALLER. Volumen II, Arteria, Cor, Pulmo, Sanguis, Glandula, Cerebrum.*

Gottingæ, apud Abrahamum van den Hœck, Acad. Typographum, 1740, 8.
Alph. 1 plag. 19.

Alterum hoc prælectionum *Bærhaavianarum Volumen* ab intelligentibus earum rerum viris non minori exceptum iri plauſu, nobis facile perſuademus, quam exceptum olim *primum* fuit, quippe quod, ſimul atque in lucem prodiit, certatim omnes & uno velut ore collaudaverunt. Cum *primo* illo ſicut & inſtituti ratione, & omnibus dotibus ornamentiſque, quam maxime hoc *alterum* convenit; ita vix ea, quæ de *primo* olim in his Annalibus noſtris commemoravimus, huc copioſius repetere, opus nobis videtur. Id vero unum ſigillatim referimus, quandoquidem magni in re medica momenti doctrinæ in *altero* hoc *Volumine* diſceptantur, Cel. Editorem pro incredibili ſua rerum anatomicarum peritia inprimis ſtructuram partium quam diligentiſſime ex omnis

generis scriptoribus, maxime recentioribus, iisque probatissimis, enucleasse, non prætermissa, si quando omnino non inter se conspirarunt, observationum sententiarumque diversitate, novissima simul experimenta atque computationes recensuisse accurate, & ad examen revocasse. Nobis in præsenti satis erit, ex tanta præstantissimarum observationum copia quædam speciminis loco quam brevissime, ipsis utplurimum Autoris verbis, enotare. *Pag. 84* hypothesis *Lancisii* atque *Nicholsii* de motu cordis refutatur. Prior, vivorum animalium sectionibus inductus, existimavit, non esse distincta tempora contracti cordis & auricularum, neque præcedere integram contractionem auricularum, priusquam ventriculi contrahantur, sed auriculam quidem prius incipere contrahi, ultimam autem contractionem cum initiis systoles cordis synchronam esse. Quoniam hanc opinionem alibi jam fusius Cel. *Hallerus* discussit, hic unico hoc argumento utitur, quod nimirum valvula maxima dextri & maxime sinistri ostii venosi arteriæ pulmonalis & aortæ ostia tegant, ut omnino fieri non possit, quod *Lancisius* fieri contendit, eodem nimirum tempore influere sanguinem in cor, valvulas venosas itaque lateribus apprimi, *simulque aliquid* ex corde effluere, atque ideo ostium arteriarum apertum esse. *Nicholsius* autem sibi persuadet, non synchronos esse auris dextræ & sinistræ motus, neque synchronos motus utriusque ventriculi, sed cum dextræ auris contractione relaxationem sinistri sinus conjunctam esse, sinistrique cordis contractionem, cum relaxatione vero dextræ auriculæ contractionem sinistri sinus, & relaxationem cordis sinistri. Argumentum ejus a temporibus desumitur, quæ eo rythmo demum sibi respondere putavit. Sed, omnino asynchronos motus sinuum esse non posse, Noster indicat, cum dexter sinisterque sinus medium latum parietem communem habeant, ventriculi vero & commune primum stratum fibrarum, & multas præterea alias decussationes ad utramque septi superficiem; non ergo fieri posse, ut eædem aut arcte convexæ fibræ simul in dextro ventriculo, aut sinu laxæ, & in sinistro sinu, aut corde, strictæ sint. *Pag. 67* experimenta, quæ infusionis causa quondam in animalibus suscepta sunt,

ſunt, percenſentur. *Pag.* 69, quicquid transfuſionis cauſa quondam in Anglia actum fuit, refertur. *Pag.* 72 ad ſanguinis circuitum vaſorumque ingreſſus oculis uſurpandos primum a *Malpighio*, hinc, & quidem quam maxime, a *Leeuwenhœckio*, item *Cowpero*, *Cheſeldeno*, & pluribus aliis, adhibita eſſe microſcopia, copioſius enarratur. *Pag.* 95 *Hallerus* perinde ac *Lanciſius* non infrequenter in vivorum ſectionibus vidit ſerum rubellum in pericardio, ad ignem ſe coagulans, ſero abdominali ſimillimum. *Pag.* 161 ingenue fatetur Noſter, ſibi de fabrica muſculoſa cordis humani, & diverſis fibrarum ordinibus, præcipue ad *Lanciſii* & *Winslovii* mentem, non ſatis conſtare, hanc vero ignorantiam ſibi cum maximo Europæ Anatomico eſſe communem. *Pag.* 130 variorum calculi de potentia cordis motrice exponuntur, atque ſub examen revocantur, ſimulque oſtenditur, vim eam eſſe longe maximam, quamvis numeris adhuc nondum adeo recte fuerit definita. *Pag.* 138 polypos, qui ſubinde ex corde omnium fere adultorum hominum extrahuntur, non morboſos, neque inter mortis cauſas, ut nimis ſæpe ſolet, referendos, ſed mortis effectus, eſſe, cum *Kerkringio* exiſtimatur, quando ſcilicet ſanguis, per quietem coagulatus, ab ultimis palpitationibus expreſſus, tenuiorem partem emittit, ipſe in maſſam gelatinoſam cruentamque compactus remanet. *Pag.* 153 glandulæ bronchiales per oſcula, nemini adhuc perſpecta, aliquid aſperæ arteriæ, tenuem forte rorem, tribuere videntur. *Pag.* 155 multa egregie de ultima pulmonum ſtructura Noſter diſputat, quam celluloſam eſſe arbitratur. *Pag.* 170 princeps, ut vocatur, theoria *Bœrhaavii*, quod in pulmone denſæ rubræque ſanguinis moleculæ naſcantur, egregie illuſtratur. *Pag.* 180 ſanguis in pulmone non refrigeratur. Ad ſanguinis tamen condenſationem, adeoque rubedinem ejus, confert forſan aeris frigus, a vaſculis minimis modico pariete membranaceo diſtans, atque contrahens moleculas, contactusque augens. *Pag.* 198 ex mente *Bœrhaavii* utique aliquid de aere ſe in pulmones recipit, quod tamen non eſt elaſticum, & intra ſanguinem elaſticum permanere nequit. *Pag.* 209 veriſimile eſt, ab arteriis pulmonalibus in cellulas aereas eſſe iter liberum, omnino

 uti

uti solet ex arteriis in cellulares fabricas omnes; porro a cellulis aereis in venas pulmonares itidem liberum esse iter, per quas vapor aqueus ex aere, contagia variolarum & pestis, terebinthinati vapores, qui urinam odore violæ tingunt, & alia liquida subtiliora, aer demum ipse, resorberi videatur, omnino ut solent venæ patulis osculis cum fabrica cellulosa ubique in corpore communicare. *Pag. 228*, quando Cel. *Hallerus* testatur, sanguinem per pulmones moveri etiam velocius, & quidem quadragesies & ter, id vix conciliari potest, nisi in pulmone aut aliqua mora in intervallo inspirationis atque exspirationis ponatur, aut demum ratio vasorum minimorum ad vasa rubra major sit. Neque enim a corporis longitudine pendent longitudines viarum sanguinis, sed a plexuum fabrica, & omnium maxime a multitudine serierum minorum, in quas liquores subtiles ex arteria emittuntur. Et hisce seriebus non immerito videtur excellere pulmo; siquidem omnium serierum liquores solus trajicit. *Pag. 253*, quamvis post *Ruyschii* felicem industriam recentiores Medici, totum fere corpus humanum tubulosum esse, contenderint, in omni tamen viscere, & in omni particula corporis humani, post vasa quam *felicissime repleta*, sola elotione longe major pars substantiæ muci & furfuris specie secedere solet, in qua ars implendi, & microscopia, nihil vasculosi ostendunt. Quod & in cartilaginibus, ossea substantia, musculo, laminulis tunicæ cellulosæ, ita se habet. Ut adeo nec ars detegere queat minima vasa, nec videatur ultima solida & elementaris substantia partium cava esse. *Pag. 260* de remora fluidorum corporis humani a plicis agitur, &, ut nemo facile dubitaverit, plicas, quæ verum obstaculum efficiunt, ut eminentes intra cavitatem canalis eductos introrsum parietes, quales ad ostia arteriarum in arcu aortæ occurrunt, aliquid ad fluenti retardationem conferre; ita etiam, si plicarum nomine sola mutatio directionis, sive flexio canalis repetita, qualis in variis arteriis, maxime vero omnium in vasis uterinis, observatur, intelligitur, satis tamen videtur certum, ex hac ipsa flexione tubi sola augeri frictionem, fluxumque retardari. *Pag. 310* fibrosa sanguinis substantia non alia est ab ipsis globulis, & solo calore

calore evanescit. Fit autem globulis illis rubris varie se attrahentibus, atque intercipientibus spatia plena minoribus globulis serosis, aliisque. *Pag. 318* diversitas sanguinis arteriosi & venosi referenda est 1) ad pulmonis efficaciam, quam proxime perpessus est arteriosus sanguis, venosus vero dudum; 2) ad densitatem, quam in arterioso sanguine efficit vasorum angustia & robur, cum in venoso sanguine amplitudo & inertia vasis laxitatem in sanguine efficiat. *Pag. 356* quidam, pulsare sinus cerebri, tradiderunt. Verum, cum neque arteriosus sanguis subeat sinum, neque venosus eas vires habeat, quæ possint duram sinuum membranam elevare in pulsuum similitudinem; neque probabile videatur, sinum, firmissime innexum cranii ossibus, in adulto integro cranio elevari; videtur pulsatio, in sinus sede observata, referri debere ad innumerabiles eas arterias, quas *Ruyschius* per sinus convexitatem oberrare, & cum comparibus trans sinum conjungi, observavit. *Pag. 367* probabile omnino videtur, duram matrem in statu naturali integro cranio non moveri musculorum modo, neque evidenter succuti ab arteriis. Cerebrum vero in systole cordis omnino elevari, & appelli ad duram matrem supernam, quiescente corde relabi. *Pag. 389 Bœrhaavius* in causa glandularum *Malpighium* ita defendit, ut victus *Ruyschianis* demonstrationibus, paulatim in sententiam *Ruyschii* transierit. *Pag. 407*, quamvis elegans *Bœrhaavii* systema, ex collatis *Ruyschii* atque *Leeuwenhœckii* observationibus magno ingenii acumine concinnatum, quo ex canaliculis sanguineis arterias lymphaticas, ex his alias, longe adhuc tenuiores, atque ita porro, oriri, contendit, passim non solum discipuli, sed & alii, receperint; Noster tamen, quantumcunque vellet, sibi persuadere nequit, successiva serie quamvis minimam arteriam rubram aortam esse flavæ seriei, atque hanc, ubi minima facta est, caput esse & aortam lymphaticæ. *Pag. 447* multæ causæ diversæ secretionis, a *Bœrhaavio* omissæ, latius explicantur, de quibus hic breviter dicere non licet. *Pag. 453* in omni secretione præcedunt causæ, liquidum præparantes; deinde sequitur conditio organi, & characterem cujusvis liquidi perficit id, quod post secretionem additur; id quod

 exem-

Digitized by Google

exemplo fluidi nervorum, bilis, atque ſeminis, illuſtratur. *Pag. 465* momenta controverſiæ de glandulis, præcipue conglomeratis, inprimis inter *Bœrhaavium* atque *Ruyſchium* agitatæ, copioſe referuntur. *Pag. 520*, filamenta medullæ diſtinctiſſima eſſe, evincitur ex continuitate cum cortice, atque ex oculorum teſtimonio, tum in aliis animalibus, tum in homine. *Pag. 552* de nervorum fluido, ſeu ſpiritibus, has conditiones tanquam certas Noſter conſtituit, eſſe ſcilicet eos 1) tenuiſſimos; 2) ejus indolis, ut ex ſanguine humano parari poſſint; 3) non infinite tenues, ſed coercibiles vaſis & membranis noſtris; 4) modice compreſſiles; 5) inſipidos, inviſibiles, inodoros. *Pag. 583* exiſtentia fluidi nervei uberius demonſtratur, atque experimenta, quæ eo pertinent, in certas claſſes rediguntur. *Pag. 593* docte evincitur, nervos non ex ſolidarum partium indole, neque trahendo, aut tremendo, agere poſſe, & nullas chordarum proprietates poſſidere. *Pag. 607* ii refelluntur, qui fluidi nervorum exiſtentiam variis ex rationibus pernegant. *Pag. 642* variæ viæ deteguntur, quibus idem liquidum, maxime aqua illa communior ventriculorum, reſorbeatur. *Pag. 660*, ſi neque arteriæ, neque fabrica cellularis, neque oſſium pars magna, ex nervis fit, multum utique de affirmatione *Bœrhaavii*, omnes partes ſolidas contextas eſſe ex fibris nervoſis, demendum videtur. Quod ſupereſt, commode hoc loco ſignificamus, Cel. *Hallerum*, ut olim erat pollicitus, ſe, quicquid in aliis Prælectionum *Bœrhaavianarum* exemplaribus manu exaratis ſcitu utile reperturus eſſet, id omne digeſturum in ſuos titulos, & *Volumini primo*, quod tunc in lucem publicam exibat, ſubjecturum eſſe, ita nunc, poſtquam ab eo tempore tres codices nactus eſt, fidem ſuam liberaſſe. Edidit enim *Auctarium ad Prælectiones Academicas Bœrhaavii ex Codicibus, nuper acceptis*, octo plagulis conſtans, quod ſuis etiam ipſe notulis illuſtravit. In nova autem *primi Voluminis* editione quælibet ſuo loco fuerunt inſerta, quemadmodum & in *altero Volumine* factum eſt, & in futuris reliquis haud dubie præſtitum iri ſperamus.

*INSTI-*

## *INSTITUTIONES THEOLOGIÆ DOGMATICÆ, methodo demonstrativa traditæ a GEORG. HENR. RIBOVIO, S.S. Theol. D. Ser. ac Rev. Antistitis Quedlinburgensis a Consiliis ecclesiasticis, Phil. P. P. O. ejusd. Ord. h. t. Decano, Diœceseos Gottingensis Superintendente.*

## *Pars I.*

Gottingæ, apud Chr. Henr. Cuno, 1741, 8. Alph. 3 plag. 9.

Anno 1728 circiter S. Rev. Autor primordia cepit conformandi Theologiam ad leges methodi, quam solent *scientificam*, *demonstrativam*, & *apodicticam*, eruditi appellare, eamque in Academia Julia sine ullo Ordinis Theologici strepitu pubi Academicæ privatissimis lectionibus exposuit. Spem fecerat ejus edendæ jam in Præfatione ad *Hieronymi Rorarii* libellum, a sese editum. Paulo autem post voce divina Quedlinburgum ad fungendum munere ecclesiastico vocatus, animum a cœpto ac destinatione avocavit. Ex quo deinde Gottingam delatus fuit, functurus munere Ecclesiastæ, Superintendentis, Professoris Philosophiæ ordinarii, & Theologiæ extraordinarii, applicavit animum denuo ad fœtum suum perficiendum, ac inter prælectiones theologicas educandum. Felici eventu disseminarunt inibi rumorem malevoli, methodum tumultuariam adorantes, Virum S. Rev. nova moliri, ac de sanctiore disciplina ibi mutanda cogitare. Quæ contumelia ipsum non fregit, sed erexit, adduxitque, ut Institutiones hasce formis publicis describendas traderet bibliopolæ. Usi fuerunt jam alii methodo eadem. At incesserunt iidem via diversa. Novam hic semitam calcant, quotquot ad eas pensiculatius legendas accesserint. Exhibetur hic *Pars prior*, quæ complectitur Theologiæ revelatæ capita, quibus respondet Theologia naturalis. *Pars posterior*, quam avide exspectamus, dabit ea dogmata, quæ non nisi ex literis divinioribus perspici queunt & cognosci. In præsens nobis cum *Parte priori* res est. Dicemus *primo* de ejus distributione,

tione, tum de methodo, ac tandem de rebus ipsis. Distribuit S. Rev. Autor eam in *Prolegomena* & *Sectiones duas.* In *Prolegomenis* disputavit de Theologia, generatim spectata, de ejus partibus, ordine, & methodo, *quatuor Capitibus. Sectione priori* disseruit de Theologia naturali, ejusque cum Theo-
Pag. 124. logia naturali consensu, *Capitibus octo. Capite primo*, Deum existere, docuit; *secundo* notionem Dei, ejusque existentiam, confirmavit; *tertio* de perfectionibus Dei, a notione *entis a se* pendentibus, exposuit; *quarto* ostendit consensum doctrinæ, e sacris literis depromtæ; *quinto* egit de perfectionibus Dei, ex notione spiritus pendentibus, per luminis naturæ decreta; *sexto*
759. easdem confirmavit e Codice diviniori; *septimo* de operibus divinis, attributis, quæ ex iis cognoscuntur, atque jure divino circa res creatas, inprimis hominem, ex lumine rationis disseruit; *octavo* adjungit consensum e lumine revelationis. *Se-*
1125. *ctione* tandem *posteriori* tractat doctrinam de revelationis possibilitate, usu, & necessitate, atque criteriis, e quibus veritas illius agnoscitur. Hoc est libri, solidissime scripti, argumentum. Index prior loca Biblica, quorum expositio antea fuerat allata, recenset; posterior res ipsas designat, *brevior justo.* Methodus est mathematica, nec tamen mechanica, nec circulis, vel angulis, fœcunda, nec a sententiis Theologo dignis aliena. Ill. *Wolfii* scripta philosophica Latina hinc inde in demonstrationibus subsidii loco excitantur, ne Cel. Autori opus esset ad veritatem ubique primis principiis advolvendam progredi. Historiam doctrinarum particularium, ac doctorum sententias, Vir S. Rev. passim intexit. Moderationem cum soliditate servat ubique conjunctissimam. Quoties sententias Codicis sacri expromit, *Sebastiani Castellionis* adhibet translationem. Cum consensum Theologiæ revelatæ cum naturali exhibet, sese præbet Exegetam, ac dicta Biblica, quæ classica dicuntur, luce egregia perfundit, lucemque inde mutuatur. Id quidem institutum, quo Autor ex rationis lumine comprobavit articulos mixtos primo, deinde autem utriusque luminis consensionem extra dubitationis aleam posuit, est laudibus suis prædicandum, & a nemine adhuc ratione consimili præstitum,

ſtitum, ſi exceperis ſpecimina Ill. *Wolfii*, in *Theolog. Nat. P. I*, & in *Horis ſubſecivis*, allata. In exponendis ſententiis Dei ſeſe præſtat Philologum, &, ſi forte neceſſum videatur, Criticum, Socinianæque colluviei malleum. Nec omittendum eſt, controverſiarum, in Anglia excitatarum, hinc inde mentionem ac epitomen exhiberi pergratam. Alibi tantus librorum Anglicorum commemorabilium numerus apud Theologos noſtrates, quorum merita reverenter habemus, non offert ſeſe, quantus hic paſſim laudatur. Habent itaque lectores in hoc vireto, quod non ſolum firmat ſpectatorem, ſed etiam quod paſcit, refocillat, & delectat. Id viciſſitudinis videtur eis fuiſſe indultum, qui ad demonſtrationes ſolent corrugare frontem & cohorreſcere. Si quid licentioſa ætas noſtra in doctrina de anima ac Deo labefactare, Numinique ſupremo eripere, ſtuduit, illud per fundamenta & priſtina & nova hic fuit redintegratum ac reconcinnatum, licet fulmina in diſſentientes haud fuerint conjecta. Philoſophia *Wolfiana* quantum doctrinæ divinitus patefactæ adminiculetur, hic in ſpeculo & exemplo luculentiſſimo expreſſum eſt & demonſtratum, adeo ut verum deprehendatur, maximam Philoſophiæ *Wolfianæ* partem eſſe genuinam Patrum eccleſiæ & Theologorum noſtratium doctrinam. Haud auderemus ſic ſentire, niſi Cel. Autor hujus rei fidem dediſſet oculatam. Nunc ad rem. In Theologia naturali Autor exponit de Dei exiſtentia, eſſentia, attributis, & operibus. De voluntate ejus ad nos referenda ibi tacetur. Eam Autor adverſus Socinianos ſtabilit & communit. *Huetii* Pyrrhoniſmum ſuccincte refellit. Conſenſum utriusque Theologiæ in aprico collocat. Myſteria & revelationem inter ſeſe pugnare, negat. In Theologia naturali retinendum eſſe ſignificatum vocabulorum, quem illa in divinis ſcriptis obtinent, oſtendit. Quid ſit Atheiſmus, Deiſmus, Fataliſmus, tum univerſalis, tum particularis, Materialiſmus, Anthropomorphiſmus, & craſſus, & ſubtilis, Gentiliſmus, Manichæiſmus, & Spinoſiſmus, definitionibus & illuſtrationibus ex Hiſtoria philoſophica & eccleſiaſtica docet. In Theologia revelata eſſe utile, pronuntiat, omnia ex aſſumto quodam, quod nobis Scriptura ſacra ſuppeditat, de-

Pag. 7. 9. 11. 12. 17. 27. 40.

 rivari.

Digitized by Google

rivari. Theologiam revelatam distribuit in exegeticam, dogmaticam, moralem, ejusque partem mysticam, polemicamque. Homileticam & catecheticam, demonstrat, esse artem communi-
Pag. 61. candi cum aliis hominibus veritates divinitus patefactas. Ostendit deinde ordinem, quo partes Theologiæ sese excipere de-
74. bent. Theologiam revelatam methodo scientifica tradi posse, ostendit adversus osores, *Melanchthonis* consensu munitus. Demonstrat deinde, id ita fieri, e re esse veritatis cœlestis. Sub-
82. dit tandem monitum, quo docemur, Theologiam revelatam e
89. principiis rationis demonstrari non posse. Existere Deum, ex contingentia mundi & animarum evincit. Refellit deinde Fatalismum, & tradit, definitionem Dei per ens, quod vi pro-
104. pria existit, esse minus sufficientem. Distinguit ignorationem
109. Dei ab atheismo, ac inde feliciter controversiam de atheismo integrarum gentium decidit. Eum, qui, Deum existere, du-
112. bitat, esse atheum appellandum, negat. Progressum in infinitum, tum rectilineum, tum circularem, prosternit ac ever-
117. tit. Origines doctrinæ de atomis subindicat. Manichæismum removet. Atheismum exscindit. Deum esse ens a se, vi propria existens, docet ex *Rom. XI, 35, Gen. I, 1,* & *Eccl. XII,*
125. *7.* Nomina Dei אהיה יה יהוה illustrat, & in tuto ponit. Locum *Ebr. XI, 6,* exponit, nec non locum *Rom. I, 19, 20,* adversus Socinianos vindicat, ac genuina exegeseos luce collustrat.
137. Atheos dari theoreticos, affirmat. Attributa Dei deducit tum ex notione entis a se, seu independentis, tum ex notione spiritualitatis. Æternitatem Dei esse omnis successionis exper-
147. tem, solide ostendit, definitiones aliorum discutit, durationem esse attributum Dei, negat, eamque pro relatione habet, quæ nullam Deo mutationem, vel successionem, inferre possit.
152. Deum inesse tempori, vel loco, solide negat. Æternitatem Dei
155. a tempore infinito differre, ostendit, siquidem tempus æternitatem metiri nequit. Materialismum & Anthropomorphismum
165. refellit. Figuras hieroglyphicas de Deo dari posse, largitur, pingi tamen vel fingi illum posse, negat. Deum esse
170. spatium, vel spatium esse Dei attributum, solidissime negat, secus sentientes haud unos exhibens. Ostendit, realitates, quæ insunt

insunt animæ, Deo secundum gradus summos, vel supra gradus omnes, attribuendas esse, easque compossibiles. Deum esse unicum, firmis propugnat rationibus, simulque gentilismum evertit. Ipsum esse immutabilem, docet ex *Ps. CII, 27, 28*, locumque hunc late exponit. Eundem esse infinitum, ex nomine יהוה ostendit. Addit deinde perfectiones Dei reliquas essentiales, ex independentia fluentes, Codice sacro præeunte. Æternitatem Dei esse independentem, comprobat ex *Act. XVII, 24, 25*. Ab ea removendam esse successionem, ostendit ex *Ps. CII, 27, 28*. Sempiternum esse Deum, commonstrat ex *Apoc. I, 4, 8*, primumque & ultimum, ex *Apoc. XXII, 13*, non esse in loco, ex *1 Reg. VIII, 27*, &c. Εἴδωλα quid designent, tradit. *Joanni Philopono* opinionem eam tribuit, quæ dictitat, Deum esse unum non numerice, sed specifice. Deum adeo removet ab Anthropomorphismi monstris, ut, eum unico actu omnia possibilia distincte cognoscere, demonstret. Ni hæc sententia admittatur, successionem intellectui divino affingere oportet, quam in doctrinam de creatione & gubernatione mundi esse injuriam, nemo non intelligit. Is certe, qui nuper successionem intellectui Dei affinxit, & hunc infinita cognitione privare aggressus est, non potuit non gloriam Dei minuere, hominibusque fiduciam, in omnipræscientem Deum collocandam, eripere. Deus certe est immutabilis. Ergo intellectus quoque ejus, & intelligendi vis, & actus, est immutabilis. Et hanc ob causam in cognitione Dei est nec præteritum, nec futurum. Ipse porro cognoscit quævis possibilia, tum absolute spectata, tum in ordines redacta. Quare evidens est, Deum omnes mundos possibiles cognoscere. Qui doctrinam de mundo optimo creato haud pernoscunt, huc arrigant aures, animosque afferant attentos. Cel. enim Autor mira perspicuitate eas, quæ huc faciunt, doctrinas exposuit. Deum non posse animam mundi esse, idem solide disputat. Incomprehensibile quid esse, & profunde ignorari, unum fuit idemque *Huetio*. Quem Noster propterea debite refellit. Essentias esse immutabiles & æternas, ideas omnium rerum absolute esse necessarias, & ipsam ideam mundorum omnium possibilium esse immutabilem, idem docet.

Pag. 183. 196. 202. 213. 235. 253. 256. 257. 260. 264. 270.

Pag. 274. docet. Profligat deinceps ideas, arbitrio tribui solitas, testimoniis & consensu *Justini Martyris*, *Platonis*, *Aristotelis*, *Philonis*, ac aliorum, innisus, & demonstratione sua tutus. *Cartesius*, *Poiretus*, paucique recentiores, contrarium docere cœperunt. Hi veritatum fundamenta everterunt; illi ea consta-
279. biliverunt. Secus quidem visum est nuper viris optimis, at eis, qui vocibus notiones novas subjecerant, & secum bellige-
288. rare discupiebant. Ostendit Autor porro, Deum in quolibet minimo, quod cuidam rerum universitati inest, integram universitatem cognoscere. Rationem affert geminam. Primam sic exprimit: *Deus distincte cognoscit, quidnam in quavis serie cognosci possit.* Alteram ita instruit: *Hæc vis est & potestas principii, quod rationis sufficientis vocant, ut rebus omnibus singulisque insit ratio, cur inter simultanea in serie qualibet hunc potius, & non alium, locum obtineant, & inter successiva hæc non alia præcedant, vel sequantur.* Quæstionem obmoliuntur acutiores, an hæ rationes ad eventus contingentes, eosque liberos, applicari possint. Respondent vero *Leibnitiani*, eventus illos in serie esse spectandos, & decretum Dei ratione ordinis præcessisse intra possibilium systemata, Deique intellectum ad illos patuisse, cui possibile nihil est ignotum, sive id absolute, sive hypothetice, sic dicatur. Sic Cel. Autor etiam rationes
296. suas subduxit. *Scientia* de *media* sententiam a Jesuitis primo exortam fuisse, negat, siquidem eam norint sacer Codex, *Augustinus*, aliique. Largitur tamen, eam a *Petro Fonseca* circa A. 1569 Eboræ fuisse resuscitatam. Adjungit, præscibile id esse duntaxat, cujus sit veritas determinata. Hanc qui contingentibus rebus futuris cum Socinianorum grege detrahunt, eas præsciri posse negant, veriti scilicet, ne contingentia libere futura reddantur necessaria, minusque libera, si ea dicantur
301. determinata. At hisce contingentibus Theologi nostrates æque ac Pontificii & Reformati tribuunt veritatum determinatarum naturam. Quare Cel. Autor extra heterodoxiam in dogmate de omnipræscientia divina est collocatus. Omniscientia Dei certe non est salva, nisi omnipræscientia firmo stet talo. Et hanc ob causam Autor hanc illi præmisit. Et quid fieret de sapientia

pientia Dei, si ei omnipræscientia deesset? Ipse porro osten- Pag. 349.
dit, mundum, qui existit, esse omnium possibilium optimum, seu perfectissimum. Libertatem Deo tribuit, ac *Melodium* refellit. De eo, quod decet, solide exponit. Decretum Dei
esse absolute necessarium, negat, eo quod illud non solis invi- 388.
tamentis ab eo, quod Deum decet, pendet, sed etiam motivis objectivis gaudet. De voluptate Dei magnifice sentit, & excellenter pronuntiat. Nec minus reliqua, quæ Deo sunt propria, more suo demonstrat. Absolutum Deo decretum denegat. Decreta temporaria, quæ Sociniani Deo tribuunt, pro-
scribit & exstirpat. Decretum Dei esse unicum, ita tradit: 495.
*Fac, plura in Deo dari decreta, cum decretum sit actus volunta-* 500.
*tis divinæ, ejusque liberæ; consequens est, plures voluntatis divinæ, ejusque liberæ, esse actus. Deus autem vult unico actu. Idcirco decretum Dei est unicum.* Item: *Deo decretum competit, quia voluit, ut mundus, qui est, existeret. Hic mundus autem est unus, & complectitur seriem eorum, quæ exstiterunt, existunt, vel exstitura sunt. Hanc igitur seriem Deus, ut simul intueri, ita simul velle, debuit, quoniam illa hunc mundum constituit, & voluntas Dei nulla fertur in incognita. Quæ cum ita sint, Dei*
*decretum non est nisi unicum.* Ostendit, *Calvinum* admisisse 502.
rationes objectivas, ideoque absoluto decreto haud favisse; eos vero, qui essentias arbitrarias finxere, non potuisse non decretum Deo tribuere absolutum, certe indeterminatas rationes ob-
jectivas assensu complecti. Demonstrat porro, Deum non nisi 504.
optimum decernere, tam in sese spectatum, quam in relatione
ad ipsum; decretum vero Dei rebus non inferre absolutam ne- 515.
cessitatem; spectare ad totum, non ad partes esse restringendum; admittere imperfectionem rei in sese spectatæ. Addit
tamen, decretum Dei unicum tanquam multiplex considerari 516.
posse, si res decretæ non necessario nexu cohæreant; & præscientiam decreto esse ratione ordinis anteriorem, ideoque libe-
ras hominum actiones antecedere decretum. Recenset eos, 528.
qui præscientiam Dei labefactarunt. Quæris, an peccata ho- 530.
minum a decreto Dei sint repetenda? Respondet Cel. Autor: *Deus, cum hunc mundum decerneret, simul permissionem peccato-*

*rum decrevit, & vi hujus decreti peccata, salva contingentia ipsorum & libertate hominis, prævidit. Eatenus quoque futuritio peccatorum a decreto divino dependet, quatenus illam permittere decrevit. Sunt igitur alia in mundo, quæ, voluntate approbante, vult, sunt alia, quæ, noluntate reprobante, non vult. Absit igitur, ut Deo aliqua exinde labes adspergatur.* Sufficiant hæc in præsens speciminis loco. Nostrum est, S. Rev. Autori laborem feliciter exantlatum gratulari, ac lætari de controversiarum hac ratione imminutione, quæ fundum Christianum miseretenent occupatum atque afflictum. Quæ vero ipse Cel. Vir in compendio hic edisseruit de *omnipræsentia Dei*, illa peculiari Dissertatione A. 1741 copiosius deduxit.

## Hochverdiente und aus bewährten Uhrkunden wohlbeglaubte Ehrenrettung Johann Guttenbergs, ꝛc.

hoc est,

## *MERITISSIMÆ ET EX PROBATISSIMIS Actis fide digna Vindiciæ honoris Joannis Guttenbergi, civis Moguntini, ex vetusto Rhinlandico nobili genere de Sorgenloch, vulgo Gænsefleisch dicti, respectu primum inventæ celebratissimæ apud Moguntinos typographiæ, in Germanicæ nationis honorem perennem, ac Moguntiæ decus, cum controversiæ de primo artis illius inventore decisione, fideliter ac diligenter concinnatæ per JOANNEM DAVIDEM KOELERUM, Hist. P. P. O. Gottingensem.*

Lipsiæ, impensis Caspari Fritschii, 1741, 4.
Plag. 15½.

Jubileus, seu secularis, annus tertius typographicus est in causa, cur de hoc scripto limatissimo æque ac solidissimo, Rev. & Serenissimi Moguntiæ Archiepiscopi ac Electoris clementiæ celebratissimæ, & immortali honore colendæ, inscripto, Germani sibi gratulentur. *Guttenbergius* loco præmiorum miserias, paupertatem,

pertatem, obtrectationes, & posteritatem plerumque in ipsum ingratam, fuit consecutus. Qui vindicandis ipsius meritis animum appulerunt, ignorantiam effugere vel nequierunt, vel noluerunt, siquidem ex uno *Guttenbergio Guttenbergios* duos, vel tres, sunt architectati. Ut certiora Cel. Autor suppeditare posset, factum est insigni in literas bonitate Generosiss. ac Illustrissimi *Joannis Ernesti de Glauburg*, e cujus scriniis Acta ac literæ nunc prodeunt in lucem, quibus illustratur *Guttenbergii* genus ac vita. Non est mirum, si scriptores & typographiæ præcones seculares nuperrime multa peccarunt, quibus quippe hæc documenta haud patuerunt. Gratiæ idcirco Cel. *Kælero* sunt habendæ & agendæ, eo quod magnam & gravem lacunam, quæ insederat Historiæ literariæ, præclaris argumentis explevit & explanavit. Laureola *Laurentii Costeri* nunc marcescit, & *Jo. Fausto* laus inventionis adimitur jure meritoque, inventionis, qua cogitationes eruditorum celeriter fiunt juris publici, & gloriose perennant. *Jacobo Mentelio* nunc solide detrahitur gloria, immerito reportata. *Marchandus* in libro: *l' Histoire de l' Imprimerie*, Cel. *Kælerum*, causa indicta, citra jus fasque reprehendit *pag. 6, 30*, ob ea, quæ Cel. *Schelhornius Tom. IV Amœnit. literar. n. II pag. 301* ex B. D. *Zeltneri* relatione de *Kæleri* destinata demonstratione exposuerat. Posest nunc & altera pars audiri. Anno scilicet 1440 Moguntiæ inventa est ars typographica, 1450 autem ad umbilicum adducta. Quæ recentiores scripserunt de *Laur. Costero*, ea fabulis & novitate Pag. 3.
testium laborant. Testes coævi ac legitimi nec *Costero*, nec *Mentelio*, favent, sed gloriam inventæ typographiæ tribuunt *Joanni Guttenbergio*, cui a villa prope Moguntiam sita *Sorgenloch* nomen gentilitium, nec non ab area Moguntiæ, *zum* 7.
*Gænsefleisch* dicta, cognomen *Gansefleisch*, adhæsit. Ipse tenuit Moguntiæ locum, seu domum, *zu Gudenberg*, ac inde dictus fuit *Gudenberg* & *Guttenberg*. Avus ejus paternus vo- 9.
catur nunc *Frielo zum Eselweck*, nunc *zum Gensfleisch*, nunc 10.
*zur Laden*. *Joannes* sese appellavit *Henchin zu der Laden*, & *Henchin zu Gudenberg*, seu *Gudenburg*. Curia *Gudenberg* A. 11.

1391

1391 fuit generoſorum virorum, *zum Jungen* dictorum. Ad
*Gænſefleiſchios* videtur ipſa per *Elſam Weyrichin*, *Joannis* ma-
Pag. 12. trem, traducta. Ipſe Moguntiæ civis, at ex generoſa ſtirpe,
natus exſtitit, habitavit domum *zum Jungen*, ab *Ortenio zum*
14. *Jungen* A. 1443 obtentam pro hæredio, a matre jam A. 1422
poſſeſſam, mortuoque fratre ſeniori *Frielone*, viro nobili, re-
diit in locum *Gudenberg*. Nobilitas generis, quo procreatus
fuit, dubitatione vacat. Inſignia gentilitia dedit æri inciſa Cel.
18. Autor. Pater ipſi obtigit *Frielo*, mater *Elſa*, ſeu *Eliſabetha*,
*Wirichin*. Occaſionem inveniendi artem typographicam ei ſup-
peditavit modus exprimendi inſigne ſuum ſigillo, ac preli, quo
19. vinitores utuntur. Initia artis ſcite aperit Autor. Literas ille
*Joannes* ſculpſit primo ligneas immobiles, poſthæc mobiles,
minusque conſolidatas; ac tandem plumbeas, metallicas, po-
ſtremo ſtanneas, in locum earum ſubſtituit, ſigillatim & citra
nexum fuſas. Atramentum tentavit varium, ac tandem id
21. commode paravit, ex fuligine oleoque lini mixtum. A.
1455 implicatus fuit cum *Joanne Fauſto* lite forenſi, ac eo ipſo
typographeum prius gloriamque inventi deperdidit. *Joannes*
*Fauſtus*, litis autor avarus & ambitioſus, miniſter antea, ex eo
tempore artem ſuo exercuit nomine, uſus miniſtro *Petro Schœf-*
23. *fero*. Ex officina *Guttenbergii* prodiit primo *Catholicon*, tum
vero *Codex Biblicus*, ad formam majoris folii factus, quem A.
37. 1462 *Fauſtus* edidit. A. 1457 *Pſalterium Latinum* luci fuit
datum. Exceperunt hoc *Rationale divinorum officiorum* A.
1459, 6 Oct. *Clementinæ Conſtitutiones* A. 1460, 25 Jun. Editio
altera *Catholici* A. 1460, ac *Liber ſextus Decretalium* A. 1465,
17 Dec. in lucem exierunt. Deſcripta formis ſingula, quas
*in folio* vocant. Poſt A. 1455 *Guttenbergius* ab Archiepiſco-
po *Adolpho* alimenta & victum & miniſterium accepit. Annus
emortualis adhuc latet. Summam ſcripti præſtantiſſimi dedi-
mus, quod fidem ſibi facit, teſtimoniis Actisque, ad calcem
ſubjunctis, ſuperſtructum. Quam vellemus, conſimilis
exſtaret *Joannis Fauſti* & *Petri Opilio-*
*nis* hiſtoria!

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Novembris Anno MDCCXLIV.*


## BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS DE BOURGOGNE, &c. hoc est, *BIBLIOTHECA SCRIPTORUM BURGUNDIÆ, Autore* PHILIBERTO PAPILLONIO, *Canonico Divionensi.*

### *Tomi II.*

Divione, apud Phil. Marteretum, 1742, fol.
Alph. 9 plag. 1.

Scripserat jam Præfationem hujus Operis suus autor, qua id illustri & ob ingenium, & ob dignitatem, Viro, *Bubierio*, quem laboris sui adjutorem nactus fuerat strenuum, dedicabat, cum evocatus est ex his terris, jamjam facturis typographis operæ suæ initium. Amicorum igitur ejus quidam curavit præclarum hoc & longi laboris opus cum emendate, tum eleganter, typis exprimendum, adjunxitque procemium. E quo discimus, eos duntaxat contineri hac *Bibliotheca*, qui nati fuerunt in Burgundia, non item illos, qui, cum aliam regionem nacti essent natalem, inter Burgundos munere functi sunt aliquo, ibique vita excesserunt. Nec ii Burgundiones hic memorantur, quorum non nisi manuscripti supersunt libri, vel libelli; imo nec illi, qui unum alterumve breve poema libris aliorum præfixerunt, nihil autem ediderunt præterea. Docet item hic prologus, se pertexuisse hoc Opus usque ad annum 1742, ac multis articulis, sive capitibus, supplementa adjecisse,

denique *alteri Tomo* tum additamenta, tum correctiones, subnexuisse. Idem elogium præmisit Autoris, & quidem illud ipsum, quod *Elogiis duodecim Gallorum*, paulo antea ab se publicatis, interseruerat.

Opus ipsum, quod ordine decurrit alphabetico, ita est elaboratum, ut vel curiosissimo Lectori placere possit. Etsi enim vitæ pleræque sunt perbreves, scriptorum tamen cujusque notitia exhibetur plenissima. Commemorantur omnes cujusque libri editiones, versiones item, si quæ habentur; judicia denique de iis aliorum proferuntur. Nostrum esse putamus, insigniores aliquot nominare scriptores, quos *Papillonius* hic exhibet. *Joannis Begatii*, Præsidis Parlamenti Divionensis, m. 1572 d. 19 Junii, vita negotiosa describitur accurate, qui, præter libros juridicos, *Commentarios* edidit *rerum Burgundicarum*, & *Anacreontis* versionem Gallicam metricam. S. *Bernhardi*, m. 1153 d. 20 Augusti, vitam non descripsit Noster, ne actum ageret, sed statim catalogum librorum ejus exhibuit, etiam illa ejus scripta indicans, quæ non habet editio *Mabilloniana*. *Stephanus Binetus*, Jesuita, m. 1639 d. 4 Julii, multorum scripsit Sanctorum vitas, multosque libros, pietatis studio inservientes. *Henrici Bissy*, Cardinalis, m. 1737 d. 26 Julii, acerrimi illius patroni Constitutionis *Unigenitus*, scriptiuncularum theologicarum catalogus hic jucunde inspicietur. *Lazarus Andreas Bocquillotus*, Theologus, m. 1728 d. 22 Sept. qui *Homilias* emisit magno numero, prætereaque *Historiam Missæ*, in uno libellorum suorum contendit, peccare Theologos, qui vendant sua scripta bibliopolis, atque ita eorum augeant pretium. Qua occasione recordamur, quod in Appendice ad suum *Compendium Theologiæ moralis pag. 328* docet Ven. *Langius*, nec *Spenerum* quidquam mercedis pro ullo suorum librorum accepisse a bibliopolis. *Joannes Bonefonius*, clarissimi Poetæ filius, m. 1630, & ipse multa Latina carmina non sine laudis fructu edidit. *Joannis Benigni Bossueti*, Episcopi Meldensis, m. 1704 d. 12 Aprilis, πολυγραφία hic in apricum producitur, ac notabiles inprimis sunt editiones ac versiones ejus *Expositionis doctrinæ catholicæ*. *Joannis Bubierii*,

vel

vel potius *Buherii*, Præsidis adhuc Parlamenti Divionensis, A. 1673 d. 17 Martii nati, vita satis copiose describitur. Scripta ejus, inter quæ primum locum tenet *Dissertatio de priscis Græcorum ac Latinorum literis*, A. 1708 edita a *Montefalconio*, non solum ordine suo nominantur, sed honorifica quoque aliorum de iis proferuntur judicia. In manibus ejus est avi sui, *Joannis Buherii*, Bibliotheca locupletissima, Codicibus quoque MStis conspicua, cujus *pag. 75 seq.* fit mentio. *Germanus Brixius*, m. 1538, de quo & *Sammarthanus* in *Elogiis*, egregium se præstitit Poetam. De *Francisco Bruysio*, m. 1738 d. 20 Maji, quæ hic occurrunt, excerpta sunt ex *Elogiis aliquot Gallorum*, nuper Divione editis. Est hic autor *Historiæ Paparum*, in Batavia editæ, quam & nos in his *Actis* recensuimus. S. *Cæsarius*, Episcopus Arelatensis Seculo sexto, hic quoque conspicitur una cum libris suis. *Bartholomæi Chassanæi*, m. 1541, nomen inprimis nobilitavit suus *Catalogus gloriæ mundi*. *Joannes Bonaventura Desperiers*, *Margaritæ Valesiæ* servus cubiculi, A. 1540 exstinctus, autor *Cymbali mundi*, Parisiis A. 1537 editi, & Amstelodami A. 1711 recusi, ac rursus Parisiis A. 1732, alia quoque non pauca edidit. *Hugo Donellus*, Jureconsultus, m. Altorfii (non *Attorti*, uti hic legitur,) A. 1591 d. 4 Maji, magna librorum multitudine insignis est. Occurrit hic etiam *Jo. Baptista Duvallius*, Poeta Latinus, m. 1634; *Eumenius*, Seculi quarti Rhetor; *Franciscus Florens*, JCtus, m. 1650 d. 29 Oct. cujus & inedita hic recensentur opera. *Simon Fucherius*, m. 1696 d. 27 Aprilis, instaurator Philosophiæ veterum Academicorum, plures ad eam defendendam libros edidit, scripta etiam *Historia veteris Academiæ Scepticæ*. *Fredegarius Scholasticus*, Seculi septimi Historicus, hoc etiam repræsentatur in theatro. *Joannem Guenebaldum*, Medicum, m. 1630, cujus vita copiose hic enarratur, maxime Inscriptio quædam Græca notum fecit, quam effinxisse ipse creditus est. At Noster allatis argumentis contendit, famam hanc esse falsissimam. Describitur etiam pluribus vita *Samuelis Guichenonii*, Regis Galliæ Historiographi, m. 1664 d. 8 Sept. cujus historica scripta optimæ notæ esse constat.

*Hericus* noni fuit Seculi scriptor; cujus habemus versibus expositam *Vitam Germani Antissiodorensis*, prætereaque *Gesta Episcoporum Antissiodorensium*, *Homilias*, & alia quædam. *Honorius Augustodunensis* Seculo duodecimo scripsit *de luminaribus Ecclesiæ*, *de prædestinatione & libero arbitrio*, *de hæresibus*, *de philosophia mundi*, *de ætatibus mundi*, & multa alia, quæ hic enumerantur studiosissime. *Ludovici Jacobi*, Cabillonensis, m. 1670 d. 10 Maji, exstat *Bibliotheca Pontificia*, & liber *de clarissimis Bibliothecis*, & libri tres *de Scriptoribus Cabillonensibus*, & alia permulta. Nec pauci ejus libri, qui adhuc in scriniis latent, hic memorantur. Notus est hic vir inter nostros ob ridiculum errorem, quo *Lutheri Articulos Smalcaldicos* in *Bibliothecæ Pontificiæ Libro secundo pag. 455* transformavit in hæreticum *Alsmacaldum*, *Articulus Alsmacaldus*, inquiens, *Lutheranus*, *edidit de primatu & potestate Papæ librum.* Ibidem *pag. 456* gemino errore ita scribit: *Benjamin Stares Spiegel*, *Lutheranus*, *edidit Germanice librum de Antichristo.* Scilicet, ut e *Lipenii Bibliotheca theologica pag. 63* cognovimus, hic est verus titulus: *Benjamin Stracks Spiegel Christi und des Antichrists.* *Franciscus Juretus*, m. 1626 d. 21 Dec. non solum suis ad *Symmachi Epistolas* annotationibus, sed aliis quoque multis lucubrationibus, nomen illustravit suum. *Joannes Lalamantius* Medicus fuit & Philologus Seculi XVI doctissimus. De *Huberto Langueto*, m. 1581 Cal. Oct. copiosius disseritur; cujus inter scripta referri oportere *Vindicias contra tyrannos*, vel stilum satis docere, judicat Noster. *Joannes Josephus Languetus* e Doctore Sorbonico nunc est Archiepiscopus Senonensis, multorum libellorum scriptor pro Constitutione *Unigenitus*, & adversus miracula *Parisii*. *Joannes Lebeuf*, natus A. 1687, Canonicus nunc Antissiodorensis, Philologus est & Criticus egregius. Quem hic videmus catalogum scriptorum ejus, (scripsit autem jam centum sexaginta libellos,) eum confecit ipsemet. *Ludovicus Ligerius*, m. 1716 d. 6 Nov. de re rustica & hortensi multos edidit libros, eosque doctissimos. *Joannes Mallemantius*, ætatis anno 91 mortuus d. 30 Jan. 1740, suis in scriptis vera pro falsis, falsa pro veris, venditare solebat,

alter

alter ſcilicet *Harduinus*. Itaque vetitus eſt edere ſuum *Commentarium in Evangelium Joannis*, quinque impleturum Volumina. *Edmundus Mariottus*, m. 1684, ſcriptis logicis & phyſicis adeptus eſt nominis claritudinem. *Philibertus de la Mare*, m. 1687 d. 16 Maji, præter alia multa, *Vitam Huberti Langueti* compoſuit, a *Ludovico*, Profeſſore Halenſi, initio hujus Seculi editam. *Vita* autem *Salmaſii*, ſeptem libris expoſita, in lucem nondum prodiit. *Edmundus Martenius*, m. 1739 d. 20 Junii, multam præbuit Noſtro ſcribendi materiam. *Bernardus Martinus*, Advocatus Divionenſis, m. 1639 d. 15 Nov. ſatis docuit editis A. 1605 *Variis lectionibus*, ſe eſſe Criticum. Hoc opus, quatuor conſtans libris, cum nunc habeamus ob oculos, unum ejus locum indicare lubet, quo notiſſimum illum *Terentii* locum ita corrigit: *Noſti mores mulierum. Dum poliuntur*, (vulgo *moliuntur*,) *dum comuntur, annus eſt.* Ac hanc emendationem, *Lib. I Cap. 7* exhibitam, tam certam eſſe judicat, ut miretur, Criticos, *homines totos oculeos, non vidiſſe maculam tam levem, & cuivis facile perſpicuam.* Addimus, hunc *Martinum* a *Caſp. Barthio* in *Adverſ. Lib. XLVII Cap. 20* appellari *virum eruditiſſimum & boni judicii. Claudius Minos*, Gallice *Mignault*, Juris Canonici in Pariſienſi Academia Profeſſor, initio Seculi XVII mortuus, ſuis in *Alciati Emblemata*, quæ & Gallicum transtulit in ſermonem, Commentariis potiſſimum debet nominis ſui nobilitatem; quanquam & alia ſcripta bene multa emiſit. *Bernardus Moneta*, Gallice *de la Monnoye*, Divione A. 1641 d. 15 Oct. natus eſt; qua in urbe uſque ad annum 1706 vixit. Poſtea Lutetiæ commoratus eſt, ibique cooptatus in Academiam Francicam; cui inſigne hoc decus mors eripuit A. 1728 d. 15 Octobris. Hujus vitam & fata, curioſe hic deſcripta, nemini jucundum non erit cognoſcere. Criticus erat eximius, Poeta non unus e multis, Hiſtoriæ literariæ ita peritus, ut parem vix quemquam haberet. Recenſio ejus monumentorum ingenii deprehenditur hic accuratiſſima. Primo enim ejus illa laudantur ſcripta, quæ ſeparatim edidit; deinde ſcripta nondum edita; tum aliorum libri, quos latæ a *Moneta* ſuppetiæ fecerunt meliores &

 inſtru-

instructiores; denique ea, quorum autor falso creditus est, e. g. *Histoire de M. Bayle & de ses Ouvrages*, Præfatio ad *Cymbalum mundi.* Sequitur *Jacobus Moreau*, m. 1729 d. 4 Julii, qui permulta edidit opuscula medica. *Philibertus Bernardus Moreau de Mautour*, m. 1737 d. 7 Sept. compluribus docuit scriptis, se & Poetam esse Gallicum, & Historicum, & Antiquarium. *Claudius Bartholomæus Morisotus*, m. 1661 d. 22 Oct. ingenio fuit perfœcundo. Docet tamen Noster, ejus *Orbem maritimum*, prægrande opus, longe minoris in Gallia fieri, quam in Germania. Cui quidem judicio an non aliquid malignitatis subsit, alii judicent. *Claudius Nicasius*, m. 1701 d. 20 Oct. inter Antiquarios locum nactus est haud postremum. *Guilielmus Paradinus*, m. 1590 d. 16 Januarii, multorum librorum historicorum scriptor, summam ostendit sinceritatem & bonæ fidei studium, at simul magnam prodidit credulitatem. Ita quidem Noster judicat. *Guilielmus Pasquelinus*, e Jesuita factus ardentissimus Ordinis Jesuitici Pasquinus, lucem supremam vidit A. 1632 d. 29 Martii. *Guilielmus Philander*, illustris ille illustrator *Vitruvii*, A. 1565 d. 18 Febr. morti succubuit. *Joannes Quintinus*, Academiæ Parisinæ Jurisconsultus, m. 1561 d. 9 Aprilis. *Rogerius*, Comes *de Bussy Rabutin*, vir multis scriptis nobilis, m. 1693 d. 9 Aprilis. *Remigius Antissiodorensis*, Seculi noni ac decimi scriptor, multa scripsit; quorum quæ nondum sunt edita, ubi lateant, hic indicatur. Docetur etiam, hunc *Remigium*, non antiquiorem illum *Remigium* Rhemensem, autorem esse *Commentarii in Epistolas Pauli*, a *Villalpando* editi. *Franciscus Remundus*, m. 1631 d. 14 Nov. Orator fuit & Poeta Latinus insignis. *Claudii Salmasii*, m. 1653 d. 3 Sept. vita hic describitur pluribus foliis. Excerpsit hæc Noster e *Vita Salmasii*, a *Philiberto de la Mare* septem libris conscripta luculentissime; quod opus MStum cum sit in manibus Præsidis *Buhierii*, sperare Noster nos jubet, ab eo eam emissum iri in publicum. De scriptis *Salmasii* copiose hic agitur. Ac mirabuntur lectores magnum ineditorum numerum, quorum hic exhibentur tituli. *Petrus Taisandus*, m. 1715 d. 12 Martii, scripsit ediditque *Historiam Juris Romani*, & *Vitas celebra-*

*celebratiorum JCtorum*, prætereaque multa, Juris civilis prudentiam illustrantia. *Pontus Tyardæus*, m. 1605 d. 23 Sept. anno vitæ 84, egregium se præstitit Poetam Latinum pariter & Gallicum, Philosophum item & Philologum. *Franciscus Vavassor*, Orator, Poeta, Philologus, & Theologus, excessit vita A. 1681 d. 16 Decembris. *Sebastianus Presbyter de Vauban*, Mareschallus Galliæ, m. 1707 d. 31 Maji, ob excellentiam in arte muniendi urbes longe clarissimus est. *Nicolaus Vignerius*, Regis *Henrici III* Medicus & Historiographus, A. 1596 mortuus est d. 15 Martii. Hi sunt viri doctissimi in tanto numero, quorum de scriptis, partimque vita, hic legi certiora & pleniora, Lectoribus nostris indicandum duximus.

VOYAGES DE MONS. SHAW, M. D. DANS PLUSIEURS provinces de la Barbarie & du Levant, &c.

hoc est,

*RELATIO ITINERIS, A DOMINO SHAW, M. D. versus diversas provincias Barbariæ & terras orientales instituti, complectens observationes geographicas, physicas, philologicas, & miscellaneas, de regnis Algeriensi & Tunetano, Syria item, Ægypto, & Arabia petræa, ex sermone Anglico conversa.*

Hagæ Comitum, apud Joannem Neaulme, 1743, 4 maj.

Tom. I Alph. 2 plag. 9, Tom. II Alph. 2, cum Mappis geographicis & iconibus 22.

Cum non cuique contingat, terras, alio sole calentes, adire, illasque res oculis & animo subjicere, quæ in patria ignorantur; maximo laudanda est opere industria virorum ingenio, doctrina, judicio, sagacitate, præstantium, qui, nullis territi periculis, nullis parcentes sumtibus, maria transmittunt, longe dissitas regiones lustrant, quæque in illis notatu digna offenderunt, victuris chartis committunt. Inter hos principem locum tuetur jure quodam suo Eruditiss. *Shaw*, qui non tam, quod

quod alii faciunt, in eo occupatur, ut, quæ de loco in locum itinera instituerint, quas regiones, quas urbes & oppida, accesserint, quæ maria, quos fluvios, transmiserint, ordine enarret, sed, quæ singulis in locis attentione digna occurrerint, perscribat, &, quoniam varia eruditione pollet, multa observare, multa cum antiquis Autoribus conferre, potuit, quæ ob necessariæ doctrinæ defectum ab aliis non æque fieri possunt. Id maxime agit, ut, quæ ab aliis sive quod ad *res naturales*, sive *antiquitates*, sive *geographiam*, sunt prætermissa, multo studio & accuratione recenseat, eademque sub certis classibus digesta exhibeat. Eximium hoc Opus eruditissimus Autor, primum patrio sermone concinnatum, ediderat, quod cum a popularibus avide exciperetur, interpres, qui tamen nomen suum ignorare voluit, fecit, ut notiore lingua, Gallica scilicet, prostaret, quod *Neaulmius*, bibliopola Hagensis celebris, qui sumtus eidem nitide exscribendo liberaliter suppeditavit, augustissimo Borussorum Regi, *Friderico*, inscripsit. Tot egregiis, ceu gemmis, distinctum & ornatum est observationibus, ut difficile nobis esse videatur, selectum earum facere; aliquas tamen, qualescunque sint, dare, instituti nostri ratio efflagitat.

*Tomi I Caput I* agit de regno *Algeriensi* generatim, cujus limites, longitudinem, & latitudinem, definit. Antiquis Geographis dicebatur *Numidia*, vel proprie *Numidia Massyliorum*. *Atlas* altitudine sua non excedit montes excelsos insularum Britannicarum, quorum aliquos ne quidem æquat; dubium etiam est, num superet montes Alpinos & Apenninos. Priscis appellatus est *Dyris* & *Adyris* a Phœnicio אַחִיר *grandis, potens*, vel a *Dobor*, qua voce adhuc hodie utuntur Mauritani & Arabes, designantes *positionem & adspectum solis in meridie*. Accedit igitur ad vocem Ebraicam דָּרוֹם, *meridies*, ut sic notetur *eminentia*, vel *limes meridionalis*, ratione habita *Mauritaniæ* & *Numidiæ*. Quæ posterior derivationis ratio cum paulo longius sit petita, forte cogitet aliquis, nomen hoc fluxisse a Phœnicio טוּר pro צוּר, *mons, rupes*. *Caput II* sistit ob-
Pag. 1-13. servationes geographicas *Mauritaniæ Cæsariensis*, quæ in præsentia spectat ad Tingitanos, aut Mauros orientales, & provinciam

vinciam aliquam regni Maroccani efficit, cujus terminos figit, Pag. 13.
& præcipuas urbes nominat. *Cap. III* exhibet observationes 22.
geographicas partis hujus ipsius *Mauritaniæ* occidentalis, quæ 59.
*Tlem-san* nominatur, cujus urbes, promontoria, montes, fluvios, lustrat, illorum nomina explicat, cum priscorum Geographorum descriptionibus confert, inscriptiones etiam aliquas prisci orbis repetit. *Cap. IV* agit de iis, quæ in hac provincia memorabilia ipsi sunt visa, itemque de incolis. In urbe *Tlem-* 60-64.
*san*, quam Mauri appellant, & quidem muris facelli cujusdam Mohammedani, invenit aram, Diis Manibus consecratam, cujus ἐπιγραφὴν cum lectoribus communicat. Ex lapidibus ingentibus & fragmentis marmoreis, quæ in urbe *El Callah* invenit, suspicatur, esse antiquam Romanorum *Gitlui*, vel forte *Pto-* 68.
*lemæi Apsar Lib. IV Cap. 2. Memoun-turroy*, antiqua turris, 73.
fuit monumentum antiqui cujusdam Romani. Arabes dicunt, exstructam esse, quo in illa thesauri conderentur, quod ipsum *Maimoun Tizai* imposita inscriptione testatum voluit. *El Her-* 78, 79.
*ba* olim erat civitas Romana, plus quam milliare in ambitu habens, in qua plures adhuc offenduntur columnæ marmoreæ, affabre elaboratæ, quarum capitella artis Corinthiacæ sunt destructa. Juxta illam conspicitur sepulcrum, insignitum inscriptione Latina. *Maniana*, vel *Maliana*, memorabilis est maxi- 79, 80
me ob diversa fragmenta architecturæ Romanæ, in cujus aliquo muro deprehenditur cippus, ex cujus inscriptione, quæ *Pompejanam* gentem respicit, illustrari posse existimat, quæ *Martialis Epigramm. LXXV Lib. V* habet. *Caput V* complectitur observationes geographicas partis hujus *meridionalis*, vel 84-93.
provinciæ *Titterienfis*. Ubi generatim ea occupaverat, quæ terræ indolem, ejusque amplitudinem, spectant, ad *Algeriam*, metropolin, se convertit, cujus situm, munimenta, studia, ac vires, describit. Ab aliquot annis potentia ipsorum navalis admodum defecit; cujus rei causam Autor dicit militum, disciplinæ impatientium, insolentiam, eorum denique militiæ navalis imperitiam. *Caput VI* est de locis notabilioribus & incolis, qui fuerunt ante in provincia australi. *Bleeda* videtur esse *Bida*, *Me-dea* autem *Lamida Ptolemæo* appellata. Ubi in præsentia sunt rudera, 93-95.

 quibus

quibus nomen est *Herba*, antiquitus *Casmara*, *Ptolemæo* dicta, si-
Pag. 97, ta fuisse videtur. Occasione montium, quibus nomen *Titte-*
98. *rie-Dosh*, notat, *Tityrum*, unum pastorum apud *Virgilium*, ob-
servante *Valerio Probo*, Afris notare *hædum*, cujus nominis si-
militudo quædam etiam offenditur in Etruscorum numis; quo-
niam tamen vox *itterie*, vel *titterie*, *frigidum*, vel *gelidum*, notat,
inde potius rationem nominis arcessit, cum indoli terræ conve-
99. niat. *Burgh Hamza* surrexit ex ruderibus antiquæ *Auziæ*, cu-
jus *Tacitus Annal. Lib. IV* descriptionem dedit. *Josephus* no-
minat Αυζατὴν *Ant. Jud. Lib. VIII Cap. 7*, de illaque tradit, ab
*Ithobaalo* structam esse, quod forsitan repetendum ex antiqua
101, 105. traditione, servata *Procopio de Bell. Vandal. Lib. II Cap. 10.*
*Caput VII* continet observationes geographicas provinciæ *Con-
stantinæ*, quæ amplitudine sua, & annuis reditibus, quibus
rempublicam Algeriensem ditat, reliquas multum excedit. Ex-
tus montibus cingitur, intus collibus & planitiebus distinguitur.
Non longe a fluvio *Booberak* versus oram maritimam est urbs
112. *Dellys*, vel *Teddeles*, uti *Leoni* dicitur, quæ condita ex rude-
ribus magnæ alicujus urbis, quam antiquorum *Rusucurium* esse
118. judicat. *Bona*, Mauris nuncupata *Blaid el Aneb*, decurtata
ex antiquo *Hippona*, quanquam tamen illa non proprie hic
quærenda, sed potius in ruderibus, uno milliari austrum ver-
sus distantibus, ut hinc potius sit *Aphrodisium Ptolemæi*. Ru-
123. dera priscæ urbis *Thabracæ*, vel *Tabracæ*, quæ hodierno die
*Ta barka* nominatur, se protendunt versus oram occidentalem,
ubi adhuc reliquiæ murorum, cisternarum, & inscriptio quæ-
125 seq. dam Latina, visitur. *Cap. VIII* commentatur de locis & inco-
lis provinciæ orientalis, quæ ex parte antiquæ *Mauritaniæ Si-
tifensi*, vel *Mauritaniæ primæ*, respondet. In ruderibus urbis
*Kas baite*, sive *Gasbaite*, structæ olim ab Romanis in colle, de-
129 seq. prehendit partem porticus templi, dedicati forsitan uni Impe-
ratorum, quod ex reliquiis inscriptionis apparet. *Sitiphæ*, nunc
134. 136. *Seteef* dictæ, duas inscriptiones, *Zainæ* rudera arcus trium-
phalis cum inscriptione, Imperatori *Severo* dedicati, invenit.
137. זכוכית *Job. XXVIII, 17*, per *adamantem*, non *crystallum*, red-
144. dendum vult. *Jibbel Aureß*, vel *Eureß*, est mons *Aurasius*,
*Audus*,

*Audus*, *Ptolemaeo* nuncupatus, admodum altus, in cujus summitate & radicibus solum fertile & horti amœni comparent, ab austro inaccessus, cujus pars aliqua praealta & aditu difficillima est *petra Geminiani*, vel *Tumar Procopii*. In his montibus plurima antiquitatis monumenta animadvertuntur, speciatim magnificae reliquiae portarum urbis, scamna amphitheatri, frontispicium eximii templi, operis Ionici, dedicati *Aesculapio*, unde apparet, urbem *Tezzoute*, vel *L' erba*, esse antiquam *Lambesam*. Incolae horum montium a vicinis externo adspectu differunt, facies est candida & rubra, capilli flavi; unde colligit Autor, ortum eos ex priscis Vandalis ducere, qui, undique fugati, in tutiora haec loca se receperint, & tandem in ingentem multitudinem excreverint. *Cirta*, a Phoenicio קַרְתָּא dicta, sequenti tempore *Constantina*, olim erat praecipua & validissima urbium, nunc eversa, cujus rudera, quae supersunt, de urbis amplitudine & magnificentia testantur; quae illius loco surrexit urbs, partem illius tantum aliquam occupat. Supersunt cisternae, aquaeductus, licet maxima ex parte eversi, porticus, portae, pons, arcus triumphalis, & nonnullae inscriptiones. Sub finem *Capitis* nominat gentes, quae olim terras has incoluerunt. Sequuntur Observationes de regno *Tunetano*. *Capite I* Autor de *regno Tunetano in genere* agit. Hujus limites signat, differentes Geographorum sententias proponit, & illas priscorum notat. In provincias divisum non est, sed imperio summi praefecti proxime subest, qui quotannis per aestatem & hiemem regnum obit, & tributum exigit, indeque totum illud in *Zeugitaniam* & *Bizacium* antiquorum dividitur, quarum illam aestate, hanc hieme, adit. *Caput II* comprehendit observationes geographicas de ora *Zeugitana*, sive *regione aestiva*. Haec vicinas, spatio aequales, numero incolarum, urbium, ac vicorum, aliarumque rerum copia, vincit, cujus ratio a mitiore regimine, quo administratur, est repetenda. In illa notari merentur *promontorium candidum*, *Plinio* & *Livio* memoratum, *Bizerta*, antiquis dicta *Hippo*, *Diarrhytus*, vel *Zaritus*, unde nomen recentius corruptum, multis rebus ad victum necessariis abundans, unde suspicione non caret, esse urbem illam divitem *Livii Lib. XXIX Cap. 28.*

Pag. 146. — 156. — 156-163. — 173-175. — 175 seq. — 179 seq.

 Promon-

Digitized by Google

Pag. 182. Promontorium *Zibeeb* eſt *promontorium Apollinis* antiquorum,
fluvius *Me-jerdah*, antiquitus *Bagrada*, quam vocem a Phœ-
nicio ברכתא arceſſit *Bochartus*, multum ſimilitudinis ha-
bet cum Nilo, & fertilitatem terræ promovet. *Utica*, quæ,
186. conjectante *Bocharto*, nomen habet ab עתיקא, ut notet *ur-
bem antiquam*, ad latus auſtrale hujus fluvii eſt ſita, olim urbs
ampla fuit, quod adhuc teſtantur rudera. *Carthaginis* fere
189 ſeq. nulla ſuperſunt veſtigia, ciſternarum tamen, æquæductuum, &
196. templorum, conſpiciuntur reliquiæ. *Tunetum*, ſedes regni, cin-
gitur undique lacubus & paludibus, hinc aer inſalubris. Cives
omnium Afrorum ſunt cultiſſimi, æquiores in peregrinos, a
multo tempore non tam piraticæ ſtudent, ſed commercia flo-
rentiora reddere contendunt, cum Chriſtianis pacem alere ſa-
197. tagunt. Duobus lapidibus *Tuneto* abeſt *Rhades*, antiqua *Ades*,
ubi *Regulus* Carthaginienſes provocavit, & inde ad dextram
ſunt colles, in quibus *Hanno* elephantes ſuos infeliciter diſpo-
202 ſeq. ſuit. *Clybeæ*, quæ eſt antiquorum *Clupea*, vel *Clypea*, item
*Gurbæ*, quæ eſt priſcorum *Curobis*, ſive *Carubis*, pauca reſtant
204. monumenta. *Nabal* induſtria civium ſuorum floret, & vaſo-
rum fictilium confectione a multo tempore eſt nobilitata, re-
mota aliquantulum ab antiqua *Neapoli*, ubi ingens numerus
inſcriptionum, ſed quæ obliteratæ, vel calce obductæ, ſunt, ut
difficulter legi poſſint, deprehenduntur. *Caput III* delineat lo-
208 ſeq. ca notatu digniora *terræ Zeugitaniæ*. *Matter* non tam eſt *Ma-
daura* veterum, quam oppidum *Materenſe*, in præſentia eſt
exigua villa, ſita in eminentiori loco, in ſolo fertili. *Beja*, vel
*Bay-jah*, eſt vetuſta *Vacca Salluſtii, oppidum Vagenſe Plinii*, Βα-
γα *Plutarchi*, commercio rei frumentariæ celebris, aliquas in
214, 215. muris Inſcriptiones ſervans. *Tub-urbo* eſt antiquorum *Tuburbum
minus*, *Tes-toure* antiqua *Colonia Biſica Lucana*, quod ex Inſcri-
ptione liquet, & ex alia patet, *Aurelianum* Imp. inde cognomen-
218. to *Beſicani* appellatum eſſe. *Tunga*, vel *Tannica*, eſt *Thignica*, vel
*Thigiba*, *Colonia* antiquorum, fuit olim urbs magna. Sub rude-
ribus antiqui propugnaculi reperit Autor quinque Inſcriptio-
222. nes. *Dugga* non eſt antiquorum *Tucca*, ſed *Thugga*, quod no-
224. men Inſcriptiones præferunt. *Lorbuſſ*, priſcorum *Laribus*, in præ-
ſentia

ſentia tantum ob amœnum ſitum notanda. *Caput IV* de locis notabilibus in provincia *Bizacena* exponit. Regio hæc non amplius illa fertilitate gaudet, quam priſci prædicant. *Herkla* eſt *Adrumetum* priſcorum, *Suſa* commerciis celebris, ut inter præcipuas urbes regni Tunetani haberi queat, *Sahaleel* antiqua *Ruſpina*, *Lempta* olim *Leptis parva*, cujus tantum exigua pars arcis & indigeſta lapidum congeries ſupereſt, *Demaſſ* antiquorum *Thapſus*, *Salecto* veterum *Sullecti*, vel *Sublecte*, *Elalia* priſcorum *Achola*, præter quas alias urbes recenſet. *Capite V* Autor argumentum hoc ipſum proſequitur. *Zung-gar* antiquorum *Zuccbara* eſt, ad cujus & templi, ibidem exſtructi, rudera acceſſus eſt difficilis. Quinque milliaribus inde ſcaturit *Scilliana* fluvius, qui pervadit plures planities & valles fertiles. *Kiſſer* ex probabili conjectura eſt antiquorum *Aſſurus*, vel *Aſſuras*, ex quibus *Cellarius Geogr. ant. Lib. IV Cap. 4 pag. 106* duas diſtinctas urbes facit. *Hydræ* deprehenduntur rudera murorum diverſarum ædium, ingens numerus altarium, & mauſoleum, Inſcriptiones item, ſed quæ fere ſunt exeſæ, arcus triumphalis cum inſcriptione. Ex nomine quis in hanc ingredi poſſet opinionem, eſſe antiquam *Tynidrum*, vel *Thunudronum*. *Spaitla*, antiqua *Sufetula*, ob amplitudinem & magnificentiam ruderum ſuorum præ aliis barbariæ locis maximi facienda. *Truzza* eſt *Turzo Ptolemæi*, ubi ſunt thermæ, quæ ab Arabibus diligenter frequentantur. *Ferreanah* videtur fuiſſe urbs ingens *Bizacium*, ex cujus antiqua magnificentia non niſi columnæ quædam marmoreæ ſunt ſuperſtites. *Thala* antiquorum *Teleptæ* videtur reſpondere. Illius mentionem injicit *Cyprianus* in Concilio Carthaginienſi. *Gaſſa*, antiquorum *Capſa*, urbs munita regni *Jugurthæ*, ubi ſpectantur aliquot Inſcriptiones. *Gor-bata* forſitan eſt *Orbita Ptolemæi Lib. IV.*

Pag. 236 ſeq.

254 ſeq.

Sequuntur jam Obſervationes *phyſicæ & miſcellaneæ de regnis Algerienſi & Tunetano*. *Caput I* de *aere, fructibus, ſoli natura, & foſſilibus, horum regnorum* diſſerit. Aer eſt ſalubris & temperatus. Rarius in his terris pluit, primæ pluviæ cadunt in Septembri, aliquando menſe ſerius, a quo tempore agros conſerere incipiunt. Hordeum, lentes, & ciceres, non ſeminant niſi quinde- 281 ſeq.

cim dies post, semper tamen ante finem Novembris. Posteriores pluviæ demittuntur circa medium Aprilem, quod ubi fit, uberem sibi promittunt messem, quæ inchoatur vel a fine Maji, vel initio Junii. Ex uno grano plures sæpe surgunt culmi, quos tamen ad centenarium numerum assurgere, non comperit; frumentum in reconditoriis subterraneis ex veterum more servant. Ex lentibus faciunt speciem jusculi, cujus gene-
Pag. 288. ris videtur fuisse edulium, pro quo *Esavus* primogenituram suam vendidit *Gen. XXV, 30, 34.* Ciceres tosti in furno, vel instrumento cupreo, dicuntur ipsis *Leb-lebby*, quale quid fuit
289. procul dubio קלי *2 Sam. XVII, 28.* Recenset dehinc herbas,
289-292. frutices, arbores, speciatim palmas. *Lotus*, de qua prisci multa jactitant, & unde *Lotophagi* nomen traxerunt, frutex est satis frequens in Sahara & aliis terris Africæ, cujus fructus est rotundus ac succulentus, qui hodierno adhuc die magna est in
295. existimatione. Fuit olim terra Bizacena fertilitate celebris, ho-
296. die est sterilis admodum. A copia salis veniunt fontes salini & montes, in quibus sal durus & solidus petræ instar asservatur. Nitrum singulari arte conficere norunt. Aquæ minerales passim animadvertuntur. Graves etiam subinde terræ motus contigere, ex quibus præ aliis notabiles, qui A. 1723 &
303. 1724 multas ædes subruerunt, & fontes occluserunt. Fodinæ marmorariæ, quas prædicant prisci, hodie sunt nullæ; hinc dubium videtur Cel. Autori, an tales unquam in hac terra exstiterint. In montibus inveniuntur diversæ speciei lapides, fos-
307 seq. silia, mineralia, metalla. *Cap. II* recensum animalium, quadrupedum, avium, insectorum, piscium, &c. instituit. Equi a prisca Numidicorum equorum gloria multum degenerarunt. *Kumrah* est species muli, ex asino & vacca prognati. Maximo autem usui sunt cameli, qui per 4 vel 5 dies sitim tolerare, & exiguo pabulo exsatiari, possunt. Ex quibus cumprimis nominandi *Dromadarii*, quos appellant *Maihary*, frequentiores tamen in Oriente, quam in Africa, qui tanta celeritate gaudent, ut uno die longius iter, quam quidem præstantissimus equus octo vel decem diebus, conficere possint. Alia animalia, boves, vaccas, oves, & capras, cum Europæis habent communes. Inter anima-

animalia fera & silvestria eminent boves feri, quos Arabes nominant *Bekker el Wash*, qui differunt a mansuetis, & probabile est admodum, *bovem Africanum Bellonii*, vel *bubalum* antiquorum, esse. Est præterea species quædam *capreæ*, quam Afri appellant *Lidmee*, quamque Autor existimat esse antiquorum *strepsicerota*, vel *addacem*, quæ quam simillima sit דישון *Deut. XIV, 5.* Leones & pantheræ primi sunt inter feras animantes hujus terræ, tigris in illa non alitur, leonum tantus numerus hodie non offenditur, quantus antiquioribus temporibus. *Dubbah*, vel *hyæna*, lupum magnitudine æquans, post leonem & pantheram est ferocissima & sævissima animalium regionis istius. De chamæleone observat Autor, Mauros & Arabes pelle ipsius Pag. 323.
exsiccata, loco amuleti, collo circumligata, uti. Inde pedem promovet ad insecta. Differit proinde de papilionibus & locustis, quæ aliquando integris agminibus incedunt, ut solem obscurent, & omnia depascant, quod factum A. 1724 & 1725. Sale conditæ & frixæ ad saporem cancrorum proxime accedunt, quibus etiam vesci Judæis fuit integrum *Lev. XI, 22.* שלוים *Num. XI, 31,* locustas fuisse, quod *Ludolpho* est visum, non probat, quoniam *Ps. LXXVIII, 27,* instar volucrum, alis instructarum, describantur. Ἀκρίδες *Matth. III* & *IV* sunt *locustæ*, quæ extre- 331-333.
mitatibus arborum pascuntur, dictæ *Aristoteli Hist. An. Lib. V Cap. 28* & aliis. LXX pariter vocem ארבה per ἀκρίδες convertunt. Quædam subjungit de *scorpione*, ejusque diversis specie- 333, 334.
bus, cumprimis *tarantula*, cujus morsus non sanatur, nisi parti læsæ cauterium inducatur, vel profunda incisio fiat, sicque caro omnis, quæ vulnus proxime attingit, resecetur. *Cap. III* 334, 335.
differitur de scientiis, artibus, opificiis, vestitu, consuetudinibus, &c. incolarum in regnis istis. Mohammedani a longo tempore scientias & artes negligunt, in scholis legere tantum & scribere discunt, præcipua ipsorum cura in Alcorano & religionis cerimoniis cognoscendis ponitur, scholis exemti vel militiæ dant nomen, vel opificio, sive arti cuidam, se addicunt. *Medicinæ* adeo sunt rudes, ut, qui ex illis præcellunt, nuda ἐμπειρίᾳ sint contenti. Rationem inde arcessit, quoniam morbi in his terris non æque sint periculosi, nec diuturni; porro fati persua-

persuasione nimium ducantur; denique illos incantationibus su-
Pag. 344. perstitiosis pellere nitantur. *Matheseos* ignorantia est tanta, ut ne quidem instrumentorum mathematicorum usum sciant.
345. *Arithmetica* & *Algebræ* ita sunt imperiti, ut ne quidem primas
346. illius regulas intelligant. *Musica* licet delectentur, non tamen certis regulis hæc est adstricta. In solennitatibus & festivitatibus pro more orientalium populorum omnis generis instrumentis
351. utuntur. *Architectonicen* præ aliis colunt, in ædificiis suis id spectantes, ut commode habitent, &, quoniam inter ædificia hujus terræ, & illa, quæ in sacris memorantur, magna intercedit affinitas, curatiorem structionum illarum delineationem dare, multo usui esse existimavit. Fenestræ omnes spectant aream, undique clausam, una excepta, quæ in plateam ducebat, unde illustrari posse judicat, quæ leguntur *2 Reg. IX, 30.* In medio ædium habent aream satis spatiosam, quam veteres Romani architecti *impluvium*, item *cavam ædium*, dicere solebant, cujus generis illud *μέσον Luc. V, 19*, fuisse arbitratur. Aream hanc contra solis ardorem, vel pluviam, *umbrella*, sive *velo* quodam, muniebant, quod applicatum muro, vel complicare, vel extendere, poterant, quorsum Hieropsaltes alludit *Ps. CIV, 2,*
353. *Jes. XL, 22.* Conclavia elegantissimis tapetibus sunt ornata, quæ ad medium usque altitudinis pertingunt, quæ supereminet. Pars omnis generis ornamentis superbit, pavimentum lignis est constratum, in quibus effigies inauratæ, adjectis sententiis nonnullis ex Alcorano, comparent, unde sermonem mutuari vi-
355. detur *Jeremias XXII, 14.* Ædes ita sunt structæ, ut per gradus quis adscendere, vel descendere, possit, unde lux affunditur loco. *Matth. XXIV, 17.* Tecta sunt plana, constructa terra, septa muro, *Deut. XXII, 8*; unde explicat Autor locum
356.360. *Marc. II, 4*, eumque a cavillis *Woolstoni* vindicat. Quædam his adjicit de עליות *Jud. III, 20, 23. 2 Sam. XVIII, 33, 2 Reg. IV, 10, XXIII, 12.* Vocem עליה Græci interpretes reddunt per ὑπερῷον, quos sequuntur scriptores Nov. Test. *Act. IX, 37, XX, 8, 9*, in quod per gradus extrinsecus adscendebant, ut necesse non haberent, quemquam in domo turbare, quod ipsum confirmat locis, ex profanis scriptoribus Græcis petitis, eademque ipsa

ipsa explicat. Qua ratione item *Simson* templum *Dagonis* Pag. 360-
evertere potuerit, & tantam hominum multitudinem, sub- 364.
versis columnis, opprimere, *Jud. XVI, 27*, ex ratione structuræ
antiquorum septorum sacrorum, palatiorum, & curiarum, quas
Algeriæ conspexit, exponit. Describit formam ædium sacra- 365,366.
rum, quas Mohammedani *mesg-jid* appellant, *mapalium*, sive
*magalium*, differit de occupationibus *Kabyleorum* & *Arabum*,
vela ex caprarum pilis concinnantium, quibus & ad contegen-
da tuguria sua, & ad indumentum, & ad lectum consternendum,
utuntur. Isti nudo fere per omnem annum capite incedunt, 366-376.
quod exigua tantum *fasciola* cingunt, unde *diadematum* vete-
rum origo ducenda. Fœminæ cutem palpebrarum pulvere, ex
plumbo parato, quem *Al-Ka-hol* nominant, pingunt, quod
Ebræi per כחל *Ezech. XXIII, 40*, exprimunt, ad quem morem
respicitur *Jer. IV, 30*. Per פוך enim istiusmodi pulverem intelli-
gendum esse, dubio vix caret *2 Reg. IX, 30*, qui tamen mos etiam
apud alias gentes, Græcos nempe & Romanos, obtinuit. Multi 383.
hominum inter illos, ut & apud alios orientales populos, solo pa-
ne, vel cibis ex farina confectis, pascuntur, unde Scriptura pa-
nem haud raro pro omni cibo ponit. Arabes vitam otio & de-
liciis exigunt, nisi quod equos & venationem ament, sunt frau-
dulenti & violenti aggressores, qui in omnes, quos sine armis
inveniunt, impetum faciunt, sicque *Ismaelis* morem servant
*Gen. XVI, 12*. Fœminæ in manus maritorum conveniunt, ubi 393.
hic aquam ipsis ex manu sua libandam præbet, qui mos, te-
ste *Herodoto*, apud *Nasamones* olim pariter viguit. Arabes, & 393-395.
generatim Mohammedani omnes, amuleta appendunt infantibus
suis, persuadentes sibi, hac via a fascinatione immunes futuros
esse; sectiones aliquas ex Alcorano pectori impositas portant;
magorum & sagarum inter ipsos ingens est existimatio. Apud
ipsos magna sunt in veneratione *Marabbuts*, homines austeræ 398.
vitæ, precibus & meditationi perpetuo vacantes, quos credunt
Numen oraculis dignari, & potentia patrandi miracula præditos
esse. *Caput IV* declarat imperii formam, opes & reditus Alge- 402 seq.
riensium, judicia & pœnas, fœdera cum Christianis Principi-
bus. A longo tempore parent Turcis, habent tamen proprios



Digitized by Google

Pag. 402, magistratus, & judicia secundum morem suum exercent. *Al-*
403. *geriæ* & *Tuneti* præest aliquis, summa potestate instructus, nomine *Dey*, cui associati sunt 30, qui magnum senatum constituunt, & quondam gravissimas quasque res cum illo tractabant, sed hodierno die Princeps omnem potestatem sibi vindicavit. Legitur is ex militibus, adeo ut etiam ultimi ordinis miles, modo fortitudinem, prudentiam, & alacritatem, ostendat, ad illam dignitatem adspirare possit.

*Tomi I Caput I* complectitur *Observationes geographicas Syriæ, Phœnices, & Terræ sanctæ. Maundrellio* hanc tribuit laudem Autor, quod satis accurata terræ hujus descriptio ab eo data sit. Id igitur tantum agit Noster, ut, quæ ab illo omissa sunt, vel suppleat, vel emendet. Initium facit a *Latikea*, urbe maritima, sita in præalta rupe, mare spectante, priscis *Laodicea ad mare*, item Λευκὴ ἀκτὴ a *candidis rupibus*, dicta. Ibi in præsentia supersunt plures columnæ, item reliquiæ aquæductus, forte ab *Herode* structi, ut colligas ex *Josephi Ant. Jud. Lib. I Cap. 16*,
T. II arcus etiam triumphalis, & Inscriptiones Græcæ & Latinæ, sed ita
pag. 1-4. exesæ & corruptæ, ut legi vix possint. In vicinia est *crypta S. Theclæ*, quæ in veneratione habetur Græcis, &, quæ inde pro-
12, 13. fluunt aquæ, vim miraculosam sanandi habere creduntur. *Tyrus* hodierna ne quidem partem aliquam antiquæ urbis occupat, portus sabulo est oppletus, ut scaphæ piscatoriæ difficulter in-
15-18. gredi possint. Hierosolyma montibus undique cingitur amphitheatri instar; antiquæ urbis, sive quæ tempore Christi fuit, sive quæ ab *Hadriano* fuit restituta, non nisi rudera supersunt. *Caput II Observationes geographicas de Ægypto, Arabia petræa, & ca-*
19. *stris Israelitarum*, sistit. *Damiata* fluxit ab antiquo *Thamiathis*, urbs commerciis nobilis, sita ad oram orientalem Nili. *Alexan-*
20. *dria*, nunc *Scandarea* dicta, duobus gaudet portubus, *antiquo* & *novo*. Priscæ urbis reliquiæ sunt pars murorum, cisternæ, & duo
23. ordines columnarum. *Cairum*, vulgo *Al Messer* dicta urbs, duobus exiguis milliaribus Orientem versus abest a Nilo. E re-
25. gione *Cairi* est oppidum *Geeza*, ubi quondam erat *Memphis*, cujus reliquiæ terra prorsus obrutæ. Duobus lapidibus inde offenduntur *pyramides*, in montibus, qui Libyam spectant, positæ.

positæ. Terram *Gosben*, vel *Ramesem*, locat in tractu Heliopolitano, ad ripam Nili, versus Arabiam. Inde loca designare allaborat, in quibus Israelitæ, Ægypto egressi, castra sunt metati. *Elimi* non nisi novem fontes, quorum *Moses 12* numerat *Exod. XV, 27, Num. XXXIII, 9*, offendit, tribus procul dubio sabulo, quod impetuosi venti tollunt, oppletis; palmæ contra, quarum numero 70 erant, adeo sunt auctæ, ut illarum hodierno die ultra bis mille conspiciantur, sub quarum una monstratur adhuc *Hammam Mousa*, *balneum Mosis*, quod incolæ magna veneratione prosequuntur. In solitudine *Sin* non reperit Inscriptionem, quam in memoriam mannæ, cœlitus datæ, rupi insculptam fuisse, quidam affirmant. Prope montem *Sinai* est monasterium, dicatum S. *Catharinæ*, & monachi antiquæ regulæ S. *Basilii* parent, qui, ubi locum apparitionis divinæ ingrediuntur, vel appropinquant, soleas ad exemplum *Mosis* deponunt. Monachi austeram ducunt vitam, pane fere victitant, nisi quod certis temporibus fructus hortenses, legumina, olivæ, oleum, & acetum, ipsis subministretur. In summitate montis & Christiani & Mohammedani sacris funguntur. In planitie *Rephidim* adhuc visitur rupes *Meribah*, quæ aquas dedit *Exod. XVII*, in qua observantur foramina, non arte, nec casu, facta, ex quibus aqua manavit. Portus, qui hodierno die appellatur *Meenah el Dsahab*, videtur idem esse, qui olim dictus est *Ezion-geber 1 Reg. IX, 26, 2 Chron. VIII, 17. Capite III* datur *Specimen historiæ naturalis Syriæ, Phœnices*, & *Terræ sanctæ*. Venti, a plaga Orientali venientes, sunt vehementissimi, cujus generis fuit Ἐυροκλύδων *Act. XXVII, 14*, ubi cum MSto *Alexandrino*, *Vulgata*, *Grotio*, *Cluverio*, aliis, minus legendum Ἐυρακύλων. In gravioribus tempestatibus Mohammedani sententias aliquas Alcorani malo affigunt, vel parti navis, inde agnum jugulant, eumque in mare projiciunt ad fluctus sedandos, quam superstitionem jamdum olim inter Græcos viguisse, ex *Aristophane* in *Ran. Act. III Scen. 2*, & *Virgil. Æn. Lib. III v. 118-120*, elucet. Ubi circa Hierosolymam circiter initium Februarii ingens nivis copia cadit, qua soluta fluvii intumescunt, incolæ lætam messem augurantur. Solum in Syria est pingue & fertile, & optimum

Pag. 26. — 29. — 37. — 38. — 40. — 40 seq. — 49 seq. — 48-55.

mum omnis generis frumentum profert. Ab aliquo tempore etiam tabaco colendo operam dederunt. Quodsi Terra sancta hodierno die æque incolis repleta esset ac antiquioribus temporibus, fertilior esset Syria & Phœnicia. Sterilitas igitur, de qua nonnulli queruntur, sive id fiat ex ignorantia, sive ex malignitate, non provenit ex terræ vitio, sed incolarum paucitate ac ignavia, & quod terra divisa inter minores Principes, qui
Pag. 55- se mutuo expilant. Olivæ multæ adhuc supersunt, & fructus
60. ferunt; paucæ vites, nec nisi prope Hierosolymam & Hebronem, quarum cultum Mohammedani, religione impediti, negligunt.
65. *Arbor balsamifera* & *Musa* non amplius supersunt. Ficus dant fructus suos non uno tempore; quædam per totam hiemem in
67. arboribus remanent, & reliquis sunt delicatiores. Plures regiones Judææ & Idumææ olim abundabant palmis; quæ ratio, quare in multis numis *palma* repræsentet terram Judaicam. Arbor hæc ingenti adhuc numero crescit prope Hierichuntem, in qua terra multi scaturiunt fontes & fluvii, quæque mitiore aere
69. & solo arenoso gaudet. Inde ad montes se confert, & describit rupes prope *Latikeam*, montes *Tyrios*, *Berytenses*, *Carmel*, & qui *Hierosolymam* & *Bethlehemum* ambiunt, in quibus lapides, variis figuris insigniti, inveniuntur, qui venduntur peregrinis, non solum ut curiositati suæ faciant satis, sed etiam in
71. certorum morborum remedia. Ex fluviis præcellit *Jordan*, qui licet quotidie ingentem aquarum vim in lacum *Asphaltitem* exoneret, inde tamen nullum incrementum sentitur; unde quidam in illa sunt sententia, illius haud exiguam copiam vel ab ardente sabulo absorberi, vel per meatus subterraneos in lacum Sirbonidem deferri, vel per vapores in altum tolli. Bitumen, quod in illius ripa invenitur, sulphure abundat, facile potest teri, fœtidumque, ubi fricatur, exhalat odorem, item ubi
75. in ignem immittitur. Incolæ sunt præter Græcos, Maronitas, & diversas Christianorum sectas, Turcæ, Turcomanni, Arabes, Drusii, qui religionem ex Christianismo & Mohammedanismo conflatam sectantur, Alcoranum & Evangelium, tanquam libros divinitus inspiratos, recipientes, de quibus multa incerta fama circumferuntur. Vinum eos bibere, & carne suilla vesci,

vesci, experimento Autor cognovit. *Caput IV* complectitur Observationes physicas, sive historiam naturalem, *Arabiæ petrææ*. Pag. 76.
*Idumæa* multum differt a Terra sancta, non pascua gregibus repleta, non agri frugibus fœti, nullæ vineæ, nulla oliveta, in illa occurrunt, solum est desertum & sterile. Pluvia terram non rigat, nisi subinde circa æquinoctia, &, quod terra profert, quantulum illud est, perpetuus æstus adurit. Interdiu ingens æstus, noctu intensius frigus, dominatur. Aer fere est serenus, venti, qui per diem oriuntur, nocte conticescunt. Cadavera camelorum & aliorum animalium per multos annos durant, nimis æstu corpora exsiccante, sicque putredinem cohibente. Noctu copiosus ros decidit. Fontes & putei sunt rari, quorum a *Cairo* ad montem Sinai tantum quinque numerantur; aqua ingrati est saporis, salubris tamen & ad tuendam, & restituendam, sanitatem. Ex fossilibus eminent lapides *Selenitæ*, species cretæ, naturalis scientiæ scrutatoribus dictus *pseudo-fluor*; 76-79.
*marmor* non unius generis. In solitudine ob ariditatem paucæ proveniunt plantæ, in fissuris tamen rupium quarundam & planitiebus, sabulo tectis, crescunt multæ *acaciæ*, *tamarices*, *lauri*, & nonnullæ aliæ plantæ. In mari rubro plures nascuntur plantæ, ut *Plinius Hist. Nat. Lib. XIII Cap. 25* non injuria dixerit, sub aquis esse silvas. *Mare rubrum* nomen habet ab 79-88.
*Edomo*. סוף, unde ים סוף, non vult verti per *juncum*, sive *algam*, quoniam juncos non in illo, sed aliquanto ab illo remotius, animadvertit; hinc potius vult reddi *mare berbarum*, sive *plantarum*, quarum ingens multitudo versus litus, potissimum ubi mare non ita est altum, cernitur. In solitudine *Sin* mul- 89.
tæ viperæ, plurimum noxiæ, lacertæ varii generis; prope *Cairum* integra examina *Ach-bobbas*, *percnopterorum*, vel *oripelargorum*, ipsi obviam sunt facta. Habentur illi Mohammedanis sacri, & illis terræ præfectus quotidie duos boves in cibum dat, quod ex veterum Ægyptiorum superstitione remansisse judicat. *Capite V* proferuntur *Observationes physicæ & miscellaneæ de Ægypto*. Hæc sapientiæ fama olim erat inclusa, quo 91, 92.
Græcorum plurimi commigrarunt, indeque scientiam & cerimonias cultus superstitiosi retulerunt; non autem scientiam

 symbo-

Digitized by Google

ſymbolicam aſſecuti fuiſſe videntur, cujus expreſſio quædam in obeliſcis, muris, cryptis, mortuorum & animalium ſacrorum ciſtis, exſtat. Quorum ſymbolorum clavis, quoniam deeſt, tota illa ſcientia eſt incerta. Per illa repræſentabant exiſtentiam & attributa Numinum ſuorum, cultum ipſis præſtandum, item alias ſpecies rerum exiſtentium, elementa, genios bonos pariter atque malos, quos directores elementorum eſſe judicabant, ut hinc complecterentur Theologiam & Phyſicam, non facta hiſtorica exprimerent. In hiſce jam ſymbolis explicandis, quorum, nonnullorum ſaltem, interpretationem ex
Pag. 92-166. *Horapolline*, *Pierio Valeriano*, *Athan. Kirchero*, & aliis, in medium profert, multus eſt; a quibus enotandis, quoniam illorum explicatio paſſim habetur, & diutius juſto, præſtantia Operis hujus allecti, recenſioni immorati ſumus, abſtinemus. Nec *Papyrus*, nec *Perſea*, cujus in antiquis ſymbolis crebra mentio, nunc amplius ſupereſt. Ex animalibus hippopotamum Ægyptii plane ignorant, nec verum crocodilum ſciunt; ibis pariter multæ eſt raritatis; ciconiarum ingens copia. Inter lacertas, quarum multas alit terra, eſt ſpecies quædam, quæ dicitur *Warral*, naturæ docilis, quæ muſica delectatur, adeo, ut, ubi ſoni muſici formantur, diverſos motus membris ſuis faciat, quorſum
170. forſitan alludat Hieropſaltes *Pſ. LVIII, 4, 5. Cairi* aliquot hominum millia ſunt, qui lacertarum & viperarum carnibus veſcuntur, quibus hoc honoris datur, ut, quoties peregrinatio religioſa Meccam inſtituitur, illam proxime comitentur, ſaltando, aliiſque corporis motibus & geſticulationibus, lætitiam ſuam ſignificantes, quale quid inde ab antiquis temporibus apud populos orientales obtinuit, *Exod. XV, 20, 2 Sam. VI, 14.* Frumenti, leguminum, & aliorum fructuum terræ, proventus pendet unice ab inundatione Nili. Hordeum matureſcit, & colligitur circa initium Aprilis, triticum ſub illius finem; ſeminantur medio Octobri, ubi inundatio Nili præceſſit, quo ipſo etiam tempore committuntur terræ linum, ſpelta, vel oryza,
170, 171. quam Scriptura nominet כסמת *Exod. IX, 32.* Aquam Nili, ſuis ſe efferentem ripis, in ciſternis ſervabant, quam inde, ubi neceſſum erat, in hortos, & ad frutices, derivabant, unde ſermo-

ſermonem mutuatur *Moſes Deut. XI, 10, 11.* Nili inundatio pendet ab imbribus, in Æthiopia multa copia demiſſis, ac ille multum limi ſecum vehit, qui quoniam nigrum colorem aquæ conciliat, Μελας, Ebræis שיחור, appellatur. In inſula quadam Pag. 171-
intra *Goezam* & *Cairum* eſt columna quædam poſita, in qua cu- 175.
biti ſunt deſignati, qui, quod probabile eſt, veterum Νειλοσκοπειον effecerunt. Subjicit Autor excerpta ex pluribus Autori- 175-192.
bus antiquis, & alias Commentationes, quæ ad probationem 1-156.
& illuſtrationem illorum, quæ in Opere dixerat, faciunt. Index locorum ſacræ Scripturæ, quæ vel excitantur, vel explicantur, Operi egregiam coronidem imponit. Mappæ geographicæ, & figuræ, ad illuſtrationem facientes, eleganter ſunt expreſſæ.

*HISTORIÆ MORBORUM, OBSERVATIONIBUS auctæ, & Clariſſimorum Virorum Conſultationibus atque Epiſtolis illuſtratæ; Autore FRANCISCO RONCALLI, Parolino, Academiæ Bononienſis Socio, & Nobilis Brixiani Medicorum Collegii Priore.*

Brixiæ, excudebat Joannes Baptiſta Boſſini, 1741, fol. Alph. 3 plag. 1.

Medicinam non meris ſpeculationibus, ſed probata obſervationum & experimentorum fide, promoveri, cordatiores artis ſalutaris profeſſores, ut olim, ſic etiam noſtro tempore, unanimi conſenſu declararunt. Theoriarum enim varietas, ſubtiliſſimæ hypotheſes, ex cerebro natæ, ſectarum quæſtionumque cultus & multitudo, medicam rem oppreſſerunt & retardarunt; improbo vero obſervationum labore ars medendi ſemper perfectior reddita, & ad utilitatem hominum applicata fuit. Omnes igitur felici cum ſucceſſu ampliando & perficiendo ſtudio medico operam navarunt, qui hiſtorias morborum collegerunt, plurimis experimentis comprobarunt, remedia ſelecta & efficacia addiderunt, & conſilia graviſſimorum ſcriptorum ſimul adduxerunt. Hoc Cel. quoque Autor in præſenti ſplendidiſſimo Opere probare ſtuduit, &, cum in urbe Brixia

tales

tales ſemper floruerint Medici, qui eruditione ſua & ſcriptorum excellentia inclaruerunt, Noſter quoque, eorum exemplo excitatus, obſervationibus ſuis viam monſtrare voluit, ut præſentes & poſteri tirones de ſua patria bene mereri ſcirent. Varias morborum hiſtorias ſumma cum cura conſignavit, iisdem ſæpius clariſſimorum Medicorum conſultationes, variasque obſervationes, addidit, quibus praxis hodierna illuſtratur & perficitur, hasque ita ſubjunxit, ut tanquam meditationes ab hiſtoria ipſa diverſæ conſiderentur. Poſtquam igitur catalogum hiſtoriarum generalem expoſuerimus, circa unam alteramque ſubſiſtere, & Autoris methodum declarare, noſtrum erit. *Hiſtoria* 1) Apoplexiam cum oris tortura, in hemiplexiam deſinentem, ſiſtit; 2) Epilepſiam in muliere viginti quinque annorum ex meracioris vini abuſu proponit; 3) Epilepſiam a nimia ingluvie in adoleſcente cum reſpirandi difficultate declarat; 4) Capitis inflammationem poſt lentam febrem in adoleſcente deſcribit; 5) Raucedinem in gutture, cutis impetiginem, ventriculi debilitatem, imorum viſcerum æſtum, exponit; 6) Salſam cutis impetiginem, corporis plenitudinem, & perniones eryſipelatoſos, explicat; 7) Scirrhum in lingua & alium infra mandibulam poſt hæmorrhoidum ſuppreſſionem ſiſtit; 8) Ulcus auris ab ictu externo cum doloribus ſuppuratoriis, & auditus læſione, diſquirit; 9) Myopiam, ſeu viſus debilitatem, in dextro potiſſimum oculo, ob nimios in ſtudendo labores exponit; 10) Ophthalmiam recurrentem, frontis & temporum inflammationem, Gallicam luem originariam & confirmatam, declarat; 11) Herpetem in capite, luem gallicam in toto corpore, poſt uvulæ & tonſillarum inflammationem, proponit; 12) Luem gallicam, ulcus veſicæ, caruncula in urethra, diſquirit; 13) Luem gallicam, Melancholiam cum doloribus in obeſo, explicat; 14) Luem veneream cum febre continua ſiſtit; 15) Melancholiam, atrabilares ſcorbuticas affectiones, in nobili Moniali conſiderat; 16) Melancholiam, ventriculi morboſam affectionem cum puſtulis ſupra linguam, diſquirit; 17) Menſtruorum imminutionem, geſtationes laborioſas, & affectionem hypochondriacam, perpendit; 18) Paſſionem hyſtericam, ſpaſmodicam, hypochondria-

chondriacam in muliere considerat; 19) Hystericam spasmodicam convulsivam affectionem sistit; 20) Affectionem hypochondriacam, manus & cruris tremorem, sputa sanguine tincta, disquirit; 21) Affectionem hypochondriacam, vomitus, borborygmos, cruditates, œsophagi contractiones, examinat; 22) Asthma in juvene triginta annorum considerat; 23) Asthma post vulnus humeri cum febre continua & sputis cruentis perpendit; 24) Asthma, sputum sanguinis, affectionem hypochondriacam, examinat; 25) Asthma, cachexiam, hydropem incipientem, considerat; 26) Febrem hecticam in muliere disquirit; 27) Sputum sanguinis, tabem incipientem in sene, declarat; 28) Hæmoptysin, respirandi difficultatem, maciem cum lenta febre, perpendit; 29) Tussim, sputum sanguinis, maciem, exponit; 30) Sputum sanguinis in viro, olim podagra & plagis in crure laborante, considerat; 31) Tumorem in mamma; 32) Cancrum in utero; 33) Lumbaginem, perpendit; 34) Ischiadicum dolorem in obesa proponit; 35) Claudicationem ob ischiadicam affectionem describit; 36) Morbosam epidemicam constitutionem, quæ Brixiæ A. 1730 grassata est, disquirit; 37) Spasmodicam ventriculi affectionem cum vomitu, tussi, & hypochondriacis affectionibus, sistit; 38) Fluorem album cum vomitu & ptyalismo in nobili muliere considerat; 39) Nephriticum dolorem cum calculorum exitu disquirit; 40) Febrem, dolorem in coxa, liene, hepate, singultum, urinam nigram cum arenulis, ventris tumorem, perpendit; 41) Urinæ profluvium examinat; 42) Ulcus vesicæ in Veneto mercatore describit; 43) Femoris fracturam sistit; 44) Tensionem in abdomine & musculis intercostalibus sinistri lateris examinat; 45) Fistulam in scroto & perinæo describit; 46) Hæmorrhoïdes dolorificas cum subsequenti fistula in ano disquirit; 47) Dextri pedis distorsionem cum subsequenti debilitate proponit; 48) Tumorem ulcerosum examinat; 49) Affectum pruriginosum sistit; 50) Ozænam exponit. Perlustremus nunc ex adductis historiis 18, 19, & 20, quo observationes annexas & methodum Cel. Autoris exponere queamus. Historia 18 mulierem annorum triginta temperamenti calidi sistit, quæ in



Digitized by Google

pubertate aliquam menſtruorum imminutionem paſſa, decem abhinc annis in febrem continuam incidit, poſtea, commiſſis in victus regimine erroribus, dyſenteria, paulo poſt diarrhœa cum vermiculorum alborum exitu, fluore albo, borborygmis, capitis doloribus, & aliis incommodis, vexata fuit. A. 1732 fluxus menſtruus ceſſavit, & varia incommoda, inprimis inappetentia ſumma, acceſſerunt. Hæc quidem annis ſequentibus variis medicamentis debellata fuerunt, ſed reſtant fluor albus, alvi ſtypticitas, durities hypochondriorum, urinæ albicantes, cutis ardor, &c. quæ hypochondriacæ & melancholicæ affectionis ſigna apparent. Cel. Autor eundem a liquidorum univerſali impuritate, & ſpirituum animalium ataxia, deducit, ulterius declarat, & indicationem format, ut fluidorum motus atque ſolidorum vis absque ſtimulo reſtituatur. Suadet igitur, ut vena ſaphena ſecetur, non ad evacuationem, ſed ad motum cruoris promovendum; ut uſu aquæ ſtibiatæ fermenta vivificentur, ut poſt æquinoctium, præmiſſo pulvere *Baglivii* ad aciditatem removendam, lac aſininum chalybeatum propinetur. Conſultatio Cel. *Alex. Macoppe*, huic hiſtoriæ juncta, variis circa hunc caſum explicatis, menſtruorum fluxum imminutum, rationem urgentis ſymptomatis habere oſtendit. Blanda igitur emmenagoga ſimul cum aliis utenda ſuadet, & aquæ ſtibiatæ calces metallorum, ceruſſam antimonii, martem diaphoreticum, adjungenda eſſe monet. Venæſectionem non negligit, blanda laxantia proponit. Chalybeata poſtea medicamenta, nec non caſtoreata, ſuccinata, & opiata juſta doſi, tandem tonica nervina balſamica, & diætæ regulas, commendat. Hiſtoria 19 paſſionem ſpaſmodico-hyſtericam, in nobiliſſima Veſtali obortam, proponit. Hæc, ut ex literis ad Autorem datis patet, delicatæ indolis, temperamentique calidi, erat, & amplexa religioſum vivendi genus, diætam prorſus mutaverat, ex aere puriore in ponderoſiorem paludoſum, veſtitu prorſus mutato, translata, animique pathematibus violentiſſimis exagitata fuerat; inde ſuffocationes uterinæ, ſpaſmodicæ artuum convulſiones, tremores capitis, clamores & anxietates præcordiorum immanes, ortæ ſunt; quæ omnia ab Autore diſquiruntur, declarantur, & ſequens

quens medendi methodus ſuadetur. Cum malum jam ſua ſponte aliquas inducias fecerit, & ægra marino aſſuefacta ſit cœlo, bilis calor temperandus, fervida viſcera humectanda, ſanguinis dyſcraſia corrigenda, irrequieti ſpiritus compeſcendi, uteri glandulofæ lacunæ a viru expurgandæ ſunt, ita, ut ſanguis liberius fluat, & ichorum ſtaſis avertatur. Hinc lene catharcticum, & venæſectionem in pede, proponit; qua facta, ſanguinis indoles cognoſci, &, an viſciditas, an reſolutio nimia, cruoris adſit, diſquiri, poterit; tum denique remedia in utroque caſu convenientia proponit. Ad compeſcendas vero ſpaſmodicas & hyſtericas exacerbationes, ſuccinata, caſtoreata, immo & anodyna, medicamenta, omni tamen cum cura, adhibenda ſuadet, & varia alia, ad ſcopum facientia, addit. Hiſtoria 20 mulierem ſiſtit, quæ poſt repetitum partum, & abortum interdum intervenientem, commiſſis inſuper nonnullis diætæ erroribus, non tantum hyſtericis doloribus, ſed & aliis incommodis, vexata fuit; in cujus morbi rationem erudite inquirit, &, quomodo aptis remediis ſuccurrendum ſit, oſtendit. Obſervationes in hyſtericam mulierum paſſionem, quas hiſce hiſtoriis ſubnectit, breviſſimis indicabimus. 1) Abſque lanceola Medicum ad curandas hyſtericas affectiones, ſimulque ſpaſmodico-convulſivo-hypochondriacas, non accedere debere, aſſerit Autor; ſed, hoc non indiſcriminatim agendum eſſe, ſimul monet. 2) Quanta ſit differentia mali hyſterici in gravidis & puerperis, declarat, ſimul quædam de fœtu tubario annectens. 3) Remedia, apud veteres uſitata in malo hyſterico debellando, recenſet, &, levioris uſus fuiſſe, ex neglectu eorum colligit. 4) Remedia chalybeata diſquirit, & illa, tum per ſe exhibita, tum purganti juncta, maximis laudibus proſequitur. 5) Bezoardico vero Joviali, adeo uſitato, poſtquam a *Baglivio* commendatum fuerat, parum virtutis adſcribit. 6) Varia ſpecifica antihyſterica, e. g. Fl. Chamomillæ, Aſſam fœtidam, Galbanum, &c. nomine tantum expoſito, recenſet. 7) *Sydenhamium* approbat, qui corticem peruvianum proponit, quem, cum in febribus intermittentibus tanti uſus eſſe cognoſcamus, & hic non prorſus rejicere, ſed ſæpius in auxilium ducere, poſſumus. Splendidum hoc Opus, Principi Regio Po-



Digitized by Google

loniæ & Electorali Saxoniæ dicatum, maximam in observando industriam, amplissimam in elaborando eruditionem, & meditationes longa experientia comprobatas, ostendit, & typorum chartæque elegantia se commendat. Forsitan nonnulli monere possent, Cel. Autorem interdum hypothesibus minus demonstratis in explicandis phænomenis indulgere, vel non semper eventum morbi & effectum medicamentorum apponere, & ita imperfectas nobis reddere historias morborum; sed hi perpendant, in gravissimo hoc studiorum genere nihil perfectum exspectari posse.

## *HERMANNI BOERHAAVE, PHIL. ET MED. D. &c. Prælectiones Academicæ in proprias Institutiones rei medicæ. Edidit, & Notas addidit, ALBERTUS HALLER. Volumen tertium, Lien, Hepar, Renes, Musculi, Cutis, Nutritio.*

Gottingæ, apud Abrahamum van den Hœck, 1741, 8.
Alph. 2.

Eundem ordinem, easdemque dotes, quibus priores *duo Tomi* communem, atque nostrum etiam, tulerunt plausum, cernimus in *tertio* hoc *Tomo* & admiramur. Quas quidem laudes cum denuo hic recitare omnino foret superfluum; nos nostro potius more quædam ex observationibus *Hallerianis*, quæ etiam nunc Celeb. Viri amplissimam omnis generis doctrinam, incredibilem industriam, lectionem vastissimam, & præstantissimum judicii acumen, abunde declarant, momenta, quæ ipsius ingenio proprie debentur, ipsis Autoris verbis repetere constitutum habemus. Ita vero statim ab initio, ossium fabricam breviter explicaturus, *pag. 4*, ossa qualibet fieri, contendit, elementis terreis conjunctis in longa filamenta, quæ cum sui similibus longissimam fibram osseam, eandemque angustissimam, efficiunt; fibras vero in multis ossibus parallelo situ efficere membranam osseam, sive laminam, in cranio facile separabilem; laminas

minas exterius integras, interius ad medullæ sedem reticulatas, aut in spongiam intricatas, ossa tota efficere; inter fibras parallelas, interque laminas, intervalla inania esse, in longitudinem porrecta, & parallela osseis fibris, hæcque intervalla ita in adultis arctari, ut pororum & punctorum specie supersint, dum ea intervalla, quæ laminis interponuntur, in exterioribus ossis partibus & ipsa paulatim evanescunt, in interioribus vero conservantur, laminasque interrumpunt. Vasa itaque, per intervalla fibrarum admissa, & in ipsis, & in laminarum intervallis, per longitudinem ossis meare, atque, ut creditur, succum illum osseum fundere, quem intra vasa fluentem cultri apice percipiendum esse, *Rob Nesbit* affirmat. *Pag. 14* arterias pericardicas proprias, sed non perpetuas, duas nominat, anteriorem sinistram, ex trunco arteriæ subclaviæ, trans arcum aortæ, circa vasa pulmonalia ductumque arteriosum dispersam, posteriorem dextram ex simili sede subclaviæ proxime truncum communem, posterius intra venam sine pari, & bronchum dextrum in glandulas & pericardium dispersum. Aliæ vero communes adsunt perpetuæ. *Pag. 27*, nunquam in ipso ostio venæ azygos se valvulam vidisse, ait, rugas vero valvularum similes aliquando se in arcu reperisse, perpetuo tamen motum aeris ceræque reciprocum liberrime & expedite huc & illuc meare. *Pag. 47* lienem repletum & non repletum per plures menses maceratum undique dissolvi vidit in vascula, quorum extremi rami recti confertim ex ramosis trunculis nascerentur. *Pag. 97* opinionem *Bœrhaavii*, quod pinguedo omenti, calore & attritione perpetua amara facta & rancescens, proximam suggerat materiem secernendæ bilis, probabilem reddere monet oleum in bile copiosissimum. Id enim cum per venam portarum omnino adveniat, ventriculus vero, & lien, & pancreas, adipe destituantur; superest, ut ab omento, &, quod verissime monuit *Morgagnus*, a mesocolo & mesenterio, pinguedo reducatur. Hinc fœtui & infanti pinguedinis parum est in toto corpore, in omento nihil, cum neque respiret fœtus, neque infans alimentis utatur difficilibus. Verum, fœtui & recens nato bilem non amaram esse, sed sanguinis similiorem, e flavo rubram,

bram, viscidam, insipidam, Noster sæpe est expertus. *Pag. 108* ita de ratione, quæ inter omentum, lienem, & hepar, intercedit, pronuntiat: Oportebat sanguinem hepaticum lenius fluere, quam solet arteriosus, ut viscidus inde liquor pararetur. Necesse erat, ut oleum in eo sanguine abundaret, ex quo bilis saponacea indoles oriretur, adeoque sanguis & lente motus, & viscidus, metum faciebat obstructionis. Ergo ei tantum admistum est sanguinis dilutissimi lienalis, & liquoris aquei, ac semiputridi ventriculi, & intestinorum, quantum requirebatur ad temperandum lentorem oleosum sanguinis. Denuo tantum motus additur a vi respirationis, quantum non quidem ad arteriosam celeritatem, sed ad perennitatem fluenti, requiritur. *Pag. 117* a sententia *Bærhaavii*, ut sæpius facit, recedens, non aliam allegat causam, qua sanguis venæ portarum resistentias in hepate superet, præter unam respirationem, adjutam pulsatione valida, tum trunci arteriæ cæliacæ dextri, qui trans venam portarum assurgit, tum vero ramorum hepaticorum, qui ramos venosos portarum comitantur. *Pag. 262* monet, vesicam in fœtu pro ratione corpusculi maximam esse, eandem non pro ratione corporis crescere, sed paulatim rationem uteri augeri, diminuta vesicæ ratione, &, cum in fœtu longe supra os pubis vesica educatur, eandem in sene non adscendere supra ossis marginem, nisi vehementer distendatur. *Pag. 427*, gravissimam difficultatem esse, pronuntiat, definire, quid de accessoria illa copia fluidi nervei fiat, a qua nunc maxime motus muscularis factus est. An redit ad cerebrum? Sed resistunt immensa vi novi, qui succedunt, spiritus. An exit in venas, quæ ex imis vesiculis sine finibus fibrarum exeunt? Quare non eo ipso exiit tempore, quando inflabantur fibræ a copia nova spirituum? Si vero tunc exiit, nulla potuit distensio facta fuisse. An sistitur in viis cœcis? Non potest. In immensum enim augeretur contractio musculorum & crassities. An exhalat? Idem respondendum foret, quod de venis dictum fuit, etsi hæc ratio videatur magis probabilis, si ponas poros valde exiguos, qui non impediunt repletionem fibræ motricis. An in tendines, tanquam promtuaria, migrat? Deest spatium in

tendine,

tendine, neque omnes musculi tendines nacti sunt. An perit destructa? Sed ex ente in nihilum regressio nulla est, &, nisi perit, nisi definit corpus esse, semper distendit. *Pag. 459*, omnes machinas humanas non aliunde virium augmenta habere, monet, nisi quod potentia tanto plus viæ describat, quanto pondus ipsa majus est. Corporis humani perfectio in eo est, ut plus viæ pondus describat, potentia minus. Non aliter fieri potuit, ut pes ante pedem poneretur, ut exsereretur maxilla inferior trans superiorem, ut brachium & ante corpus, & supra, & retro, produceretur, & infinita hujus generis, quæ omnia necessitatem faciunt, ut musculus propius hypomochlion, pondus autem remotum, poneretur. *Pag. 114*, in adulto corpore, innuit, nullum manifestum esse motum inter ossicula carpi, neque posse eum liberum esse, cum ligamenta sint brevissima. Mirabiles tamen utilitates pedum in miseris hominibus, manibus a nativitate truncatis, & motiones, quibus manus imitantur, demonstrant, esse in machina humana multo plus latentium motionum, quam quidem vulgo exercere solemus, & tantam esse perfectionis abundantiam, ut magnam partem non incommode negligamus. *Pag. 464* aliquam dorsi aponevrosin minus cognitam describit. Nempe a serrato posteriori superiori ad inferiorem musculum ejusdem nominis continuæ fibræ tendineæ a spinis vertebrarum dorsi versus costas transversæ incedunt, immistæ tendineo involucro musculorum intercostalium, ut adeo sacrolumbaris & longissimus dorsi musculus toti contineantur continua aponevrosi, cujus propriæ carnes sunt, qui jam nominati fuerunt, musculi serrati. Neque magis movendis costis eos ipsos musculos videtur natura destinavisse, quam attrahendæ aponevrosi, jam descriptæ, ut in magnis conatibus & elevandis ponderibus musculi longi, neque durissimi, retineantur, suamque contractionem omnem impendant, non in elevanda cute, sed in attrahendis costis & vertebris in mutuos contactus. *Pag. 492* originem mali hypochondriaci ex vita literaria sic explicat, quod perpetuus usus oculorum & cerebri, in quo procul dubio anima proxime operetur, augeat determinationem sanguinis in

caput

caput & nervos, atque adeo dilatet fibras cerebri nervorumque, dilatati vero nervorum tubuli debilitentur continuo, & mollescant, & impressionibus minus resistant, quæ princeps caussa esset morbi hypochondriaci; deinde, quod, cessante motu musculorum, & impedito septo transverso, laboret transitus liquorum per hepar, ventriculi & intestinorum compressio minuatur, & stagnationes in hypochondriis atque cruditates augeantur. *Pag. 566*, sudorem omnino arteriosum esse, pluribus probat. *Pag. 573* sudores criticos apud *Hippocratem*, non theoria solum, sed experimentis quoque, reperit, & adversus *Freindium* aliquot exemplis comprobat. *Pag. 574* confusionem perspirationis insensibilis, cum exhalatione illa inorganica, quæ a solo calore oritur, & fere omnibus corporibus, communis est, pluribus perstringit. *Pag. 587*, nos non proprii corporis pondus percipere, caussatur, quia definita vis musculorum sufficiat ad eos labores, quos vita mediocriter agilis requirit, neque id grave videatur, quod perpetuo portamus, grave autem esse id, quod non perspiret, non ob additas tres libras, quas facile gestaremus in loculo, sed quod, obstructis musculorum vasis arteriosis, vires musculorum minuantur. Unde etiam in febre tanta oritur debilitas, corpore multum leviori. *Pag. 637* compositionem corporis humani ad mentem *Barhaavii*, ejusque discipulorum, ex partibus minimis breviter, sed elegantissime, explicat, quando ait, primam particulam corporis humani esse elementum solidum terreum, ex elementis per longitudinem conjunctis fieri fibram simplicem, ex fibrarum tegmine vel simplici parallelo, vel intertexto, membranam primam, ex membrana prima, in cylindrum involuta, oppositis finibus cohærentibus, ut spatium claudant, vasculum simplex, ex vasculis simplicibus membranam secundam, ex ea similiter, ut de simplici dictum fuit, vas *secundum, inde membranam* vasculosam aliam. *Pag. 693* diversitatem firmitatis partium solidarum pro multiplicatione cohæsionum docte edisserit. Nempe prima cohæsio est elementorum ope glutinis. Hinc media fibra fortior; ibi enim duo elementa cohærent, terminus debilis, quia nulli cohæret. Si utrinque extremo elemento

aliud

aliud elementum adhæserit, termini conjuncti faciet cohæsionem similem, æqualem priori. Deinde, si duæ fibræ conjungerentur totis longitudinibus, atque ita membranam minimam facerent, fieret utique tertia & validissima cohæsio. Sed vix probabile est, naturaliter tales membranas adesse. Videtur in musculis, & inter vasa, ubique nexus fieri per fibrillas transversas, sive cellulosam fabricam, & pleræque partes ductum habent fibrarum, juxta quem facilius lacerantur, maxime tenaces, si contra eum ductum disrumpere coneris. Ergo tertio hæc cohæsio, a cellulosa facta, laxior erit, multum tamen addet robori, quod superficies conjunctæ sint maximæ, quæ dari possunt, totæ nempe longitudines, multo majores priori. Si ab altera parte fibra similiter & parallela admoveatur, erit cohæsio quarta tertiæ æqualis. Si hæ tres fibræ membranam fecerint, quæ in vas fuerit coalita, erunt in tribus fibris cohæsiones longitudinales tres, & latitudinales totidem, cum, nisi vas efficerent, hæ quidem tres etiam forent, sed illæ non nisi duæ. Et, si minima fabrica, quod probabile est, cylindrica fuerit, poterunt sex aliæ cylindri similes eam contingere, & habebit laterculus, ex fibrillis solidis factus, omnino sex cohæsiones per latitudinem, sex per longitudinem. Si vero plura fuerint strata fibrarum, atque adeo quævis cylindrica fibra non duas, sed sex, vicinas fibras acceperit, quæ quidem omnium cognitarum membranarum fabrica est, tunc denuo firmitates mire augebuntur. Et, si hæ fibræ non cellulosa fabrica, sed coalitu vero, post expulsum fluidum connexæ fuerint, quam late se contingunt, ita tamen, ut in prismatibus curvilineis, quæ media interponuntur cylindris fibrarum, fluidum conservetur, tunc in lacerto fibroso, posita longitudine elementi ad latitudinem, ut 20 ad 1, quod parum est, erit cohæsio laterti ad cohæsionem fibræ simplicis 486. 1. *Pag. 699* ejus phænomeni, quare fœtus quidem increscere queat, adultus autem homo crescere desinat, hanc rationem adducit, quod in fœtu gluten inter elementa plurimum est, elementa paucissima, ut flexilitas & mucositas viscerum, membranarum, ossium, demonstrat. In adulto hoc ipsum gluten a pulsatione arteriarum vicinarum &

actione musculorum, ita paulatim exsiccatum & induratum est, ut exiguum fiat, elementa vero solida longissima. Semper autem superesse aliquam glutinis copiam, alibi demonstratum fuit. Hinc deducitur, in fœtu fibram debilissimam esse, & extensioni etiam levi cedere, paulatim vero robustam fieri, & tandem pene rigidam. Sola enim terra inflexilis est, omnis autem flexilitas a glutine oritur. *Pag. 702* novam rationem, quæ vires fibrarum infinita ratione auget, proponit. Nimirum, cylindricas esse fibras, multa demonstrant. Ergo fibra, concreta ex sex cylindris, circa septimum conjunctis, cohæsiones habet in lineis, quæ in longitudine convexa cylindrorum jacent. Inter cylindros spatia prismatica curvilinea, triangularia, intercipiuntur, inania, aut vapore aqueo, non adhærente, plena. Effundatur nunc in hæc vacua succus concrescibilis, qui cum sex fibris peripheriæ, & cum media fibra, conferruminetur, tunc vero non lineis cohærebunt fibræ, sed totis superficiebus, undique, neque ullibi liberæ erunt. Est autem superficierum ad has lineas, etiam si physicæ sint, ratio incredibilis. Hæc ratio cohæsionis in ossibus evidentissima est, in quibus succus osseus effunditur in longitudinalia intervalla fibrarum, & distantes olim laminas conglutinat. Eadem in tumoribus osseis & lapideis est, ubi succus effusus non quidem circa fibras cogitur, sed confluentes guttulæ absque intervallo se attrahunt. Reliquas autem cohæsiones omnes superat, & vel sola explicat, quare vasa & molles fibræ pueri obediant vi expandenti cordis, cui fibræ rigidæ & vasa solida adultorum facile resistunt. *Pag. 728* pluribus probat, diversorum humorum diversa esse tempora, quibus circumducantur; omnia vero hæc a nobis ignorari.

## *PROBLEMA GEOMETRICUM LAHIreanum, Sectiones Conicas spectans, a* LUDOVICO *WENTZIO, J. U. L. & Mathematum Cultore Basileensi, pluribus modis solutum.*

Problema

TAB. V. ad Nov. Act.

Fig. I.

D M C G H A I K B L



Problema

Problema hoc est: *Describere Ellipsin, quæ habeat centrum positione datum, & Axem magnitudine datum, & quæ tangat duas rectas positione datas.*

Autorem hujus Problematis esse inclytum Astronomum Parisiensem, *de la Hire*, Conicorum alias scriptorem, qui hoc aliis celeberrimis Mathematicis quondam proposuerit, quamvis ipse, ut nonnulli suspicantur, non solverit, virosque præclaros ejus solutionem dudum dedisse, non ignoro. Eapropter ista, tanquam luce publica haud adeo digna, hactenus inedita reliqui, exceptis iis, quæ jam A. 1727 publicavi. Quoniam autem á permagni nominis Mathematico, cui de meis solutionibus nonnullam feci mentionem, certior factus sum, iis nonnulla inesse, a nemine adhuc edita, aliisque haud displicitura, illa omnia, qualiacunque sint, publici juris facere non dubitavi.

En igitur, benevole Lector, multiplicem solutionem. *Prima* erit Trigonometrico-Sphærica, Axem transversum datum supponens, nullaque analysi algebraica indigens, quippe cum datum Problema ad mere Trigonometrico-Sphæricum reducatur. *Secunda* ex eodem fundamento cum præcedenti, sed methodo analytica, petita, axem conjugatum cognitum supponit, & tandem constructionem satis, ut opinor, concinnam suggerit. *Tertia*, Axem transversum denuo datum supponens, methodo analytica vulgari traditur, indeque constructio geometrica cum præcedenti, si invertatur, plane coincidens deducitur. Tandem additur, & synthetice demonstratur, solutio generalis, Sectiones Conicas omnes concernens, quam simul exemplis illustravi.

## *Solutio I, Trigonometrico-Sphærica.*

Notum est, Ellipsin generari, si ex omnibus punctis circumferentiæ cujusdam circuli, planum aliquod oblique secantis, ad illud planum lineæ rectæ perpendiculares ducantur: hanc Ellipsin autem degenerare in lineam rectam, si circulus ipse ad perpendiculum erigatur. Posito itaque in Fig. 1, lineas datas esse ID, IL, centrum datum A, & axem transversum dimidium AG; si concipiamus, planum datum IDAL, in TAB. V. Fig. 1.



Digitized by Google

quo Ellipsis describenda, secari ad angulos rectos a duobus aliis planis super datis lineis ID, IL, ad perpendiculum erectis, atque sphæra quædam ita constituta ponatur, ut ejus centrum sit in ipso puncto A, ejusque semidiameter ipse semiaxis transversus AG; patet, hanc sphæram a dato plano secari in medio, ita, ut sectio inde nata sit circulus maximus GMLK; a planis perpendicularibus vero secari, ita, ut generentur duæ aliæ sectiones perpendiculares & circulares, quarum diametri sint GM & KL, atque centra horum diametrorum puncta media C & B. Porro, cum Ellipsis describenda terminetur circulo GMLK, atque datas rectas tangat in partibus GM, KL, sequitur, si concipiatur aliquis circulus maximus hujus sphæræ ita constitutus, ut, demissis ad planum nostrum perpendicularibus, desiderata Ellipsis formetur, hujus circuli duo puncta, a quibus perpendicularium ope designantur puncta contactus, eadem fore, in quibus idem circulus maximus duos illos circulos minores, vel, accuratius dicendo, illorum circumferentias, tangat; lineam interfectionis vero hujus circuli maximi & plani dati coincidere cum latere transverso Ellipsis quæsitæ. Porro, quia Ellipsis ex numero earum figurarum est, quæ habent partes oppositas similes & æquales, sicuti circulus, manifestum est, Ellipsin describendam tangere debere chordas, ipsis GM & LK e diametro oppositas, adeoque circulum illum maximum sphæræ similiter tangere circulos minores, prioribus oppositos; unde, ut figura eo facilius ob oculos poni possit, accipiamus loco unius GM horum circulorum minorum ipsius oppositum, habebimus jam

TAB. V in superficie sphæræ sequentia consideranda: Sit RCB (Fig. 2)

Fig. 2. Circulus maximus, in Fig. 1 literis GMLK designatus, C Polus minoris, B majoris, sectionis circularis; ROQ alius circulus maximus, ex cujus projectione Ellipsis nascitur, minores illos tangens in punctis O & Q (a quibus demittendo supra dictas perpendiculares in planum RCB, oriuntur puncta desiderata contactus,) ac priorem maximum secans in R; P Polus circuli ROQ; PO, PQ, Quadrantes, per C & B transeuntes; porro ponatur RT Quadrans, erunt etiam PT & RCBS Quadrantes.

Fig. 1. Deinde patet, quod, cum centrum A (Fig. 1) positione datum

Digitized by Google

tum sit, datæ sint & perpendiculares AB, AC, & angulus, quem istæ faciunt BAC, vel ejus complementum ad duos rectos CAD, æquale angulo intersectionis datarum Tangentium BID; &, quia hujus anguli mensura est arcus CB (Fig. 2) intervallum polorum C & B, circulorum minorum, in sphæræ superficie descriptorum, patet, inquam, quod detur arcus BC. Denique, quia, dato semiaxe AG (Fig. 1), dantur etiam partes rectarum circulo abscissæ GM & KL, patet, dari etiam arcus CO, BQ; sunt enim dimidia ipsarum GM & KL, seu CM & BL, horum arcuum sinus; ac proinde dantur etiam eorum complementa ad Quadrantem CP & BP. TAB. V Fig. 2. Fig. 1.

Hinc ergo manifestum est, totum Problema redactum esse ad Trigonometrico-Sphæricum. Habemus enim in Triangulo Sphærico obliquangulo PCB omnia tria latera cognita, ex quibus, si reperiatur per calculum Trigonometrico-Sphæricum angulus PCB, vel ejus verticalis RCO, patebit etiam in Triangulo rectangulo RCO arcus CR; dabuntur enim ad eum inveniendum angulus rectus COR, arcus CO, & angulus OCR. Sed arcus CR dabit angulum CAH, quem faciet latus transversum cum perpendiculari AC (Fig. 1). Est enim R unus ex ambobus verticibus, quibus Ellipsis a latere transverso intersecatur; adeoque, invento arcu CR, patebit situs lateris transversi, quo determinato, nihil aliud superest ad Ellipsin describendam, quam ut semiaxis conjugatus quoque reperiatur; quod fiet mediante eodem Triangulo rectangulo OCR, in quo quærendus est duntaxat angulus R, utpote cujus cosinus est ipse semiaxis quæsitus. Quoniam enim ST est mensura anguli R, & angulus iste est idem, sub quo circulus maximus TQO in planum alterius RCB projiciendus eundem secat; manifesto sequitur, sinum arcus TX, vel PS, complementi ipsius ST, dimidiam latitudinem maximam Ellipseos prodituram esse. Quoniam enim RT est Quadrans, punctum T, in planum sæpius dictum projectum, dabit alteram extremitatem Axis conjugati quæsiti, quod erat inveniendum.

Sic, si in Fig. 4 fuerit Axis transversus 2000, perpendicularis AC 944, AB 728, & angulus CIB 84 gr. 30 min. invenietur angulus Fig. 4.

angulus CAH 26°. 40′ vel ejus Tangens 502, aut CH 474, & fin. TX, vel femiaxis conjugatus AE 678 partium.

TAB. V Fig. 3. Me non monente apparet, fi arcus BC fit major fumma arcuum BQ, CO, ut in Fig. 3, Problemati duas fatisfacere Ellipfes. Per intervallum enim circulorum QB, CO, tranfire poterit alius circulus maximus in planum projiciendus, ita, ut, manente eodem arcu BC, punctum R cadat intra limites circulorum BQ, CO, & in hoc cafu erit vel PB, vel PC, Quadrante major, e. g. in cafu fupra dato fit PC 109°. 15′. unde reperitur Fig. 4. arcus CR, feu angulus CAh, (fumto h in Fig. 4 ex altera parte ipfius C,) 24°. 36′, ejusque Tangens 458, vel Ch 432, & Cof. arcus ST, vel femiaxis conjugatus AF 610 partium.

## *Solutio II, Geometrica, Axem conjugatum datum fupponens.*

Nititur hæc folutio eodem fundamento cum præcedenti, fed calculus analyfi algebraica abfolvitur, & quidem hoc modo: Quia axis conjugatus datus fupponitur, fit ejus dimidium, Fig. 2, 3. vel finus arcus PS (Fig. 2, 3,) = a, fin. PB (= AB Fig. 1) = b, fin. PC (= AL) = c, fin. totus incognitus (vel femilat. transv. AG) = t, fin. arc. BC (vel ang. CAD) affumto a pro finu toto, = d, ad radium t vero reductus = dt : a. Habebimus duo Triangula rectangula PSB & CRO, quibus arcus BS & CR reperiuntur, ut fequitur: nimirum in Triangulo PSB, in quo dantur angulus rectus PSB, crus PS & hypotenufa PB, reperitur SB, fi fiat, ut Cof. PS ad Cof. PB; ita fin. tot. ad Cof. SB. Eft autem Cof. PS $= \sqrt{(tt-aa)}$, Cof. PB $= \sqrt{(tt-bb)}$; ergo Cof. SB $= t\sqrt{(tt-bb)} : \sqrt{(tt-aa)}$. In triangulo altero vero OCR, in quo dantur latus CO, angulus rectus COR & angulus CRO, cujus menfura eft ST, complementum ipfius SP ad Quadrantem, adeoque fin. CRO $= \sqrt{(tt-aa)}$, reperitur hypotenufa CR hac Analogia: ut S. CRO ad S. CO, ita S. tot. ad S. CR; ideo, cum S. CO fit $\sqrt{(tt-cc)}$, erit fin. CR $= t\sqrt{(tt-cc)} : \sqrt{(tt-aa)}$. Cum vero ex datis finibus arcuum RC & CB reperiatur finus fummæ RB, (vel differentiæ Fig. 3,) utriusque arcus finum multiplicando per Cof. alterius, & fummam

Digitized by Google

mam (vel differentiam) productorum dividendo per finum totum, atque finus iste fummæ (vel differentiæ) fit ipse Cof. SB, fupra repertus, liquet, aditum patere ad Æquationem. Est enim fin. BC $= dt : a$, fin. CR $= t\sqrt{(tt-cc)} : \sqrt{(tt-aa)}$, atque Cof. BC $= t\sqrt{(aa-dd)} : a$, & Cof. CR $= t\sqrt{(cc-aa)} : \sqrt{(tt-aa)}$; ideoque fin. BR $= dtt\sqrt{(cc-aa)} : at\sqrt{(tt-aa)}, + tt\sqrt{(tt-cc)}\sqrt{(aa-dd)} : ta\sqrt{(tt-aa)}$ vel $(dt\sqrt{(cc-aa)} + t\sqrt{(tt-cc)(aa-dd)}) : a\sqrt{(tt-aa)}$. Sed finus BR vel Cof. SB antea repertus est $= t\sqrt{(tt-bb)} : \sqrt{(tt-aa)}$; ergo habemus Æquationem $t\sqrt{(tt-bb)} : \sqrt{(tt-aa)} = (dt\sqrt{(cc-aa)} + t\sqrt{(tt-cc)(aa-dd)}) : a\sqrt{(tt-aa)}$, vel (dividendo utrinque per t, & multiplicando per $a\sqrt{(tt-aa)}$) fiet $a\sqrt{(tt-bb)} = d\sqrt{(cc-aa)} + \sqrt{(tt-cc)(aa-dd)}$, quæ reduci potest ita, ut eruatur valor lineæ CG (Fig. 1), a qua femiaxis transversus pendet, si prius quadrando & ordinando reducatur ad hanc formam: $2d\sqrt{(cc-aa)(tt-cc)(aa-dd)} = (tt-cc)dd + (aa-dd)cc + (dd-bb)aa$; deinde brev. gr. ponatur x pro $\sqrt{(tt-cc)}$ vel xx pro $tt-cc$, ee pro $dd-bb$, ff pro $aa-dd$, & gg pro $cc-aa$; fiet enim $2dgfx = ddxx + ccff + aaee$; qua æquatione quadrata more folito refoluta prodit tandem $x = fg : d, + \sqrt{(ffgg - ccff - aaee)} : d$, &, fubstituendo vice verfa pro gg, ff, & ee, valores priftinos, reperitur $x = \sqrt{(cc-aa)(aa-dd)} : d, \pm a\sqrt{(bb-aa)} : d$; unde, quia fuppofuimus $x = \sqrt{(tt-cc)}$, & $\sqrt{(tt-cc)}$ est valor ipfius CG, manifestum est, femilatus transverfum AC $=$ t determinari, abfcindendo rectam CG valori ipfius x invento æqualem.

Situm denique hujus lateris transverfi obtinebimus mediante finu arcus antea inventi CR, vel ei refpondentis anguli CAH. Cum enim finus ille antea repertus fit $t\sqrt{(tt-cc)} : \sqrt{(tt-aa)}$ atque cofinus $t\sqrt{(cc-aa)} : \sqrt{(tt-aa)}$ & valor ipfius t jam cognitus, atque fin. totus fit ad Tangentem, ut cofinus ad finum; fi capiatur AC pro finu toto, liquet, CH fore Tangentem anguli CAH quæfiti, & æqualem $c\sqrt{(tt-cc)} : \sqrt{(cc-aa)}$. Quod erat inveniendum.

*Constru-*

## *Constructio Geometrica.*

Valores inventi tam distantiæ CG, quam CH, id est, tam $\surd$ (cc — aa) (aa—dd) : d, $\pm$ a $\surd$ (bb — aa) : d, quam c $\surd$ (tt — cc) : $\surd$ (cc — aa), constructu adeo faciles sunt, ut faciliores dari in hoc Problemate non possint; unde, cum placuisset hanc solutionem meis Thesibus, jam A. 1727 pro Cathedra Physica ventilatis, annectere, non necesse duxi cogitare, nisi de ea constructione, quam ipsi termini algebraici suggerunt. Sed, quia Geometras æque ac alios artifices de exornandis inventis quoque cogitare decet, haud abs re erit, aliam magis concinnam hic tradere, quæ haud minus, quam modo dicta, sese brevitate commendet. Demissis itaque in Fig. 5 ex dato centro A ad datas TC, TB, perpendicularibus AB, AC, ex altera parte centri, quantum opus est, prolongandis, factisque Cc, Bb, æqualibus semiaxi dato, descriptisque centro A radiis AB, AC, arcubus Bd, Ce, secantibus bd, ce, ipsis AB, AC, parallelas in d & e, abscindantur BP = bd, & CN = ce, factisque AQ = AP & AO = AN, ducantur per P & Q ipsi BT duæ parallelæ, & per N & O ipsi CT duæ aliæ parallelæ, priores secantes in punctis I, K, L, M, quæ erunt foci duarum Ellipsium, quæstioni satisfacientium, quibus præter axem cognitis *Ellipses* facile describuntur, ut notum.

TAB. V Fig. 5.

*Demonstratio*: Probandum est, AI, AK, in ambabus Ellipsibus, quæ hic satisfaciunt, obtinere situm Axis transversi, & æquales esse distantiis focorum. In hunc finem agatur AR parallela NK, atque per I & K ducantur rectæ AH, AH, nec non AS parallela ipsi PK, secans KI in medio S, atque ex E demittatur ad AC perpend. EF, erunt Triangula AEF, APR, ASN, similia; sunt enim omnia rectangula, & anguli FAE, ARP, ASN, æquales. Jam, quia per præc. semiaxis datus = a, AB = b, AC = c, EF = d, AF = $\surd$ (aa — dd), & per constr. NA = $\surd$ (cc—aa), atque AP = $\surd$ (bb—aa) : patet esse EF : AF = AN : NS, adeoque NS = $\surd$ (cc — aa) (aa — dd) : d, atque EF : AE = AP : AR, unde AR = SK = SI = a $\surd$ (bb — aa) : d, & NK = NS + SK = $\surd$ (cc — aa) (aa—dd) : d, + a $\surd$ (bb — aa) : d,

atque

atque $NI = NS - SI = \sqrt{(cc-aa)(aa-dd)} : d - a\sqrt{(bb-aa)} : d$, adeoque NK & NI ſunt æquales ipſis CG, Cg, in linea CT abſcindendis, ad id, ut ductæ AG, Ag, fiant ſemiaxibus transverſis æquales.

Porro, cum ad ſitum utriusque axis transverſi determinandum oporteat, ut fiat CH vel $Ch = c\sqrt{(tt-cc)} : \sqrt{(cc-aa)}$, id eſt, $AN : NI = AC : Ch$ vel $AN : NK = AC : CH$, manifeſtum eſt, rectas AH, vel Ah, ex A per K, vel I, ductas, dare ſitum deſideratum; quapropter poſita erunt puncta I & M, nec non K & L, in alterutro axe quæſito.

Tandem, cum AGq ſit $= ACq + CGq = ACq + NKq$, ſeu (propter $NKq = AKq - ANq$) $AGq = ACq + AKq - ANq$, erit $AKq = AGq - ACq + ANq$; eſt autem per conſtructionem $NAq = ACq - AEq$, ſive $ACq - ANq = AEq$; ergo $AKq = AGq - AEq$, quæ proprietas ipſius AK cum competat diſtantiæ foci a centro, patet, K eſſe focum deſideratum Ellipſeos, quod erat unum.

In altero vero caſu, cum ſit $Agq = ACq + Cgq$, vel NIq, ſeu (propter $NIq = AIq - ANq$), $Agq = ACq + AIq - ANq$, erit $AIq = Agq - ACq + ANq$. Sed $ACq - ANq = AEq$; ergo $AIq = Agq - AEq$, & punctum I habet eandem proprietatem foci, quod erat alterum demonſtrandum.

## *Solutio III, Geometrica, Axem transverſum datum ſupponens.*

Videamus jam, quomodo eidem Problemati ſatisfiat, axem transverſum datum ſupponendo. Sit itaque in Fig. 6 Centrum datum A, rectæ poſitione datæ DC, DB, axis data longitudo PY. Ex A demittantur perpendiculares AB, AC, atque prolongetur axis PY, cujus ſitum tanquam cognitum interim ſupponimus, donec ſecet rectam CD in V, & BD in T; atque ex V demittatur ad BD perpendicularis VZ. Porro centro A radio AP deſcribatur Circulus, ſecans rectas datas in E, F, G, & H, & ex puncto Q, in quo ſupponimus Ellipſin quæſitam tangere rectam DC, demittatur ad axem AP perpendicularis QR, quæ prolongata ſecet circulum in S. Tandem ponamus ſemiaxem

TAB. V Fig. 6.

xem conjugatum, adhuc incognitum, æqualem ipsi AN sumtæ in recta AB sursum prolongata, & demittatur NO perpendicularis ad AC, atque ponantur lineæ datæ AP = a, AB = b, AC = c, AN = x, & quia angulus CDB datur ob datam positionem rectarum CD, BD, atque angulus NAO eidem æqualis est, ponamus, AN esse ad NO ut m ad n & AN ad AO ut m ad o. Manifestum est, quod CH sit $= \sqrt{(aa - cc)}$, EB $= \sqrt{(aa - bb)}$; ex datis vero in Trapezio ABDC, ad B & C rectangulo, lateribus AB, AC, & angulo CDB, facile reperitur, quod BD $= (ob + mc):n$ & CD $= (oc + mb):n$, quare id ostendere omittam. Ut autem Calculum ipsum aggrediamur, quæramus ante omnia valores distantiarum AV & AT, & in hunc finem ponamus interim, ob faciliorem calculum AV = z, habebimus AR $= aa:z$, vi proprietatis Ellipseos, qua AV : AP = AP : AR, de quo vide sis *M. de l' Hospital Sect. Con.* §. 57. Deinde erit VR (= AV — AR) $= (zz - aa):z$, CV $= \sqrt{(zz - cc)}$ & RS $= \sqrt{(aa - a^4:zz)} = a\sqrt{(zz - aa)}:z$, &, quia in Ellipsi Axis major est ad minorem, ut RS ad RQ, erit RQ $= x\sqrt{(zz - aa)}:z$, unde cum ob Triangulorum VQR, VAC, similitudinem sit VR : RQ = VC : AC, erit $(zz - aa):z$ ad $x\sqrt{(zz - aa)}:z$ sicut $\sqrt{(zz - cc)}$ ad c, adeoque $aacc - ccxx = cczz - xxzz$ & $z = AV = c\sqrt{(aa - xx)} : \sqrt{(cc - xx)}$. Simili prorsus modo reperitur AT $= b\sqrt{(aa - xx)}:\sqrt{(bb - xx)}$, unde TV = AT − AV $= (b\sqrt{(aa - xx)(cc - xx)} - c\sqrt{(aa - xx)(bb - xx)}):\sqrt{(bb - xx)(cc - xx)}$.

Si jam pro z ponatur valor inventus, erit CV $= \sqrt{(zz - cc)} = c\sqrt{(aa - cc)}:\sqrt{(cc - xx)}$; unde, cum habeatur VD = CD — CV $= ((oc + mb)\sqrt{(cc - xx)} - cn\sqrt{(aa - cc)}):n\sqrt{(cc - xx)}$ sitque VD : VZ = AN : NO, erit VZ $= ((oc + mb)\sqrt{(cc - xx)} - cn\sqrt{(aa - cc)}):m\sqrt{(cc - xx)}$. Eadem vero VZ reperitur ex inventis AT, TV, & analogia, qua est AT : AB = TV : VZ; fit nimirum VZ $= (b\sqrt{(cc - xx)} - c\sqrt{(bb - xx)}):\sqrt{(cc - xx)}$, unde habemus Æquationem $((oc + mb)\sqrt{(cc - xx)} - cn\sqrt{(aa - cc)}):m\sqrt{(cc - xx)} = (b\sqrt{(cc - xx)} - c\sqrt{(bb - xx)}):\sqrt{(cc - xx)}$, ex qua multiplicando utrinque per $m\sqrt{(cc - xx)}$, subtrahendo

hendo $mb\sqrt{(cc-xx)}$, & dividendo per $c$, eruitur $n\sqrt{(aa-cc)} - m\sqrt{(bb-xx)} = o\sqrt{(cc-xx)}$, vel ponendo brevitatis gr. $\sqrt{(aa-cc)} = e$, erit $ne - m\sqrt{(bb-xx)} = o\sqrt{(cc-xx)}$, & quadrando $nnee + mmbb - mmxx - 2mne\sqrt{(bb-xx)} = oocc - ooxx$, & addendo utrinque $mmxx$, atque subtrahendo $oocc$, $nnee - oocc + mmbb - 2mne\sqrt{(bb-xx)} = mmxx - ooxx$, vel (quia $mm - oo = nn$) $= nnxx$, & ponendo $aa - cc$ pro $ee$ & $mm$ pro $nn + oo$, erit $nnaa - mmcc + mmbb - 2mne\sqrt{(bb-xx)} = nnxx$, vel $nnaa - mmcc + mmbb - nnxx = 2mne\sqrt{(bb-xx)}$, aut ponendo brevitatis gr. $mmbb - mmcc + nnaa = q^4$, erit $2mne\sqrt{(bb-xx)} = q^4 - nnxx$, & quadrando $4mmnneebb - 4mmnneexx = q^8 - 2nnq^4xx + n^4x^4$, & $n^4x^4 + 4mmnneexx - 2q^4nnxx = 4mmnneeb^2 - q^8$, aut $x^4 + (4mmeexx - 2q^4xx):nn = (4mmnneebb - q^8):n^4$, & utrinque addendo $(4m^4e^4 - 4mmeeq^4 + q^8):n^4$, atque radicem quadratam extrahendo fiet $xx + (2mmee - q^4):nn = 2me\sqrt{(nnbb + mmee - q^4)}:nn$, unde $x = \sqrt{[(q^4 - 2mmee):nn \pm 2me\sqrt{(nnbb + mmee - q^4)}:nn]}$ & restituendo valores pristinos pro $ee$ & $q^4$, habebitur tandem $x = \sqrt{[nnaa + mmbb - 2mmaa + mmcc \pm 2me\sqrt{(nnbb + mmaa - nnaa - mmbb)}]}:n$. Quod erat inveniendum.

## *Constructio Geometrica.*

Valor ipsius $x$ inventus prius ad construendum præparetur mutando quantitates ejus in factores, & habebimus $\sqrt{[nncc - mm(aa-bb) - (mm-nn)(aa-cc) \pm 2me\sqrt{(mm-nn)(aa-bb)}]}:n$, atque (ponendo rursus abbreviandi causa $aa - bb = ff$, $mm - nn = oo$, & $aa - cc = ee$) $x = \sqrt{(nncc - mmff - ooee \pm 2meof)}:n$, sive $x = \sqrt{(cc - (mf:n \pm oe:n)^2)}$. Hoc facto, facile patet, quid faciendum, ut inveniatur axis conjugatus quæsitus: Erecta nimirum EK perpendiculari ad EF, nec non GK & HI ad HG, secantibus EK in K & I; demissisque Kb & Ic perpendicularibus ad AC, iisque, si

opus sit, prolongatis, atque centro A radio AC descripto circulo secante Kb & Ic in e & d, erunt be & cd semiaxes conjugati utriusque Ellipsis, quæstioni satisfacientis; Rectæ AI & AK vero dabunt situm axis transversi quæsitum. Q. e. faciendum.

*Ratio Constructionis* patet sua sponte ex valore ipsius x. Si enim agatur Ag perpendicularis ad EK, erit Triang. Aag simile Triang. ANO, ob ang. Aag = NAO, unde Ag : Aa = n : m, & quia Ag = BE = $\sqrt{(aa - bb)}$ = f, erit Aa = mf : n. Porro, quia CG = CH = IC = Kb = $\sqrt{(aa - cc)}$ = e, & ΔΔ Kab, Iac & NAO quoque similia, erit lin. ab = lin. ac = oe : n, adeoque Ab = mf : n + oe : n, & Ac = mf : n − oe : n. Denique, quia Ad = Ae = AC = c, erit be = $\sqrt{(cc - (mf:n + oe:n)^2)}$ & cd = $\sqrt{(cc - (mf:n - oe:n)^2)}$, id est, be & cd erunt semiaxes conjugati quæsiti, q. e. unum.

Quod vero AI & AK præbeant lateris transversi situm, inde fit manifestum, quod valor ipsius CV, vel CW, situm istum determinantis, inventus sit c $\sqrt{(aa - cc)} : \sqrt{(cc - xx)}$. Cum enim CH sit = $\sqrt{(aa - cc)}$ & Ac, vel Ab, = $\sqrt{(cc - xx)}$, erit Ac : CH, vel cI = AC : CV, vel Ab : CG, vel bK = AC : CW, adeoque ductæ rectæ ex A per I & K præbent situm desideratum. Quod erat alterum demonstrandum.

## *Alia Constructio Geometrica.*

Ex Constructione modo tradita, nec non ex ea, quæ solutioni secundæ adjecta, primo intuitu apparet, puncta I & K esse ipsos Focos quæsitarum Ellipsium. Sicuti enim in Fig. 5 demissa ex foco K perpendiculari KG fit AG semiaxis transversus; ita vicissim in Fig. 6, ubi AH est semiaxis transversus erecta perpendicularis HI per focum I transibit. Sed non est necesse, ut hic ad solutionem præcedentem recurramus, quia id probatu facillimum. Cum enim I sit in ipso Latere transverso, & Ac = $\sqrt{(Adq - cdq)} = \sqrt{(ACQ - ANQ)}$ & CH = cI = $\sqrt{(AHq - ACq)}$, erit AI = $\sqrt{(Acq + cIq)} = \sqrt{(ACq - ANq + AHq - ACq)} = \sqrt{(AHq - ANq)}$, adeoque distantia Foci. Qua de re haud necessarium est, ut ad Ellipsin con-

conſtruendam prius axis conjugatus inveniatur, quoniam, datis focis & verticibus, Ellipſis jam eſt in promtu. Sed tantummodo opus eſt, ut ex omnibus 4 punctis E, F, G, H, quæ ex interſectione circuli ſemiaxe dato tanquam radio deſcripti oriuntur, erigantur 4 perpendiculares. Iſtæ enim, quoad ſufficit, prolongatæ, ſuis interſectionibus, intra Circulum contingentibus, dabunt ſua ſponte focos omnes I, K, L, M, utriusque Ellipſeos. Nec tamen propterea prior conſtructio eſt contemnenda. Apparet enim inde, quod ſupra dixi, utramque conſtructionem ſolutionis ſecundæ & tertiæ altera inverſa coincidere. Prior enim incipit, ubi poſterior deſinit, & deſinit, ubi altera incipit; quapropter, utravis inverſa, habebis alteram.

Solutionem hujus Problematis quartam generalem proximus horum *Actorum Menſis* complectetur.

ESSAI SUR LE BEAU &c.

id eſt,

## *TRACTATIO DE PULCHRO, IN QUA EXAMINATUR, quid pulchrum ſit in Phyſica, in doctrina morali, in operibus ingenii, & Muſices.*

Pariſiis, apud Hippolytum Ludovicum Guerin, 1741, 12.

Plag. 13.

Principiis firmis hanc doctrinam dum demonſtrare inſtituit Autor Anonymus, omne, quod pulchrum in diſciplinis vocatur, in quatuor genera diviſit. Initio agitur de pulchro in phyſicis & mathematicis, deinde de pulchro in moribus, poſtea de pulchro in operibus ingenii, & denique de pulchro in Muſica. Unumquodque pulchrum iterum dividitur in eſſentiale, naturale, & arbitrarium, ſeu artificiale. *Capite I* de *pulchro viſibili*, ſeu in phyſicis & mathematicis occurrente, diſſeritur. Pulchri natura & notio a paucis rite fuit deſcripta; multi etiam Philoſophorum errarunt, pulchrum nihil aliud, quam vanam hominum opinionem, dicentes. Proinde maxime neceſſarium eſt, ut ideas, in ſenſibus & intellectu puro productas, ſecernamus, &, quomodo unum ex altero naſcatur & proferatur,



Google

tur, rite intelligamus. In ea ſententia eſt Cl. Autor, ſenſus tantum duos, nempe auditum & viſum, pulchrum poſſe percipere, reliquos ſenſus eſſe excluſos; inde duplicem ſpeciem ſtatuit omnis pulchri ſenſibilis, nempe acuſticum & opticum. *Pulchrum viſibile*, ſeu *opticum*, ſi ſpeciatim conſideretur, eſt initio *eſſentiale* & independens ab omni inſtitutione, & in Geometria docetur, quæ ordinem, proportiones, & ſymmetriam, proponit, cujus forma eſt unitas. Sequitur hac in re Autor ipſum *Auguſtinum*, qui aſſerit, omnis pulchritudinis formam eſſe unitatem, *Epiſt. 18*. Pulchrum viſibile *naturale* conſpicitur in cœlo & terra diverſis coloribus, quod pluribus perſequitur Autor, & ex *Newtono* numerum & ordinem, eorumque mixtionem in picturis, repetit. Denique pulchrum *viſibile arbitrarium*, ſeu *artificiale*, ad certum tempus durat. Hoc iterum dicit Autor eſſe vel *un beau de genie*, quod fundatur pulchri eſſentialis notitia, vel *un beau de gout*, quod nititur pulchro naturali, vel *un beau de pur caprice*, quod uniuscujusvis opinione nititur. Pulchrum *morale*, quod *Caput II* pertractat, eſt in genere convenientia cum lege. Hujus generis *eſſentiale* conſiſtit in convenientia cum lege eſſentiali. Pulchrum *naturale* eſt convenientia cum lege naturali, & generali omnis naturæ humanæ. *Arbitrarium* eſt convenientia cum legibus civilibus, quæ neceſſariæ ſunt propter violentias & pravos animi motus in ſtatu hominum naturali. Formam omnis hujus pulchri Autor iterum ſtatuit cum *Auguſtino* unitatem. *Pulchrum in literis* (*dans les pieces d' eſprit*) eſt, ductu *Capitis III*, quod placet rationi & judicio propter excellentiam propriam, ſive intrinſecum decus. Eſſentiale conſiſtit in veritate, ordine, honeſto, & decoro; naturale in triplici ſpecie, pulchro imaginum, ſeu repræſentationum, (*beau dans les images*,) ut ſint perſpicuæ & vivaces; pulchro judiciorum, (*beau dans les ſentimens*,) ut ſint accurata & acuta; pulchro denique geſtuum, (*beau dans les mouvemens*,) ut ſint graves & rei convenientes. Artificiale iterum triplex eſt, conſiſtens in verbis (*dans l' expreſſion*), in toto orationis habitu (*dans le tour*), & in ſtilo (*dans le ſtile*). Expreſſio & verba debent

bent esse clara, ordo cogitationum profundus & solidus, stilus sublimis, elegans, & æqualis. Forma omnis hujus pulchri est unitas; unde *Horatius* canit:

*Denique sit quodvis simplex duntaxat & unum.*

*Capite IV* pulchrum *acusticum* exponitur, seu *pulchrum in Musica*. In *duo Capita* hæc tractatio divisa est. *Prius* continet præparationem, & docet, in ipsa natura dari Musicam, seu varios sonos, præterea definitionem non tantum Musices, sed etiam varia, quæ ad ipsam artem musicam spectant, & sonorum differentiam, ostendit. *Capite posteriori* ipsum, quod pulchrum est in hac disciplina, exponitur. *Essentiale* est illud, quod vocatur *la proportion, regularité, justesse, accord*, &c. *naturale* varietas soni & harmonia, quia totum corpus est harmonicum. Ex quibus patet, si attente consideretur, totam Musicam non esse inventionem mere humanam, sed ab autore naturæ primum institutam. *Artificiale* est triplex. Primum vocat Autor *le beau de genie*, quod est omne sublime in Musica: *figures, mouvemens, suspensions*, &c. alterum *le beau de genie*, quod varios producit sonos, tertium *le beau de caprice*, quod sunt variæ actiones, imaginationes, & phantasiæ, &c. Iterum forma hujus pulchri unitas est; qua in re non modo *Augustinum* sequitur Autor, sed etiam *Senecam*, qui, *vides*, inquit, *quam multorum vocibus chorus constet, unus tamen ex omnibus sonus redditur*, & *Horatium*, canentem: *Rem prodigialiter unam.* Tandem comparationem Autor instituit cum pictura, & laudem tribuit Musicæ præ omni pulchro, quod in sensus incurrit.

## LETTERS CONCERNING POETICAL TRANSlations, &c.

id est,

## *EPISTOLÆ DE POETICIS TRANSLAtionibus, ac Virgilii & Miltoni arte versuum componendorum.*

Londini, sumtibus Joannis Roberts, 1739, 8 maj.
Plag. 5½.

In

In *Epistola I* tribuit Autor *Homero* festinationem, & *Virgilio* majestatem. Tum affert versus primos *Virgilianæ Æneidos*, quos a *Pittio* dupliciter translatos esse ostendit, semel rapiditate *Homerica*, iterum majestate *Virgiliana*. *Epistola II* demonstrat multis exemplis, vocabula monosyllaba Britannorum majestate pollere, atque ea re linguas alias superare. *Epistolæ III-VII* inquirunt in majestatem & *Virgiliani* carminis, & *Miltoniani*. Eam consistere, ait Autor, in variatione pausæ, commutatione locutionum, accommodatione soni ad versuum sententiam, mistione numerorum pluralis & singularis, connexione versuum inter se, collocatione verborum, mutatione vulgaris vocabulorum pronuntiationis, versibus a communi mensura diversis, *alliteratione, allusione verborum*, & *assonantia syllabarum*. *Epistola VIII* disputat contra *Is. Vossium*, qui, linguam Anglicam brevibus & longis syllabis carere, putavit. Hic Autor multis exemplis ostendit, dissyllaba vocabula linguæ Anglicæ partim vere Jambica, partim vere Trochaica, esse; & ex Monosyllabis alia brevia, alia longa, alia communia, inveniri. In *Epistola IX* Autor contendit, linguam Anglicam ad versus, etiam longiores, accommodatiorem esse, quam Gallicam, in qua nihil pausæ reperiatur; quæ res lectoribus summam afferat molestiam. Præterea, sonum vocabulorum Gallicorum, negat, esse tam validum & intentum, quam illum Anglicorum *God, Man.* Deinde, versus Gallicos, putat, nimis onerari, & nimis onerandos esse, particulis, quibus Anglici versus facile careant. In *Epistola* denique *X Miltoni* stilum magis Græcum & Latinum esse, contendit Autor, quam Anglicum, propterea quod, qui tum erat Bibliorum Anglicorum stilus, structuram Græci contextus fere imitabatur. Ceterum Autor fere recte judicat de argumentis suis; si forte illud exceperis, quod *Epist. VIII pag. 71*, rationem suppetere nullam, putat, cur *manus* & *amans* priorem brevem, *manes* & *amens* priorem longam, habeant, & in ea re linguam Anglicam Latinæ anteponit; itemque illud, quod eidem sono in singulis versibus geminato nimium tribuit.

* * *

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Decembris Anno MDCCXLIV.*


## HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS SACRES & Ecclesiastiques, &c.

hoc est,

## *HISTORIA GENERALIS AUTORUM SAcrorum & Ecclesiasticorum, continens eorum vitas, operum catalogos, examen criticum, judicia, chronologiam, analysin, & recensionem variarum editionum, &c. Autore R. P. REMIGIO CELLIERIO, Benedictino.*

## *Tomus VIII.*

Parisiis, apud Paulum Mesnilium, 1740, 4 maj. Alph. 4 plag. 4½.

Octavus utilissimi hujus Operis *Tomus* absolvitur *Capitibus XVI*, quibus vitas ac res gestas præcipuorum doctorum Ecclesiæ, qui circa finem Seculi IV, & initium V, floruerunt, eruditissimus *Cellierius* persequitur. *Capitis I*, de S. *Ephremo*, Diacono Edesseno, agentis, *Articulo I* recensetur historia vitæ ipsius. Nisibi, Mesopotamiæ urbe, Imp. *Constantio*, in lucem hanc editus fuisse videtur; qui, ortus licet Christianis esset parentibus, tamen ante 18 ætatis annum sacris aquis lustratus non est. Inde monasterium ingressus, austeram vitæ rationem est sectatus. Episcopus urbis alicujus cum peteretur, nullum non lapidem movit, simulans etiam dementiam, quo munus illud declinaret. A. 350 Edessam, patria urbe relicta,

concessit, ibidemque Diaconus est creatus, ac suis sermonibus & plures ex gentilibus ad Christianam fidem adduxit, & ex hæreticis aliquos ad ecclesiæ consortium reduxit. A. 362, motus forte minis *Juliani*, desertoris, Edessæ intentatis, urbem hanc reliquit, quo non longe ante mortem regressus, pauperibus levamenti haud parum præbuit. Vero est propius, ipsum post A. 379 vitam cum morte commutasse. *Articulo II*, ubi aliqua de editione operum *Ephremi*, in Latinum sermonem a *Gerb. Jo. Vossio* conversorum, præfatus esset, eundemque a sinistris aliorum judiciis vindicasset, scripta illius, quæ in editione Coloniensi anni 1675 habentur, percenset Autor, illa etiam addens, quæ adhuc manu exarata in Bibliothecarum penetralibus delitescunt, ab Eruditiss. *Assemanno* diligenter indicata. *Articulo III* doctrinam *Ephremi* de variis Christianæ religionis capitibus ex ipsius scriptis proponit. Observandum est, ipsum interdixisse, ne vel in templo, vel sub altari, sepeliretur; imprecationes autem illis factæ, qui honores aliquos ipsi defuncto essent exhibituri, spiritum Christi non omnino sapiunt. *Articulus IV* continet testimonia, de *Ephremi* scriptis lata, item enarrat illorum editiones, speciatim illam, quam adornavit ecclesiæ Romanæ Purpuratus, *Angelus Maria Quirini*. *Caput II* de *Epistolis decretalibus* agit. Minus recte statuit Autor, omnis orbis Christiani ecclesias non alicujus momenti rem, sive quæ fidem, sive quæ disciplinam, respiciat, suscepisse, nisi ante ecclesia Romana consulta fuisset. Epistolas decretales, posteaquam spurias ex sua mente a genuinis separaverat, ordine lustrat. *Caput III* de Papa *Siricio* exponit, qui per omnes honorum ecclesiasticorum gradus ad summum tandem episcopalis dignitatis culmen est evectus A. 384, sedique Romanæ præfuit ad annum usque 398. *Caput IV* de *Evagrio Pontico* differit. Natus is A. 345, muniis Archidiaconi in ecclesia Constantinopolitana fungi cœpit A. 381, inde ab A. 382 difficiliorem eluctatus morbum, vitæ solitariæ se dedit. Vitæ finem fecit circa initium anni 399. *Caput V* destinatum est *Gregorio Nysseno*, de quo amplissime commentatur Autor. *Articulus I* tradit ipsius vitam. Hac primum frui ille cœpit circa A. 319, Episcopi dignitatem, communibus licet Præsulum Cappadociæ

Pag. 111, 112.

dociæ suffragiis delectus, invitus admisit sub finem A. 371, vel initium A. 372. Cum *Helladio*, Antistite Cæsareensi, successore *Basilii* M. fratris, graves ipsi intercesserunt inimicitiæ, qui cum se ab illo gravibus injuriis affectum quiritaret, illas tamen probare nec poterat, nec volebat. Viventium numero est exemtus ante A. 403, vel 404. *Articulo II* scripta ejus ordine nominantur, ordo & consecutio tractationis demonstratur, &, quæ in illis notatu digna occurrant, in medium proferuntur. *Articulus III* explanat doctrinam *Nysseni* de præcipuis religionis Christianæ articulis. Circa locum *Prov. VIII, 22*, recte notat Autor, Ebraicum Codicem habere *possidere*, non *creare*, & in nonnullis Codicibus Græcis esse ἐκτίσατο, *possedit me*, non ἔκτισέ με. In doctrina de æternitate pœnarum ad doctrinam *Origenis* aliquantulum deflexisse judicatur *Gregorius*, quanquam tamen aliquibus videtur, scripta ejus aliquid ab illis, qui *Origeni* bene cupiebant, passa esse. *Germanus* certe Constantinopolitanus patrocinium *Nysseni* suscepit, ipsumque ab hac labe alienum declaravit. *Articulus IV* docet, quid docti de scriptis *Gregorii* judicarint. *Articulus V* enarrat tum editiones operum ipsius, tum quarundam partium speciatim. *Caput VI* de scriptis *Eunomii*, *Photini*, *Priscilliani*, *Latroniani*, & *Ithacii*, agit. *Eunomius*, discipulus *Aetii*, Episcopus Cyzicenus, initio quidem impiam suam de filio Dei sententiam non nisi obscuris exposuit verbis, inde apertius, unde haud levis tumultus excitatus; quare jussu Imperatoris *Constantii* munere suo est exutus. Mortuus, ex sententia *Hieronymi*, A. 376. *Priscillianus*, ortu Hispanus, vir non vulgaris ingenii, eloquentiæ, ac doctrinæ, caput sic dictorum Priscillianistarum exstitit, quorum tamen prima origo a *Marco* quodam Ægyptio, homine magicarum artium studioso, ac Manichæorum erroribus implicito, est arcessenda. Hujus doctrina corruptus, exitiales suas opiniones passim spargere incipiebat, &, quoniam fallaci quadam arte in hominum animos influere, illosque capere, norat, plures, fœminas potissimum, partibus suis adjunxit; quare cum suis ex Hispania in exilium missus, in Italiam, speciatim Romam, transiens, capite est truncatus A. 385. *Latronianus*, Hispanus,

multis pariter naturalibus dotibus conſpicuus, idem cum *Priſcilliano* fatum ſubiit. *Ithacius*, Epiſcopus Silvenſis in Algarbia, qui, infenſiſſimo odio in *Priſcillianum*, ac ejus ſectatores, ductus, non quievit ante, quam illum cum quibusdam aſſeclis ipſius ſupplicio peremtum videret, hanc crudelitatis ſuæ mercedem reportans, ut munere ſuo dejectus, ac eccleſiæ conſociatione exturbatus, in exilium ageretur. Mortuus ſub *Theodoſio* & *Valentiniano*. *Caput VI* hiſtoriam *Vigilii*, Epiſcopi Tridentini, *Siſinnii*, *Martyrii*, & *Alexandri*, Martyrum, perſequitur. *Vigilius* Epiſcopatum Tridentinum adiit A. 385, qui, cum plures paganos in ſua διοικήσει haberet, illorum converſioni intentus, uſus eſt opera *Siſinnii*, *Martyrii*, & *Alexandri*, qui quidem ſanctum hoc opus omni ardore ac virium contentione urſerunt, ſed miſerabiles furoris inſanorum hominum victimæ facti, crudeliter ſunt obtruncati. *Caput VIII* de *Zenone Veronenſi*, *Petro Alexandrino*, *Sophronio*, *Dextero*, *Lucio*, exponit. De *Zenone* fama eſt incerta, ut, quo tempore vixerit, certo definiri nequeat; videtur tamen is eſſe, cujus *Ambroſius* in Epiſtola, circa A. 370 ſcripta, mentionem facit. Scripta, quæ nomen ejus in fronte gerunt, poſterioris ætatis eſſe, opinatur Autor; ſed contrarium de majori illorum parte demonſtratum dederunt fratres *Ballerinii*, noviſſimi Operum *Zenonis* editores, ac eidem vindicarunt. *Petrus*, ſucceſſor *Athanaſii* in ſede Alexandrina A. 373, mortuus circa initium A. 381. *Sophronius*, qui communiter nomine amici *Hieronymi* venit, quo ſic ab aliis hujus nominis diſtinguatur, nonnullis ſcriptis innotuit. *Dexter*, vel integro nomine *Flavius Lucius Dexter*, filius *Paciani*, Epiſcopi Barcinonenſis, A. 395 a *Theodoſio* Præfecti Italiæ dignitate ornatus eſt. Teſte *Hieronymo*, *Hiſtoriam miſcellam* variarum rerum compoſuiſſe dicitur; quod vero ſub ejus nomine proſtat *Chronicon*, manifeſtas νοθείας notas præ ſe fert. *Lucius*, Arianorum vi in locum *Petri*, Epiſcopi Alexandrini, intruſus, ſed poſt hæc autoritate Imp. *Theodoſii* exauctoratus, inque exilium pulſus eſt. *Caput IX* res *Nectarii*, Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, *Theotimi*que, Epiſcopi Tomorum in Scythia, perſequitur. *Nectarius* patriam agnoſcebat Tarſum, inclutam Ciliciæ urbem, procreatus familia illuſtri

Digitized by Google

illuſtri & ſenatoria, ſucceſſor datus *Gregorio Nazianzeno*, qui, licet catechumenus adhuc eſſet, ipſique propterea lites moverentur, in Concilio tamen Conſtantinopolitano A. 381 eſt confirmatus. Diem ſupremum obiit A. 398. *Theotimus*, Scytha gente, in patria ſummus ſacrorum antiſtes conſtitutus, miraculis inſignis fuiſſe fertur, ut propterea popularibus ſuis admirationi eſſet. Ultra A. 403 vixiſſe eum, probabile non eſt. *Caput X* de *Valeria Faltonia Proba*, *Philone*, Epiſcopo Carpeſiorum, *Julio Hilarione*, *Euthalio*, *Iſaaco*, Judæo converſo, *Heliconio*, Sophiſta, *Heliodoro*, *Paphnutio*, agit. *Valeria Faltonia*, ſive, uti aliis dicitur, *Falconia Proba*, conjux *Anicii Sexti Petronii Probi*, Conſulis Romani, *Centones ex Virgilio* confeciſſe cenſetur, ſed, qui ſub hoc nomine circumferuntur, non ipſius eſſe, nec *Valeriæ Probæ*, uxoris *Adelphii*, Proconſulis, ſed *Falconiæ Probæ*, dictæ *Hortanæ*, *Centones*, ſententia eſt Doctiſſ. *Fontanini*. *Philo* ultra A. 394 vitam produxiſſe non videtur. De *Hilarione* nihil referunt antiqui; ſcripta tamen aliqua reliquit. Finem mundi ubi in annum 498 æræ *Dionyſianæ* conjecit, ſe deridendum dedit. *Aſterius*, Amaſiæ Epiſcopus, & exemplo, & hortatu ſuo, homines, fidei ſuæ creditos, ad ſanctitatis ſtudium exſtimulavit, ſcriptis aliquibus clarus. A. 400 in vivis adhuc fuiſſe eum, conjicere licet. *Caput XII Flaviano* & *Paulino*, Epiſcopis Antiochenis, dicatum eſt. *Flavianus*, Epiſcopus Antiochiæ electus A. 381, uti ſingulari beneficentia ſua pauperum inopiæ mederi eſt annifus, ita ſua deprecatione effecit, ut ira *Theodoſii*, in cives Antiochenos, motæ ſeditionis cauſa, accenſa, ab urbe averteretur. Mortuus eſt A. 404. *Paulinus* circa A. 388 vivis exceſſit. *Caput XIII* de *Diadocho*, Photicæ Epiſcopo, *Endelechio*, Rhetore & Poeta Chriſtiano, itemque *Theophylacto*, exponit. *Diadochus* in flore fuit circa medium Seculi V, ſcriptis quibusdam nominis celebritatem nactus. Quæ urbs patria fuerit *Endelechio*, quaque familia ſit cretus, neſcitur; id conſtat, ipſum laude eloquentiæ, Conſulibus *Prolino* & *Olybrio*, A. 395 floruiſſe. *Caput XIV* de *Anaſtaſio*, Papa Romano & confeſſore, agit. Is poſt *Siricium* A. 398 ſedem Romanam conſcendit, fato functus A. 402. *Capite XV* literæ & leges Imperatorum, religionem ſpectantes, quæ inde ab



Digitized by Google

ab A. 338 ad 394 exaratæ & promulgatæ ſunt, exhibentur. *Caput XVI*, de *Epiphanio*, omnium poſtremum eſt. Hujus *Articulo I* vita ejus enarratur. Circa A. 310 in Palæſtina natus videtur, Epiſcopus Salaminæ, quæ etiam *Conſtantia* dici cœpit, & metropolis Cypri fuit, A. 367 conſtitutus, vivis ereptus A. 403. Hunc ſui tanto proſecuti ſunt honore, ut templum aliquod in Cypro, ab ipſo nuncupatum, ſtruerent, in eodemque ipſius imaginem una cum aliis ſuſpenderent. *Articulo II* ſcripta *Epiphanii* ordine memorantur, &, quæ alicujus momenti ſunt, breviter enotantur. *Articulo III* de ipſius operibus perditis, vel quæ nondum in lucem ſunt protracta, vel quæ ipſi falſo ſunt ſuppoſita, diſſeritur. *Articulo IV* docetur, quæ ipſius ſententia circa præcipua dogmata religionis Chriſtianæ fuerit. *Articulo V* collecta ſunt judicia virorum eruditorum, de ſcriptis *Epiphanii* pronuntiata, ſimulque recenſio editionum Operum ipſius exhibetur.

## THE SCHEME AND CONDUCT OF PROVIDENCE, from the Creation to the Coming of Meſſiah, &c.

hoc eſt,

## *SCHEMA ET RATIO PROVIDENTIÆ divinæ a mundi creatione uſque ad Meſſiæ adventum, ſeu inquiſitio rationum divinarum hujus periodi; Autore* LEONARDO WELSTED.

Londini, expreſſum pro Walthoe, ſine anno, 8 maj.

Plag. 11.

Præfatio declarat mentem Autoris de libris ſcribendis, quos nova, ſaltem minus obvia, proponere vult. Ipſe cur librum ſuum ſcribere ingreſſus ſit, cauſam eſſe dicit præceptum *Moſis* ſecundum, ubi vindicta divina in liberos parentum propagatum iri dicitur. Huic deinde alias inquiſitiones acceſſiſſe ait. *Cap. I*, e primordio *Geneſeos* apparere, docet, ſtudium Dei inprimis hominibus beandis eximium eſſe, ſi quidem illi interdictum unum attenderent. Nihil igitur corruptionis in homines

nes ex *Adamo* natos profectum esse, nisi quod in *Adamo* ipso inesset. Atqui *Adamum* ob inobedientiam morti, ac doloribus, miseriisque, ad mortem deducentibus, obnoxium esse cœpisse. Ergo bona, quibus ipse caruisset, ad posteros propagare eum nequivisse. Sed formam mentis ejus ad omnia consilia, naturalem ejus facultatem appetendi & agendi, judicandi, & determinandi, non esse mutatam, nec nova desideria & affectiones nactam esse, aut, si aliis verbis rem expressam velis, essentiam rationis & intellectus ejus mansisse, cum liberi naturaliter nacti sint eandem libertatem, seu facultatem, quam parens habuerit, & eandem potestatem, quæcunque illa esset, Deo aut placendi, aut displicendi, obsequendi dictamini naturæ, aut repugnandi. Statum modo *Adami* & posterorum, atque externa, ei circumfusa, esse mutata, immortalitatem eorum conversam in mortalitatem, conditionemque imperturbatam perturbari cœpisse. Non igitur intelligentiam hominis obscuratam, aut deminutam, sed in paucis rebus improsperis auctam esse accessionibus nuditatis, & pudoris, metus, ac distinctæ notitiæ mali, cum antea in loco beatissimo felicitatis modo sensum habuisset. Tanto tamen malo Deum cito mederi cœpisse, dicit, promittenda hominum ac serpentis concertatione, cujus eventus esset serpentis interitus post levia vulnera homini inflicta, *Gen. III*, 15. Quam eandem rem Deus *Gen. XII*, 23, & *XVIII*, 18, multiplicatione posterorum *Abrahami*, & amplificatione opum per semen ejus, *Isaacum*, explicet. Unde apertum esse, putat Autor, Deum *Abrahamo* promisisse nepotem quendam, qui omnem *Adami* culpam & crimen deleret, & deperditum paradisum hominibus restitueret. *Capite II* Autor ostendit, imbecillum esse animum & rationem ad pernoscendam naturam suam, quæ, nisi ut spiritus cognoscatur, spiritualia non consectetur, & virtutes spiritu dignas, omnipræsentiam, unitatem, providentiam Dei, quæ virtutis sint maxima incitamenta & adjumenta, contemplationes esse sublimes & amplas, & proinde paucorum ingeniis expositas. Præterea cognitionem alterius vitæ plerisque ingeniis subobscuram esse. Quæ res omnes Autorem credere jubent, virtutis & e virtute nascentis felicitatis parum aut nihil fuisse ante

diluvium

diluvium illud universale, ac proinde Deum necesse habuisse, ut, perdito eluvie humano genere, de subsidiis instaurandæ virtutis cogitaret. Qua in re Deus ob oculos habuerit bonum hominum. *Cap. III* ostendit Autor, Deum duobus malitiæ universalis remediis usum esse, ne universalis diluvii pœna rursus aliquando opus esset. Unum erat promissio gratiæ efficacis ac perpetuæ erga genus humanum, quæ metum ejusdem pœnæ universalis ac desperationem præveniret, ad studium contra virtutis & amorem Dei alliceret. Alterum erat, ne cognitio unius Dei interiret. Id quod cum in *tanta ingenii humani* imbecillitate & impedimentorum multitudine argumentis Philosophorum difficilius effici posset; Deus ipse & unitatem essentiæ suæ, & reliquas proprietates, demonstrare statuit. Uni ergo genti cuidam se tam adspectabilem quasi præbuit, & tantopere insignivit, ut ab illa una gente ceteræ omnes, unum Deum esse, certo cognoscerent, & cognoscere possent. His consiliis divinis (ita pergit Autor *Cap. IV*,) accessit & subvenit dispersio gentis *Noachicæ*, una lingua & iisdem moribus usæ. Malitia enim eadem in dispersis & disjectis nec locum reperire, nec invalescere, potest. Quotidianæ familiarium congressiones pariunt contentionem, ludibria, invidiam, odia, vindictas, pravas machinationes, & infinita alia vitia, quæ in dispersis, & diversa lingua utentibus, non facile subnascuntur. Gentes item magnis fluminibus, vel montibus, vel maribus, divisæ, iisdem vitiis infici non solent, & pœnis facinorum ac malorum alienorum a similibus sceleribus, morumque turpitudine, facile deterrentur Præsertim etiam magna quondam ingenia sunt a Deo excitata, *Abrahami* v. g. *Melchisedeci*, aliorum, qui corruptelæ invalescenti mederentur. *Cap. V* ostendit Autor, *Abrahami* posteros finitimorum facile infectos esse vitiis, nisi sedem identidem mutassent. Neque quidquam ad unius Dei cultum aptius fuisse, quam promissiones Dei, *Abrahamo* & *Isaaco* & *Jacobo* factas, & crebras congressiones collocutionesque Dei cum illis & posteris, quibus providentia Dei tam insigniter declarata sit; cum præsertim ipsa servitutis Ægyptiacæ acerbitas ab exactoribus operum & cultu simulacrorum animos Israelitarum alienaret. Hanc materiam

teriam persequitur Autor *Cap. VI*, contemplans miracula Dei in Ægypto, quorum naturam & usum exponit. Nam, quia Deus primogenitos Ægyptiorum occidit, & vasa eorum aurea Israelitis attribuit, insignis erat talio & jacturæ Israeliticæ compensatio, unde justitia Dei comparebat. *Cap. VII*, miracula & sacra in Arabia instituta esse ad Judæos Deo devinciendos & devovendos, demonstrat Autor. Jam *Cap. VIII* devenit ad decalogum, & præceptum ejus secundum maxime, tanquam occasionem totius scripti hujus. Nam comminatio pœnæ malorum parentum in multas generationes innocentes propagandæ offendit rationem, & tollere videtur omnem justitiæ divinæ opinionem. Vult videlicet Autor id interpretari tantum de casu illo, cum Judæi in cultum simulacrorum ruerent, non de lege quadam universali, quam sibi Deus ipse præscribat nusquam non observandam. Sententiam suam probare contendit ex verbis præcedentibus: *se esse Deum cultus ac gloriæ suæ tenacem.* Eandem declarat similitudine legum, quæ actiones quasdam interdicunt omnibus, sed permittunt certis quibusdam temporibus. Quales sunt eæ, quæ moderamen inculpatæ tutelæ, & defensionem violentam civitatis nostræ contra imminentes hostes, continent. Et, si quæ leges sint alibi injustæ, at eæ in certis casibus fiunt justæ, v. g. cum internecione deletur gens læsæ majestatis rea. Securitas enim ampli cujusdam regni publica interitu gentis aut familiæ non numerosæ recte redimitur. Præterea hominum alia causa est, alia Dei. Homines mala bonis compensare non possunt, vita ejus, cui male factum est, perdita. Deus, si quos malo affecit, at eis bona in vicem impertiri potest, infinitis partibus majora. Ad extremum Autor, in ceteris præceptis admonitione tam gravi opus non fuisse, ostendit. *Cap. IX* Autor justitiam Dei & innocentiam Israelitarum, in excidendis septem Canaanis gentibus Deo morigerantium, demonstrat. Nimis enim multa & nimis horrenda earum erant crimina. De reliquo, Judæorum leges mansuetudinem & humanitatem spectasse, copiose probat Autor. *Cap. X* docetur, apud Judæos tandem consuetudinem invaluisse unius Dei noscitandi & colendi, & in scriptis sacris pleni-

 tudinem

tudinem temporis appellari tempus illud, cum a Judæis jam in omnes gentes unius notitia Dei transfundi, & caritas Dei erga hominum salutem maxime illustrari, ac lex cerimonialis notitiæ unius Dei fulcrum commodissime cessare, posset. *Cap. XI* Deus absolvitur a crimine invidiæ, morositatis, & caritatis ad unam gentem restrictæ. Summa enim sapientia illustrissimam quamque sapientiæ diffundendæ prospicit occasionem & aucupatur. *Cap. XII* Autor dicit, se de *Porphyrii* objectione amplius dicturum. Quare de Christi merito, redemtione, & pro peccatis satisfactione, agit, notionemque inspirationis Apostolicæ perpendit. Sed ea in re sic versatur, ut, paucos ei Christianos assensuros esse, credamus. Nam, a Christo ipso, negat, mentionem fieri sui tanquam sacrificii; sed, fidem, ait, ejus rei omnem niti Apostolorum autoritate, quæ controversia non careat, & Christi autoritate confirmanda sit tanquam absolutissima & maxima. Qua de re alibi fortasse ab aliquo nostrum adversus Autorem disputabitur. Concludit Autor librum testificatione conscientiæ veri, & spe evidentiæ & invicti roboris præceptionum harum omnibus agnoscendi. Conscientia veri, ad quam Autor provocat, nobis, causa tota penitus cognita, videtur talis esse conscientia, quæ in adversariorum præcepta & disputationes non satis inquisivit, sed præjudicatis majorum opinionibus nititur. Nam imaginis divinæ jacturam nemo Scripturarum peritus in sola immortalitatis jactura posuerit. Immortalitas enim *Adami* ipsa præsidiis nixa est cautionis earum rerum omnium, quæ mortalitatem vel arcerent, vel saltem non arcesserent. Cautio autem illa importat sapientiam summam, quæ singularum rerum nocumenta perspiceret, & salubritatem unice deligeret. Hic autem delectus etiam requisivit tantam bonarum rerum appetitionem, ut experientiæ rerum contrariarum nullus relinqueretur locus. Huic virtuti sanctitas, id est, Dei reverendi scientia & studium, adjunctissima fuerit, necesse est. Alioqui *Adamus* in perpetuo errandi & labendi periculo versatus esset. Tale autem periculum *Adamo* a creatore ingeneratum fuisse, omnino est incredibile, propterea quod creator ille, nisi perfectissimus & omnis mali defectusque expers, intelligi non potest.

eſt. Oportet igitur in *Adamo* ante lapſum conſummatiſſimam & ſapientiam & ſanctitatem & juſtitiam conſpiraſſe, atque in tribus hiſce virtutibus *Adami* imaginem Dei conſtitiſſe. Quam rem eandem etiam ſcriptores ſacri profitentur. Manſit *Adamo* lapſo eſſentia humana, id eſt, corpus & animus. Sed qualis animus? Animus per ſe & ſine humana divinaque cura & cultura brutis beſtiis ſimillimus, qualis in hominibus iſtis Polonis, inter beſtias ab infantia verſatis, a *Connore*, Anglo, animadverſus eſt, omni memoria rerum præteritarum, omni præſcientia futurarum, omni cum bonarum, tum malarum, notitia, deſtitutus. Tam brutus autem animus & rudis num imago divina vocari poſſit? Num corpus omni noxæ generi expoſitum integritatis illius & incolumitatis divinæ particeps dici queat? Et cur ſola Dei unitas Deo curæ fuiſſe putetur, ceteris ejus proprietatibus omnibus omnino neglectis? An ceteræ Dei proprietates ea ſunt natura, ut contemni & ignorari queant? An nihil præterea datur officii, quod hominibus diligentiſſime ſit obſervandum? Quid ergo cauſæ eſt, cur Deus reliqua hominum officia exculta noluerit, nec hominibus injunxerit? Unde igitur Decalogus iſte natus eſt? Unde infinitas illa præceptionum de victimis, de caritate omnium erga omnes? Unde commendatio beneficiorum divinorum erga Iſraelis gentem, in Ægypto commoratam, & alia ſexcenta? Neque ſatis diligenter Autor circumſpexit Evangeliſtarum loca, quæ Chriſtum cum victimis comparant Veteris Teſtamenti; alioqui circumſpectius de Apoſtolorum comparatione Chriſti cum victimis & ſenſiſſet, & locutus eſſet. Vim quidem veritatis ac perſpicientiæ ſpiritus divini, qui in Apoſtolis fuit, imparem atque inferiorem ſpiritu Chriſti fuiſſe, nemo adhuc dixit, nemo putavit, niſi qui Chriſto, ſpiritum in omnem veritatem deducturum pollicito, refragari audeat.

## LA MANIERE DE DISCERNER LES MEDAILLES ANtiques de celles, qui ſont contrefaites, &c.

hoc eſt,

## *MODUS DISCERNENDI NUMOS ANtiquos a suppositititiis, a Domino BEAUVAIS, Aurelianensi, indicatus.*

Parisiis, apud Briassonum, 1739, 4 maj.
Plag. 6.

Quam doctissimus hic Autor docet, discernendi numos antiquos a supposititiis rationem non ignorare debent ii, qui collectiones numorum ac monetarum sibi comparare, & præclarius ordinare, voluerint. Hinc est, cur miremur, quod seculo hoc numario, quo tot splendidissima, nec minimæ molis, scripta in lucem edita fuerunt, ne unus quidem fuerit repertus, Nostro qui viam monstraret. *Jobertus* quidem, Loyoliticæ Societatis assecla, in scientia, quam publicavit, numorum, velut in transcursu, & paucis saltem verbis, eandem attigit. Sed tam superficiaria Nostro videtur illius hæc opera, ut ideo saltem adhibitam arbitretur, ne quid omnino prætermisisse videretur, ad rationem instituti quod pertineret. Interea crescit in dies falsariorum numerus, neque Gallia solum, sed & aliæ regiones, suppositæ pecuniæ antiquæ fraudibus cumulantur. Quis igitur reprehendet, aut quis non potius summis laudibus prædicabit, quod oculos Noster quasi aperuerit curiosis, quodque defectum istum tam feliciter, quam breviter, suppleverit? Antequam vero ad ipsum institutum progreditur, historiam ejusmodi fraudum numariarum tribus verbis commemorat. Jam ante ducentos annos *Guilielmus du Choul*, Nobilis Lugdunensis, vir antiquitum æque ac rei numariæ peritissimus, in libro, quem de Religione veterum Romanorum conscripsit, (*de la Religion des anciens Romains,*) duos numos *Agrippæ* proposuit, quorum alter æneus, ex aversa parte Pantheon, alter vero argenteus *Neptunum*, duobus equis marinis vectum, cum verbis: *Æquoris hic omnipotens*, sistit. Utrumque, certum est atque exploratum, falsum esse ac suppositum. Eodem tempore claruit *Antonius Lepois*, qui lingua Gallica peramplum opus de re numaria more seculi sui elaboravit, quique plurimos nominavit numos, itidem subjectos. Paulo post in Italia falsarii perquam

quam celebres comparuerunt. In Belgio pariter *Carteronius* & quidam alii falsos ejusmodi numos disperserunt, exquisito, ut verum fateamur, plurimos labore, qui vero neutiquam accesserunt ad exquisitam fabricam antiquorum. Tales deinde numi Patavinorum titulum obtinuerunt. Atque illi ipsi sunt, quos inprimis Autor noster noscere ac rejicere docet. Adjicit *Capite secundo* illos, qui formati sunt ad Patavinos istos, seu recens signatos; *tertio* numos subjectos ad antiquiores formatos ac fusos; *quarto* numos antiquos recusos & mutatos; *quinto* numos malleis cusos & effictos; *sexto* numos, mendis laborantes, falsisque signis notatos; *septimo* numos viliores, sed melioribus metallis contectos atque incusos; *octavo* numos signatos antiquos, & monetas pluribus metallis compositas; *nono* numos, a falsariis inventos, quorum perpaucos habemus; ac demum *decimo* exponit, quicquid præterea dicendum esse crediderat. Unoquoque in *Capite* acutissimus Autor diversas fraudum rationes sistit, & regulas simul suppeditat, verum a falso accuratius discernendi. Ita e. g. *Cap. 1* inculcat sequentes: Numi ænei majores, qui Patavini dicuntur, superficiem ordinarie habent crassiorem, quam illi antiqui; nec usu sunt triti, nec rosi ac circumcisi; nil habent ferruginis, &c. *Capite tertio*, ad numorum cognitionem duo esse momenta necessaria, judicatur; attendendum nimirum esse ad literas, campumque ac superficiem numi. Literæ sunt minus regulares ac nitidæ, ut & pressiores; superficies autem non tam æqualis, sed concava subinde. *Capite nono* inter numos, quorum non multos fictitios habemus, referuntur Consulares, Coloniarum Romanarum, denticulati, conturniati, &c. Denticulati reperiuntur non solum familiarum Consularium, sed & *Julii*, *M. Antonii*, atque *Augusti*. Conturniatorum, qui Italicum nomen obtinent, duo sunt genera. Quidam facti sunt apud Græcos in honorem illustrium virorum, quidam apud Romanos in gloriam Augustorum. *Capite decimo* præsertim numi duo rarissimi describuntur. Alter, ante viginti annos & quod excurrit repertus, argenteus est, *Annam Faustinam* sistens, alter *Severi Alexandri* æneus numus formæ majoris, cujus aversa pars

 verba

verba refert: *Poteſtas perpetua.* Hunc poſteriorem ipſe Autor noſter invenit, cujus ſingularis dexteritas in re numaria ſingulis fere ex paginis apparet. Ceterum, ſi laus ea demum vera eſt, quam artifex, cui in arte ſua credendum, candidus impertit, habet, cur gaudeat, Celeberrimus, atque in *Actis* etiam noſtris haud ſemel commemoratus, *Mabudel.* De hoc enim Noſter *Capite ſeptimo* inter alia dicit, quod, quem ipſe norit, ſolus ſit Antiquarius, qui curam geſſerit colligendi, quæ modo concipi queant, omnia, in antiquis numis occurrentia, ſive fabricam, ſive hiſtoriam, ſpectemus, collectionemque illorum fecerit prorſus admirabilem.

## *ICONUM ANATOMICARUM, QUIBUS PRÆcipuæ partes corporis humanæ exquiſita cura delineatæ continentur, Faſciculus I. Diaphragma, Medulla ſpinalis, Vagina uteri, Omentum, & Cranii baſis.*

Gottingæ, typis Abrahami van den Hoeck, 1743, fol.

Plag. 12½.

Novo, eoque a Germanis præcipue grata mente prædicando, beneficio Cel. Autores ornarunt rem anatomicam editis hïs Tabulis, in æs inciſis, quæ tum interna ſua præſtantia, tum externo nitore & cultu, cum optimis quibusque ſui generis de palma facile concertant. Prodierunt jam maximam partem ſigillatim; ut vero publici magis juris fierent, typographus illas conjunctim nunc luci exponit, plures Faſciculos ſubmiſſurus, prout in Theatro Gottingenſi cadaverum ſuggeſſerit frequentia. Ceterum magno labore ad multa cadavera, & cum tanta ſedulitate, fuerunt delineatæ, ut, ultra menſem in unica concinnanda elaboratum eſſe, conſtet. Acceſſit vero ad Tabulas æneas earundem explicatio, quæ, quicquid in figuris notatur per literas, breviter explanat, in ſubjectis vero notis ſubinde illuſtrat, vel cum aliorum obſervationibus contendit. Quam Cel. *Hallerus* ante aliquot annos edidit,

edidit, diaphragmatis delineationem, uberiori deſcriptione illuſtratam, eam, licet magno cum plauſu excepta digne fuerit, non ita factam judicat, ut naturam omni ex parte imitetur, ſibique ipſi ſatisfaciat. Ut itaque libellum publicæ utilitati aptiorem redderet, aliquot icones veriores paravit, atque optimam, ad ſtrangulatæ fœminæ corpus expreſſam, nunc expromit. Simul adjecit, quæ in quinque adultis corporibus, & in *Albini*, *Sennaci*, atque *Cowperi*, Iconibus & deſcriptionibus, reperit diverſa ab iis, quæ propoſuit, aut cum exquiſitiori cura propoſita. Medullæ ſpinalis icones, ex infantibus trium circiter annorum ad vivum delineatæ, ad Cl. *Huberum* autorem referuntur, quibus, quæ in Programmate de medulla ſpinali, atque in Commentatione de nervis a medulla ſpinali prodeuntibus, dixit, hic paulo amplius explanat. Icon itaque prima medullam ſpinalem, vel potius duræ matris productionem, ſpinalem medullam, ejusque nervos, inveſtientem, repræſentat, prout ſe in ſitu naturali, una cum reliquis vertebralibus omnibus, eorum directione, ſitu, & magnitudine naturali, in ſpecu vertebrarum habet, omnibus a facie poſtica ſpectatis. Icon ſecunda, a facie averſa itidem ſpectata, medullæ oblongatæ partem in infima baſi cranii poſitam refert, omnemque ex ea productam medullam ſpinalem in ſitu & connexione naturali intra thecam vertebrarum, quæ tamen conſpici nequit, ſitam, & ab omni involucro, excepta pia matre, denudatam, exhibet. Icon tertia medullæ ſpinalis portionem e ſupremo dorſo deſumtam, & ab antica facie, corporibus vertebrarum reſpondente, ſpectatam, offert. Eidem *Hubero* debetur uteri muliebris, partiumque, ad eam facientium, iterata explanatio. Partes equidem, hac Tabula expreſſas, in Commentatione ſua de vaginæ uteri ſtructura rugoſa, nec non de Hymene, non omnes pertractavit; ut tamen partes genitales mulierum præcipuæ uno intuitu Anatomicorum oculis hic ſex figuris ſubjicerentur, fideles maxime earum, & ad vivum curioſe delineatarum, figuræ, item rugarum cervicis uteri exactior, quæ hactenus deſideratur ab Anatomicis, repræſentatio, hac occaſione elaborata, ipſum permoverunt. Præ reliquis partibus ſollicitus fuit inprimis, veram va-

ginæ

ginæ rugosæ, hymenis, caruncularumque myrtiformium, tradere ſtructuram pro diverſa ætate variam. Ad comparandam dein intactæ virginis vaginæ cum adultioris fœminæ, virum paſſæ, ſtructuram utraque hic ſiſtitur. Ex *Figura I* notamus adhuc, in ea reperiri vaginam uteri elegantiſſime rugoſam, nec tantopere in præcipuis partibus a ſtructura virginum diverſam ex muliere 60 annorum, ante 30 annos ſpurium filium enixa, nec ab eo tempore caſtiori, ſed vere diſſolutæ vitæ dedita. Omento duæ Icones, ab *Hallero* propoſitæ, deſtinantur. Cum enim veterum figuræ ſolum omentum majus, ejusque partem gaſtrocolicam, repræſentent, *Garengeotiana* vero in Splanchnologia, quæ omentum minus poſt *Winslovium* exhibet, nullos limites habeat, & nullam naturæ ſpeciem, aliam hic figuram deſcriptionemque, ex triginta ad minimum cadaveribus collatam, dare, operæ pretium duxit. Ceterum hic ab omnibus fere Anatomicis diſſentit, quando ab omento Meſocolon transverſum removet, quod ſatis craſſo errore pæne omnes pro omenti lamina poſteriori habuerunt, itemque, nec a duodeno, nec pancreate, oriri omentum, contendit. Icone altera inprimis omento majori utroque collapſo, & colo inteſtino paulum deorſum tracto, aditus ille celebris omenti apparet. Sexta effigies, qua cranii baſis illuſtratur, ut inſigniter placebit, ita vel eo nomine maxime erit commendabilis, quod nervi & arteriæ oculi egregie exponuntur, & ſinus quoque, etſi non abſolutiſſime, ut Cel. *Hallerus* de ſe modeſte judicat, repræſentantur. In tranſitu quoque hic referimus, intra ſex annos centum cadavera Theatro Anatomico Gottingenſi illata, atque a Cel. *Hallero* inciſa, theſaurum quoque partium præparatarum condi cœptum eſſe, qui in dies augetur. Plura ex his Tabulis æneis, earumque breviori explicatione, repetere, earum indoles non patitur. Ii potius, quorum intereſt, rectiſſime agent, ſi easdem ipſi adeant, & ſuavi hac oculorum ingeniique voluptate, non ſine peritiæ anatomicæ incremento, fruantur.

*HERMANNI BOERHAAVE PRÆLECTIONES Academicæ in proprias Inſtitutiones rei medicæ. Edidit*

*Edidit, & Notas addidit, ALBERTUS HALLER. Volumen quartum, Sensus externi, interni, Somnus.*

Gottingæ, apud Abrahamum van den Hœck, 1743, 8. Alph. 1 plag. 16.

Lubentes meritoque præstantissimo huic libello locum in nostris damus Annalibus, in quo, nescimus plane, magisne ingenii *Bœrhaaviani* vim, an *Hallerianam* diligentiam, admiremur. Sane enim Cel. Editor has etiam magni præceptoris sui prælectiones, perinde ut priores, tam doctis Commentariis illustravit, ut in iis acrioris judicii acumen cum vasta doctrina, & multa lectione, atque accuratissima partium, de quibus in hoc *Tomo* agitur, historia, experimentorumque, ad penitius cognoscendam corporis humani naturam institutorum, varietas, ex præstantissimis nostri seculi scriptoribus excerpta, cum ratiocinii, inde deducti, sublimitate, velut de principatu certet. Quicquid ex Anatome de structura partium repetendum fuit, in eo ex adversariis suis, & sæpe ad ipsum præsens cadaver, descriptionem pro tela supposuit, cui aliorum doctorum virorum inventa intexeret. Plerumque ex ea, quam manu sua secare solet, cadaverum abundantia, ex numerosis viginti, triginta, & ultra, corporibus humanis, & confirmatam repetendo naturæ consuetudinem, & varietates non inutiles, depromsit. Ubi tamen varias propter causas hæc ex repetitis propriis observationibus expromere non licuit, vel ubi de iis rebus dicendum fuit, quas nunquam satis manifesto vidit, tunc quidem probatissimorum scriptorum usus laboribus, hiatus supplevit, tum & alias, quando suæ minime deerant, observationes Autorum interspersit, ut sua vel confirmaret consensu, vel augeret ex aliorum penu, vel exquisitioribus experimentis ornaret. Invitum se nimis crebro eo fuisse adactum, fatetur, ut a *Bœrhaavenii* Institutionibus ipsis aliquando, a Prælectionibus frequentius, dissideret. Hujus autem dissensus affert excusationem, quæ digna omnino nobis fuit visa, quam in usum eorum, qui *Bœrhaavianos* libros caute accurateque per-

 legere

legere cupiunt, fusius hic recitetur. Erat enim summus ille Vir *Bœrhaavenius*, ut Noster ait, a minutiis anatomicis alienior, & præterea divinum ejus ingenium ad systemata condenda pronius. Ædificabat ex collecta undique materie ad pulcherrimam architecturam, qualem ipsi genius suppeditabat felicissimus. Natura enim ipsum reddiderat aptissimum tum ad inserendum suo & utilissimo loco muta sparsaque merorum artificum experimenta, tum ad concipiendum animo solidum undique clausumque & symmetricum systematis archetypum. Sed deerant passim veri solidique lapides, hiabant distantia membra surgentis basilicæ. Hos defectus, ne morarentur commoda publica, ex leviori conjecturæ supellectile farciebat, non ignarus, quam parum firma esset, sed in exspectationem meliorum interim aliquid ausurus, dum solidiora suppeditaret industria artificum. Cel. autem *Hallerus*, videns, has conjecturales & subtilissimas substructiones a discipulis pro solidis haberi fundamentis, his inædificari nova ex ingenio pensilia tectoria, sic aliquando fore, ut templum opinioni sacrum fieret, quod veritati Præceptor destinaverat, maluit, hiare opus, maluit fateri inopiam artis, & trementium sub innitente fundamentorum debilitatem; & hæc ipsi sola causa fuit, quare a Præceptore dissentiret. Ex tanta rerum præstantissimarum, quæ in libello hoc continentur, silva, nonnulla tantum, quæ a Cel. Editore proficiscuntur, (quis enim omnia, quæ is tam accurate ad explanandam partium quarundam structuram notavit, longa serie enumeraturus esset?) more nostro excerpemus. *Pag. 16* in describendis linguæ epidermide, reticulo, & papillis, *Bærhaavenius* & alii præstantissimi viri non satis a brutorum animantium fabrica humanam distinxerunt. Prout Cel. *Hallerus* eam tradidit, in hominis lingua epidermis cum reticulo connascitur in unum mucosum, vix separabile, tegumentum, cujus interior facies, quæ respondet papillis, faveolis eminentes papillas recipit. Papillæ hæ duorum sunt generum. Plurimæ quidem & minutissimæ, quæ ægre in oculos incurrunt, rotundulæ sunt, quas arcuatas vocat. Deinde aliæ interspersæ sunt, rariores majoresque, pedunculo & nodulo compositæ ad fungorum modum;

dum; aliæ acuminatæ dictæ. Harum plurimæ sunt villi excretorii. Majorum genus spurium est. Papillæ ipsæ nerveis fibrillis fiunt, quarum quinque aut sex in una papilla coguntur, & vasculis utriusque generis, quæ majorem partem papillæ efficiunt. Inter papillas plurimi villi excretorii in lingua hiant, mere arteriosi. Per eos subtilior saliva secernitur. Deinde villorum non exiguus numerus venosus est, & resorbitioni destinatur. In brutis vero animalibus epidermis crassa, palposa, separabilis, corniculis pyramidalibus evidentes & conicas vaginas præbet. Sed & corpus reticulare ibi evidentissimum est, & perforatum cornua ad cuticulæ vaginas transmittit. His autem cornibus suæ se papillæ inserunt, minime tamen gustatrices. Denique ex nervosa cute linguæ papillæ conicæ evidentissime per totam linguæ superficiem emergunt, per foramina reticuli in vaginas epidermidis ituræ. Aliæ vero papillæ fungorum forma nervis etiam manifesto continuæ per ejusdem reticuli foramina erumpunt, veræ gustatrices papillæ. *Pag.* 43 cellulas orbitarias longas, angustiores reliquis, tum in osse plano, tum in osse maxillæ superioris inter orbitam & sinum *Highmorianum*, interceptas, commemorat, quæ anterius in cellula aliqua ethmoidea continuentur, & cum ea communi osculo pateant ad summam partem paulo anteriorem radicis ossis spongiosi superioris, quarum nullam manifestam memoriam Noster ullibi reperit. *Pag.* 117 de reconditis quibusdam viis, per quas in nares lachrymæ deriventur, a *Vatero* in *Miscellaneis Berolinensibus* propositis, altera quidem in vertice nasi, sub osse turbinato medio, altera in summitate antri *Highmoriani*, in pariete, qui huic cum naso communis est, nihil hactenus Noster reperit, neque vidit, liquorem coloratum, perpetuo injectum, antri modo dicti colorem inquinasse. *Pag.* 183 pronuntiat, lenti crystallinæ veram esse capsulam propriam, quæ posterius certo, anterius non nisi probabiliter, vitrea membrana obducatur. *Pag.* 117 *Albinus* demonstravit in scholis suis, retinam vere in duas lamellas dividi, & internam, vitreo propiorem, albam quidem esse & medullarem, externam vero, quæ propior choroidi, verum rete vasorum esse. *Pag.* 183 conjecturam hanc ma-

xime probabilem habet, corneæ exhalationem externam ſecerni ab extremis vaſculis radiatis circuli interioris Iridis. Nam capſula lentis, aut vitrei membrana, ſuis videntur potius corporibus aquam exhibere. Corneæ pori totum corpus penetrant, & ex ipſo corpore exhalant. *Pag. 205* Autori certum videtur, muſculos oculi rectos æquabiliter trahendo oculum breviorem reddere, & lentem apprimere retinæ. *Pag. 215* nihil Autori difficilius videtur, quam infinita ſubtilitas imaginum coloratarum. Si e. g. in conclavi ex decem ſpeculis quodlibet objecta ſibi oppoſita æqualiter repræſentet, hæc ſuperficies radioſa viſibilis erit omni oculo, qui in conclavi fuerit. Verum ex decem ſpeculis ad oculos v. g. centum (& perinde absque iis oculis, qui non faciunt, ut adſint imagines,) innumerabiles ſunt viæ imaginum, quæ mille modis ſe decuſſant. Quomodo fit, ut adeo libere penetrentur, cum ſint corporeæ, ut non ſit una alteri obſtaculo, uti quidem ſoni ſunt. *Pag. 230* lux perinde, ut ignis, ſive eadem fuerit, ſive diverſa, videtur ubique in rerum natura perpetuo adeſſe, ſive ſol adfuerit, vel aliud corpus lucidum, ſive minime, tunc ſolum viſibilis fieri, quando a ſole, vel alio corpore lucido, diſperſa hæc lux colligitur, ordinaturque in radios parallelos. *Pag. 248* Presbyopia fieri videtur, quando laminæ, quæ lentem conſtituunt, aucto elatere partium ſuarum ſolidarum, vim diſtendentem vaſorum interpoſitorum ſuperant, propius accedunt, lentemque ad puncta firmiora, adhæſiones nempe tunicæ vitreæ attractæ, complanant, eaque efficacia ſemper augebitur, quod, ſemel æquilibrio ſuperato, id omne, quod vaſis compreſſis, aut coalitis, decedit, accedat potentia ſolidarum. *Pag. 261* ad quæſtionem, quare duobus oculis unicum objectum diſtinguamus, ita Cl. Autor reſpondet, ut, mentem, opinetur, nulla objecta diſtinguere, niſi diverſas efficiant quocunque modo ſenſationes. In dolore late diffuſo puncta dolentia non diſtinguit. Non duabus naribus odoris duplicem ſenſum ſeparat, non duabus auribus duplices ſonos audit, imo vero neque ſimillimos diverſos ſonos diſtinguit, neque ergo duobus oculis duo objecta videt. *Pag. 166* Autori certum videtur, retinam eſſe verum ſenſorium,

non

non choroidem, quoniam manifesta est nervi optici medulla, in omni etiam animali uniformiter alba est, picturæque idonea. *Pag.* 289 egregie nonnulla de quibusdam corporum qualitatibus, quas visu dignoscimus, magnitudine, convexitate, & concavitate solidorum, distantia, motu, quiete, loco, &c. disputat. *Pag.* 348 foramen in membrana tympani, a *Rivino* nostrate, qui diligens hic, sed paulum paradoxus, Autor vocatur, primo propositum, tum a quibus creditum, tum a quibus rejectum fuerit, commemorat, ipse autem fatetur, se nihil simile in integerrimis aut fœtuum, aut adultorum, membranis tympani vidisse. *Pag.* 371 in definienda musculorum, qui officula movent, actione, eane sit voluntaria, an mechanica, rem determinatu esse difficilem pronuntiat, consentire tamen manifestius in oculorum motibus, & in deglutitione, atque voce producenda, experimentum, infinitos musculos, quocunque demum modo gubernentur, ad destinatos certo fines, nobis vix consciis, conspirare. Facile ergo credit, tympani quidem membranam ab aere, sonos advehente, percuti, officula impellere, fenestram ovalem percutere, quod in talpa ipsi oculi percipiunt, fierique, ut, tympani membrana percussa, officula omnia moveantur. *Pag.* 426, præter cerebrum etiam in cerebello, & medulla forsan spinali, sedem sensorii communis ponendam esse, judicat. *Pag.* 448 affectuum animi effectus in corpore, si ad suas causas naturales retuleris, inde constat, necessario nervis imperium esse debere in sanguinem, ut, motu spirituum modo incitato, modo imminuto, etiam sanguis celerius eat, vel retardetur. Ergo videntur nervi, qui instar laqueorum arterias circumplectantur, in ira & gaudio alternis concussionibus incitare arteriosi sanguinis influxum, in timore & lenius in mœrore perpetua strictura easdem arterias coercere, ne sanguis ad partes effluere possit. Ejusmodi laquei inveniuntur in arteria carotide interna, temporali, meningea majori, vertebrali, subclavia, radice subclaviæ dextræ, & carotidis, trunco aortæ, arteriis brachialibus, arteria cæliaca, mesenterica, arteriis, quæ ex pelvi prodeunt, pares, certe omnino assignati essent. Pudor, timoris lene genus, videtur stringere venam temporalem,

poralem, ubi a duri nervi ramis ambitur, & ſanguinem retinere. *Pag.* 499 ante ſomnum verum delirium ſaniſſimus quisque in ſe ipſo obſervare poteſt, confuſis ideis, & nexu eorum interrumpi inchoante, eo autem penitus ſublato, jam ſomnus eſt, & abeſt conſcientia. *Pag.* 505 ad ſententiam Cl. *de Gorter* accedit Noſter, ut, vires vitæ & circulationem ſanguinis in ſomno naturali, exiſtimet, lentiores eſſe ac minores. *Pag.* 514 ſomnum a ſumto cibo, non tumenti ventriculo, truncum arteriæ aortæ comprimenti, nec aliis cauſis, quæ afferri ſolent, adſcribit, ſed inde repetit, quod a ſtimulo ciborum, & *ſapienti* naturæ inſtituto, plus ſanguinis & ſpirituum, dum fervet digeſtio, ad abdomen mittatur, ut, facta quaſi revulſione, cerebri penus deficiat, quæ frequentiſſima cauſa ſomni eſt. *Pag.* 545 demonſtrat, in vigilia in univerſum, in omnibus vaſis attritum majorem, hinc excretiones omnes & perſpirationes validiores eſſe; verum non æqualiter ſanguinem per omnes corporis partes fluere, hic accelerari, illic deficere, perſpirationem adeo in quibusdam partibus majorem, & alibi minorem, eſſe, ſuccos aliquos copioſius, alios adeo parcius, ſeparari. Hæc omnia vero a ſomno abeſſe, ubi unica cauſa motuum omnium & in ſanguine, & in ſpiritibus, cor eſt, & cuique parti pro ratione diametri, vaſorum, diſtantiæ a corde, & *conditionum inſitarum*, ſuam portionem ſanguinis, aliorumque humorum, mittit, ut nulla pars abundet, nulla deficiat. *Pag.* 549 Cl. *Weitbrechtum*, qui non ſolum, neque venenoſum ſanguinem, neque adeo humores tenuiores, a corde moveri, contendit, ſed etiam, omnem arterioſum ſanguinem a corde emoveri, dubitat, variis argumentis refellit. *Pag.* 581, comparatione inſtituta, obſervat, homini animali prudentiſſimo cerebrum eſſe maximum, tunc animalibus diſciplinæ humanæ capacibus, minimum iis, quibus pauciſſimæ ideæ, & vitæ *actiones ſimpliciſſimæ*, ſunt. *Pag.* 585 admodum probabile Noſtro videtur, nullam eſſe ſpirituum, a cerebro, aut cerebello, orientium, diverſitatem, nullum diſcrimen in fabrica ipſa poſitum, cum facultatis animalis organa vitalibus diſtent, ſed partes omnes tunc agere & operari; quo loco etiam contra *Stahlianam* de animæ in corpus imperio ſententiam,

tiam, neque minus *Willisianam* opinionem, qua nervi, vitalibus actionibus præfecti, a cerebello, alii vero, animalibus functionibus præpositi, a cerebro, repetuntur, egregie disputat. *Pag. 615* motus quarundam in animantibus nonnullis partium, post mortem adhuc perseverantis, causam redditurus Noster, in fibra animali, ait, aliquam ad irritationes contractilitatem superesse, quæ simplici elatere fortior, a motu musculari diversa, quod cerebri cordisque non indiget, & in ipsa hujus fibræ humidæ adhuc & integræ fabrica fundata esse videtur. *Pag. 609* asserit, auriculas cordis contrahi, quando irritantur a sanguine ex venis suis affluente, remittere vero & laxari, quando inanes sint, idemque de cordis ventriculis verum esse. Verum hæc in præsenti sufficiant. Plura qui cupiunt, ipsum libellum elegantissimum adeant, a quo perlecto non nisi cum insigni voluptate recedent. De *quinto Volumine*, quo Physiologia absolvitur, proxime dicemus; progressuri deinde ad *sextum*, practicas Institutionum partes explicante.

## Die Rose zum Ruhme ihres Schöpfers ꝛc.
hoc est,

## *ROSA, IN GLORIAM CONDITORIS SUI, OBlectamentumque ingenuæ mentis, descripta ab Autore Meditationum super regnum florum.*

Lipsiæ, apud Bernh. Christoph. Breitkopfium, 1743, 8 maj.
Plag. 16.

Rosa, ob pulchritudinem suam omnibus commendatissima, jure suo præstantissimi Autoris oculos animumque in se convertit, & post Tulipam proxime præsens hoc elogium meruit, tam docte eleganterque concinnatum, ut Autori, sed eheu! nuper exstincto, eximiam operam cum Cel. *Gottschedio*, cujus ea de re nitidissimum carmen libello fuit præfixum, merito gratulemur. Vix quidquam apud Autores veteres notatu quodammodo dignum de rosis reperire licet. Inter recentiores singulares de ea libellos *Antonius Fumanello*, *Nicolaus* Pag. 5. 7.

Pag. 18. *colaus Monardes*, *Sylvius*, *Wittichius*, *Roſenbergius*, *Caſtellus*,
20. 21. *Hagelbanſius*, *Hagedornius*, ediderunt. Quamvis alii plures,
22. 27. alii pauciores, roſarum ſpecies numerent, placet tamen No-
28. 29. ſtro *Bauhini* ordo, ſecundum quem roſæ in ſativas, ſeu hor-
32. tenſes, atque ſylveſtres, diſtribuuntur, illarumque 18, ha-
36. rum 19, ſpecies percenſentur, ex quibus roſa moſchata, ſeu
43. 44. Damaſcena, roſa lutea, roſa menſtrua, roſa de Jericho, ro-
46. 49. ſa Sinenſis, roſa ſalicum, roſa Memphitica, roſa ſine ſpinis, hic
85. 62. ſigillatim perluſtrantur. Eſt vero, ſi definitionem requiras,
68. roſa flos ex frutice lignoſo & ſpinoſo, ex hortis, vel agris, exeun-
71. te fere, vel ſimplex, vel multiplex prognatus, facie, colore, & o-
dore, pulcher & jucundus, multisque viribus medicamentoſis
77. inſtructus. Planta ipſa inter frutices recte refertur, & radice,
81. in qua cortex, lignum, & medulla, obſervantur, trunco, gem-
82. 85. mis, foliis, ſpinis, flore, cujus hic præcipua habetur ratio, &
86. 87. in quo folia, calicem, alabaſtra, capitulum, ſtamina, & api-
90. ces, oculis noſtris uſurpamus, ſemine, & ejus capſula, atque
91. 92. pedunculo, conſtat. In pulchritudine & ſuavitate roſarum
93. accurate deſcribenda ſibi ſuisque ſolius viribus non confiſus, a-
96. liorum ſimul ſcriptorum auxilium advocat, ſed neque in vete-
100. ribus, nec recentioribus, quidquam opis invenit, ne in *Anacre-
onte* quidem, de cujus carminibus fere ad ſententiam *Joannis
Cornelii Pavonis* accedit, multa huic Autori probabiliter fuiſſe
105. ſuppoſita, atque in his etiam illud, quod de roſis agit. So-
lus ex Germanis *Brockeſius* roſarum pulchritudinem elegantiſſi-
ma deſcriptione atque laudatione ornavit, ex cujus quoque
carminibus permulta de hoc florum genere, ejusque parti-
bus tantum non omnibus, & variis attributis, ſpecimina repe-
128. tuntur. Et, quamvis externo habitu & ornatu Roſa cedat Tu-
132. lipæ, odore tamen eidem longiſſime antecellit, imo & in ro-
136. ſa eſt, quod tactum ſaporemque delectet. Vires medicinales
tam multiplices prædicantur, ut flos hic morbis propemodum
infinitis propellendis par eſſe videatur. Sed ipſam hanc ob
cauſam de plurimis ſobrie licet dubitare, donec firmiori com-
probatæ fuerint experimento. At, ſi vel tertia tantum pars ea-
rum virium, quæ ipſi tribuuntur, demtis ceteris, re vera rema-
neret,

neret, planta tamen hæc foret præstantissima, cujus diversas partes diverso etiam se prodere effectu, forsan credibile esset.
Quod ad propagandi modum attinet, rosa vel ex semine, vel Pag. 148.
truncis majoribus divisis, vel ramis decerptis, propagatur, promtius tamen & celerius posterioribus duobus modis, quam prio-
ri. Cœli siderumque nulla habenda est ratio, omnino ta- 149.
men temporis oportuni, quod in autumnum incidit, & qui- 150.
dem luna corniculante. Loca potissimum aprica amat ro- 156.
sa, in quovis autem terræ genere succrescit. Ceterum ne- 157.
cesse est, ut, sive integer truncus, sive ramusculus, mandetur
terræ, justa ubique eum inserendi teneatur ratio, hic accuratius 159.
tradita, frigus etiam arceatur, ramusculi amputentur rite, &
frutex justa humectatione irrigetur. Quæ ad culturam rosæ 163.
Damascenæ, luteæ, menstruæ, sigillatim spectant, fusius hic pro-
ponuntur. Ad præmaturos rosarum flores generandos non 165.
securior suppetit methodus, quam quæ ope fit fenestrarum.
Serotini autem flores tutissime generantur, fruticis ramis ver- 166.
no tempore profunde amputatis. Ipsi etiam flores jam perfe- 167.
cti optime in vase vitreo in hibernum tempus asservantur. Ar-
tes mutandi rosarum colorem, non minus, quam odo- 168.
rem iis conciliandi, fallunt. Interim rosarum odor au- 172.
getur admodum, allio in vicinia crescente. Rosæ simplices, 173.
vel admodum exiles, evadunt plenæ admodum, vel augentur, quando iterum iterumque & semper quidem in mitiorem
transferuntur terram. Inter singularia rosarum refertur in- 174.
primis, quod signum amoris, pacis, fortunæ, meliorum-
que temporum, fuerint. Verum & multis aliis in ritibus ea- 177.
rum valuit usus, & ad alias res deductæ, largam dicendi suggerunt materiam, sed quæ hic non nisi paucissimis verbis attingi
potuit. Inter singularia naturæ non adeo commode refertur, 184.
quod rosa prolifera subinde germinet. Suppetunt autem va- 191.
rii generis alia, breviter hic indicata, præcipue autem & illud, quod subinde homines odorem, quin imo conspectum, rosarum adeo non ferant, ut potius hinc animi defectionem incurrant, quidam etiam subita prorsus morte, si recte Autores quidam
observarunt, ex hac causa exspirarint. In fine Cel. Autor id, 194.

quod caput rei in hoc opusculo est, persequitur, additque, quomodo bona mens (cum atheis enim qui disputet, eum operam oleumque perdere ait,) ipsa rosa ad cognoscendas Dei optimi maximi existentiam, perfectionesque, non minus, quam reverentiam ipsi præstandam, aliasque pias meditationes alendas,
Pag. 208. permoveri, & quam voluptatem ingenuus & vere nobilis homo ex rosis capere queat, dum earum contemplatione ad Deum magis trahitur, & ad mortis meditationem invitatur.

## *PROBLEMATIS GEOMETRICI LAHIREANI, Sectiones conicas spectantis, a LUDOVICO WENTZIO, J. U. L. & Mathematum Cultore Basileensi, pluribus modis soluti, Continuatio.*

Conf. *Nova Acta Erud. A. 1744 Mens. Nov. pag. 658 seq.*

### *Solutio IV, generalis, Sectionum Conicarum species omnes concernens, synthetice demonstrata.*

In hac solutione ostenditur, constructiones antea traditas esse universales; idque methodo synthetica, adeoque via præcedenti contraria, demonstratur. Indigebimus autem duobus Theorematis, quorum uni locus erit dato axe transverso, alteri dato axe conjugato; quare juvabit, illa præmisisse.

### *Theorema Primum.*

Si centro positione dato C, radio dato CA $= \frac{1}{2}$ AB describatur (in Fig. 1 & 2) arcus AE secans rectam, positione da-
TAB. VI Fig. 1, 2. tam EI in E, atque ex E erigatur perpendicularis, secans axem AB, utcunque positum in G, dico, punctum G, in quocunque loco rectæ EG deprehendatur, semper fore focum Sectionis conicæ super axe AB ita describendæ, ut tangat rectam datam EI.

Fig. 3. In Parabola Fig. 3 pro arcu AE ducenda recta perpendicularis ad axem.

### *Demonstratio.*

Demonstrandum est, quod perpendicularis GE ex foco G in Tangentem demissa semper transeat per punctum in-

tersectionis

TAB. VI. ad Nov. Act. Erud. A. 1744. M.











tersectionis ipsius Tangentis, & arcus, vel circuli, centro C radio CA descripti. In hunc finem, liceat nobis præsupponere proprietates Sectionum conicarum alias notissimas, scilicet quod, ductis ex puncto contactus I ad focos G & H rectis GI, IH, in Ellipsi summa rectarum GI + IH in Hyperbola differentia IH — GI axi AB, & angulus GIE ipsi HIF sit æqualis. De his videat, qui volet *M. de l' Hospital Tr. des Sect. Con.* §. *32, 60, 72,* & *123.* Hisce suppositis, producatur GE in M, ut fiat EM = EG; atque prolongetur HI in Ellipsi, transibit ea per punctum M, ob angulum EIG = HIF = EIM, eruntque EIG & EIM Triangula similia & æqualia, adeoque IG = IM. Productæ vero EC & FH, ubi opus, sese secabunt in K, ita ut EK sit parallela & æqualis MH. Nam propter GM parallelam FH & GC = CH, erit Triangulo GCE simile & æquale CHK, adeoque GE = EM = KH, &, ut dictum, EK parallela & æqualis MH. Sed MH = GI + IH (vel IH — GI) = AB; ergo EK = AB & EC = CF = CK = CA = CB, quod erat demonstrandum. Istorum ad Parabolam facilis est applicatio, quia pro Ellipsi haberi potest, in qua AC & AB sunt infinitæ; hinc enim arcus AE mutatur in lineam rectam ad AC perpendicularem.

## *Theorema Alterum.*

Data recta CD (Fig. 4 & 5) & centro A positione, nec non Axe conjugato Sectionis conicæ, dico: Si ex centro A ad rectam CD demittatur perpendicularis AC, & fiat CD dato semiaxi æqualis; porroque in Fig. 4 ducatur DN parallela CA atque radio AC arcus CN, secans DN in N, atque abscindatur CG = DN; in Fig. 5 vero capiatur AG = AD, atque in utraque erigatur GH perpendicularis ad AG, & ducatur qualiscunque recta AH, secans GH in H, quod H sit focus in priore casu Ellipseos, in posteriore Hyperbolæ circa axem AH describendæ ita, ut tangat rectam CD. TAB. VI Fig. 4 & 5.

## *Demonstratio.*

Theoremate præcedenti probatum, quod, si cujusvis rectæ AH sumatur punctum quodvis H pro foco, & ad rectam

 quamvis

quamvis aliam CD demittatur perpendicularis HI, atque centro A radio AI describatur arcus IK, secans AH in K, punctum K sit vertex Curvæ, rectam CD tangentis. Ergo, ut pateat; quod GH transeat per focum, demonstrandum hic illud duntaxat est, quod, demissa perpendiculari AC, atque ad hanc alia HG, in Fig. 4 si vis, prolonganda, descriptoque arcu CN, vel GD, fiat ibi GN, hic CD æqualis semiaxi conjugato, qui nimirum respondeat semiaxi transverso AK, & distantiæ foci a centro AH; id est, quod in illo casu fiat $AHq = AKq - GNq$; in hoc $= AKq + CDq$.

Jam vero manifestum est, quod in casu priore, qui est pro Ellipsi, sit $AHq = AGq + GHq$, seu ob $AGq = ANq - GNq$ & $GH = CI$, $AHq = ANq - GNq + CIq$. Sed $AN = AC$, ergo $AHq = ACq - GNq + CIq$, & quia $ACq + CIq = AIq = AKq$, liquet, quod $AHq = AKq - GNq$, quod erat unum.

In casu posteriore vero pro Hyperbola est $AHq = AGq + GHq = ADq + CIq$, vel ob $ADq = CDq + ACq$, $AHq = CDq + ACq + CIq = CDq + AIq = CDq + AKq$, quod erat alterum demonstrandum.

Hisce præmissis, videamus Constructionem ipsam, ejusque applicationem ad varios casus.

## *Constructio Geometrica dato Axe Transverso.*

TAB. VI Fig. 6. Datis (Fig. 6) rectis DF, DI, centro C positione & semiaxe transverso CE, vel Ce. Centro C radio CE describatur, ut in Constructione solutionis tertiæ posteriore circulus EaeB, secans datas rectas in E, e, ε, ε; ex his punctis erigantur ad DF, & DI perpendiculares EGh, Heg, εGg, Heh, sese secantes in G, g, H, h, erunt puncta interfectionum, quæ cadunt intra angulum FDI, nempe G & H foci Ellipsis, quæ cadunt extra illum nempe g & h, foci Hyperbolarum quæsitarum.

*Demonstratio*: Dum enim Circulus radio CE descriptus secat rectam unam datarum DF in E (vel e), atque ex hocce erigitur perpendicularis EG (eg), habemus (vi Theor. 1) in hac perpendiculari omnes focos illarum Curvarum, quæ, eadem

dem manente centro C, atque axe transverſo AB (ab) deſcriptæ rectam DF tangunt; etiamſi varios habeant axes conjugatos, ob diſtantiam foci CG (Cg) variam. Dum vero & alteram datarum DI ſecat idem circulus in *e* (*e*) erecta *e*G (eH) dabit ſimiliter focos Curvarum, rectam DI tangentium, ſemper manente centro C atque axe transverſo eodem cum præcedente, mutato ſaltem axe conjugato. Quoniam autem perpendiculares EG, *e*G, (vel eH, eH,) in puncto interſectionis G vel H (g vel h) eandem foci diſtantiam CG vel CH (Cg vel Ch) determinant; ſequitur, quod curva ſuper axe AB (ab) deſcripta, utramque datarum rectarum tangat.

Quod autem foci, intra angulum datarum rectarum cadentes, ad Ellipſin pertineant, extra eundem ad Hyperbolam, inde eſt manifeſtum, quod in illo caſu focus cadat intra circulum ſemiaxe transverſo deſcriptum, adeoque diſtantia foci a centro ſit minor dicto ſemiaxe; in hoc vero focus cadat extra circulum, ac propterea fiat ejus diſtantia ſemiaxe major; illa enim proprietas eſt Ellipſis, hæc Hyperbolæ. Quod erat demonſtrandum.

Quod foci omnes cadere queant intra angulum datum, adeoque duæ Ellipſes locum habeant, patet ex Figura 6 *Tabulæ quintæ*. Quod vero omnes etiam extra eundem locum habere poſſint, atque non niſi Hyperbolæ naſcantur, ſi vertex anguli dati cadat intra dictum circulum, colligitur ex *Tabulæ ſextæ Fig. 7*, TAB. V. Fig. 7. in qua recta CD tangitur ab Hyperbolis F & G, altera CE vero ab eadem F & alia H, Hyperbola I manente otioſa. Quodſi quis dubitet, cur una tantum F ambas CD, DE, tangat, duæ G & H unam tantum, & quarta I neutram, atque exiſtimet, hoc Problemati non convenire; huic reſpondemus, duas Hyperbolas oppoſitas F & I vel G & H pro duabus portionibus ejuſdem Curvæ habendas eſſe. Sicuti enim duo foci ad eandem Ellipſin, ita & ad eandem Hyperbolam, pertinere dicendi. Vel rectis datis ducendæ ſunt duæ aliæ parallelæ KL, MN, a centro A tantundem diſtantes, ſed ex altera illius parte ſitas; hoc enim modo fiet, ut quævis Curva duas rectas habeat, quas tangat juxta conditiones præſcriptas.

Tandem notandum, Problemati in sensu universali sumto satisfacere quoque Parabolam. Dantur enim positione duæ re-
TAB. VI ctæ, quæ sint DE, DF (Fig. 8); deinde centrum, quod quam-
Fig. 8. vis infinite remotum sit, eo ipso tamen supponitur positione data recta DB ad illud tendens. Denique datur Axis transversus, qui, etsi in hoc casu sit infinitus, poterit tamen ex una parte determinatus supponi, ita nempe, ut pertingat usque ad punctum B, altera extremitate manente in infinitum remota. Hisce autem suppositis, Constructio breviter sic se habet: Per B ducatur ad DB perpendicularis EF, quæ secat datas in E & F; atque ex his E & F erigantur ad easdem datas perpendiculares EG, FG, sese secantes in G, atque per G ducatur ipsi DB parallela GA, secans EF in A, erit AG axis quæsitus, A vertex, & G focus Parabolæ quæsitæ.

*Demonstratio.* Quoniam recta EF est instar arcus circularis, radio scilicet infinite longo descripti, liquet ex Theoremate 1, perpendicularem EG præbere focos omnium Parabolarum, verticem in recta EF, axem ipsi DB parallelum habentium, atque rectam DE tangentium. Similiter liquet, perpendicularem FG dare focos omnium Parabolarum, alteram DH dicto modo tangentium. Ex his autem sequitur, punctum intersectionis G esse focum duabus utriusque generis Parabolis communem, adeoque Parabolam foco G & vertice A descriptam tangere utramque rectam datam; ejusque axem AG transire per centrum infinite remotum propterea, quod AG sit ipsi DB, ad idem centrum tendenti, parallela, quod erat demonstrandum.

## *Dato Axe conjugato.*

Duplex hic occurrit construendi modus, quorum alius Ellipses, alius Hyperbolas, producit. Constructio pro Ellipsibus in Solutione II jam est tradita juxta *Tabulæ V Figuram 5*; quare illam hic merito prætereo, quia demonstratio ejus non secus ex Theoremate posteriore deducitur, quam præcedentes ex priore deductæ sunt, & constructio pro Hyperbolis jamjam tradenda simillimam quoque probationem admittit, ad cujus proinde imi-
Fig. 9. tationem altera facillime instituitur. Datis ergo Fig. 9 rectis

CD,

CD, BF, centro A, atque semiaxe conjugato CD, constructio pro Hyperbolis hæc erit: Ex centro A demittantur ad datas rectas duæ perpendiculares utrinque prolongandæ AB, AC, fiatque BF = CD = semiaxi conjugato, atque AG = Ag = AD, & AE = Ae = AF; perque G & g ducantur ipsi CD, & per E & e ipsi BF parallelæ sese mutuo secantes in 4 focis H, h, L, M, Hyperbolarum quæsitarum. Tandemque, ad facilitandam earum descriptionem, demittantur ex H & h, ad rectam CD perpendiculares HI, hi, atque centro A radiis AI, Ai, describantur arcus IK, ik, eruntque K & k vertices, quibus præter focos datis Hyperbolæ facillime describuntur, ut notum.

*Demonstratio*: Recta Hh suggerit focos Hyperbolarum, rectam CD tangentium, recta hM vero earum, quæ rectam BF tangunt, per *Theor. 2.* Utriusque generis Curvæ varios habent axes transversos, excepto eo casu, quo focus communis in h existit; tunc enim duæ coincidunt Curvæ æquales, atque unicam efformant, ambas proinde rectas datas tangentem, quod erat demonstrandum.

Eodem modo procedendum, sive semiaxis conjugatus sit minor alterutra perpendiculari AB, AC, sive utraque, sive neutra, methodoque una eademque utendum circa utramque perpendicularem; alias enim non obtinebimus nisi earum curvarum focos, quæ alterutram tantum datarum rectarum tangant. Quodsi autem semiaxis conjugatus sit minor utraque perpendiculari, & placeat uti tum methodo in Solutione II adhibita, tum etiam methodo præsenti, & quidem utraque circa utramque perpendicularem, obtinebimus non tantum duas Ellipses, sed etiam Hyperbolas circa 4 focos a ceteris diversos describendas, easdem tamen datas rectas tangentes; quibus omnibus idem Axis conjugatus, idemque centrum sit commune, quemadmodum quivis facile experiri poterit, si methodum præsentem *Fig. 5 Tab. V* applicare voluerit.

Illud tandem addere liceat: Curvam quæsitam abire in circulum, si ambæ perpendiculares AB, AC, dato semiaxi sint æquales. In lineam rectam vero si foci K & M (*Tab. 5 Fig. 6*) vel I & L incidant in circumferentiam circuli, latere transverso tanquam

quam diametro descripti; sive quoties in casu *Fig. 5 Tab. V* axis conjugatus supponitur nullus; aut denique, si lineæ datæ sint parallelæ, quo in casu tamen observari meretur, quod, si centrum ab utraque data æqualiter distet, innumeræ sive Ellipses, sive Hyperbolæ, satisfaciant, quia tunc utraque recta est instar unius ob situs identitatem, adeoque deficit conditio, & casus est indeterminatus. Reliqua benevoli Lectoris industriæ indaganda relinquimus, nosque ipsius favori commendamus.

## *GEORG. GOTHOFR. KEUFFELI, IN ACAD. JULIA P. P. O. Mor. & Polit. Historia Pontificatus Romani, ad illustrandam Ecclesiæ disciplinam. Accedit Fragmentum FRANCISCI GUICCIARDINI de Origine potestatis secularis in Romana Ecclesia.*

Helmstadii, apud Christ. Frid. Weygand, 1741, 8.
Plag. 11.

Pontificatus Romanus omnino est maximorum eventuum in orbe Christiano materies & seminarium. Eam ob causam Cl. Autor historiam ejus existimavit maximi esse momenti. Tractandam suscepit eam ita, ut omnia ad illustrandam ecclesiasticam disciplinam referenda crediderit. Proposuit argumenta *Petri de Marca*, quibus hic primatum *Petri* & cathedræ Romanæ ex jure divino evincere conatus fuit. Respondit deinceps ad ea, contendens, nil roboris eis inesse. Addidit porro, Seculis prioribus cogitatum non fuisse de majore potestate Episcopi Romani; ac de controversia paschali, nec non de titulo Vicarii Christi, exposuit. Expendit deinceps locum *Tertulliani*, quo Episcopus Romanus vocatur *Pontifex maximus, Episcopus Episcoporum.* Explicat *Irenæi* locum, quo hic Ecclesiæ Romanæ adscripsit *potentiorem principalitatem.* Animadvertit, mature ac illico invaluisse morem, quo Episcoporum alii aliis fuerunt ordinis gratia redditi obnoxii, ac in illius subordinationis inquisivit causas. Meminit Canonis VI Nicæni, quo de ea fit mentio, tanquam de ritu jam olim recepto, & quo potestas

trium

trium Episcoporum, Romani, Alexandrini, & Antiocheni, amplior fuit confirmata. Ostendit idem, Canonem Nicænum favere parum causæ Pontificis Romani, siquidem Canon aliarum meminit provinciarum ecclesiasticarum, tribus illis non subjectarum. Contendit, in Canone Nicæno agi de jure metropolitano. De *ecclesiis suburbicariis*, quarum curam gessit Romanus, ex *Ruffino* exposuit, ratus, primam causam excellentiæ Romani Pontificis fuisse ipsam urbis dignitatem, siquidem politia ecclesiastica modum imperii civilis fuit æmulata. Addit, Romanum Pag. 32.
Pontificem propter imperium civitatis Romæ antiquius pro primo Patriarcha fuisse in Concilio Chalcedonensi Sess. XVI reputatum, cujus quippe causam fortunamque id magnopere juverit, quod solus fuerit in Occidente Patriarcha. De potestatis patriarchalis origine nil certi definit, ratus, nomen esse 34.
potestate ipsa recentius, & fortassis ex falsa interpretatione Canonis sexti Nicæni enatum, certe publica ecclesiæ autoritate primum in Concilio adhibitum Chalcedonensi. Ostendit, qui evenerit, ut Exarchi diœcesium Thraciæ, Ponti, & Asiæ, qui ad Concilium usque Chalcedonense nulli alii fuerant subjecti, Patriarchæ Constantinopolitano redditi fuerint quodammodo subditi ac obnoxii. Demonstrat, diœcesin Urbicariam, quæ decem provinciis constabat, distinctam olim fuisse ab Italica, quæ septem provincias complectebatur, & hanc subfuisse mo- 38.
derationi Episcopi Mediolanensis, quod ipsum largitur *Petrus de Marca.* Africanas ecclesias nulla ex parte potestatis Patriarchæ Romani exstitisse, contendit tum exinde, quod Afri Metropolitanos suos ipsi ordinarunt citra autoritatem & consensum Pontificis Romani, tum ex libertate Conciliorum Africæ, quæ Primas Carthaginensis, cui jus Pontificis servari jubet *Justinianus* in *Novell. 131 Cap. 4*, jure suo poterat convocare, denique eo, quod Concilium *Milevitanum II Can. 22* apud *Gratianum Cap. 2 Qu. 6 Can. 35* prohibuit distincte provocationem ad Romanam sedem. Monet, ecclesias Galliarum ad octingentos fere annos libertate sua usas esse tum in ordinandis metropoli- 40.
tanis, tum in non admissis provocationibus a decretis Synodorum suarum ad Pontificem Romanum. Britannicas Eccle-

 sias

ſias æque denegaſſe ultra *Auguſtini* Monachi ætatem Romano
Pag. 42. Pontifici obedientiam, animadvertit. Autoritatem Epiſcopi Romani deducit ex Concilio Sardicenſi, quantum ad judicia canonica Epiſcoporum, proprie ad jus concedendi reviſionem,
44. attinet. Orientales vero Epiſcopos ſpreviſſe Sardicenſia decreta, obſervat, quæ ne quidem extra Italiam tum fuerint agnita. Primum exſtitiſſe *Zoſimum*, qui A. 418 in cauſa *Apiarii*, Presbyteri, in Africa depoſiti, ad Canones Sardicenſes, licet fru-
48. ſtra, provocaverit, monet. Proluſiſſe *Zoſimo Innocentium I*, Patriarchatus univerſalis in Occidentem ſtudioſi, addit. Negat, Synodo Romana, juſſu *Theoderici* Regis in cauſa *Symmachi* Pontificis coacta, conſtitutum id fuiſſe, ut Papa a nemine poſſit judicari. Recenſet æmulationes Patriarchæ Roma-
58. ni & Conſtantinopolitani, ratus, tum a Romano ſpeciatim *ſedem Petri* jactatam, & conſtitutum fuiſſe Theſſalonicenſem Epiſcopum ab hoc *vicarium ſedis Romanæ*. Romanum eadem fere tempeſtate Vicariatum Arelatenſem per Gallias ſtabili-
60. viſſe, docet. Incidit hujus facti epocha nobilior in annum 417. Exhibet originem formulæ loquendi Romanæ, *Epiſcopos eſſe vocatos in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.*
67. Perpendit contentiones de titulo Epiſcopi Oecumenici, & exponit, quomodo is tandem ceſſerit Romano. Evolvit controverſiæ momentum. Deſcendit ad controverſiam de imaginum uſu in templis, inter Præſules utriusque Romæ exortam. Aggreditur enarrare Pontificum Romanorum inde enatam cum Regibus Francorum amicitiam, liberalitatem *Pipini*, Francorum Regis, in ſedem Romanam, qua Pontifex Romanus ſimul princeps ſecularis fuit redditus, largitiones *Caroli Magni*, ac *Bonifacii* molitiones, qui ope pallii Metropolitanos Germaniæ Pontifici illi ſubjecit. Perfundit decretum Synodi, auſpiciis *Bonifacii*, habitæ, obſervationibus, & oſtendere conatur modum, quo Metropolitani illi ſe circumveniri ſint paſſi. De impoſtore, qui ſub nomine *Iſidori Mercatoris* ampliſſima jura tribuerit Pontificibus, quæ *Nicolaus I* effectui dederit, commen-
81. tatur. Addit, inde ex Seculo IX titulum *Papæ* ſoli Romano Pontifici obtigiſſe, *Gregorio IV* ſic conſtituente. Differit de legatio-

legationibus Romanis in Occidentis terras, de *Gregorii VII* dictatu, de certamine super investituris Episcoporum per annulum & baculum, de originibus imperii Pontificis in urbem Romam, de Decretalibus *Gregorii IX* in scholas forumque introductis, de inquisitione tremenda, de excommunicationis fulmine, & aliis momentis. Fragmentum illud *Guicciardini* dedit descriptum ex Goldasti *Tomo III* de Monarchia S. R. I.

Christoph Friedrich Ayrmanus, Prof. Hist. & Phil. zu Giessen, Critische Anmerckungen über das Neue Testament D. Martin Lutheri.
hoc est,
*CHRISTOPH. FRID. AYRMANNI, PROF. Hist. & Phil. in Acad. Giessensi, Criticæ Annotationes in N. Test. D. Martini Lutheri.*
*Pars II.*
Hamburgi, impensis Christiani Wilhelmi Brandt, 1743, 8.
Plag. 6.

Continuat telam, quam nuper exorsus fuit, Cel. Autor. Initio persequitur reliqua momenta rarissimæ editionis Nov. Test. *Lutheri* vernaculæ, quæ anno 1529 ineunte Marpurgi e prelo exiit. Adhibet in usus suos passim *Lutheri* Germanicam Nov. Test. translationem, quæ A. 1540 opera *Joannis Luft* publicata fuit. Meminit Latinæ translationis Nov. Test. quæ A. 1529 Vitebergæ in lucem prodiit, de qua exstat *Caroli Friderici Krafft Commentatio de Versione Bibliorum Latina, Witte-* Pag. 102.
*bergæ A. 1529 typis exscripta, neque Melanchthoni, neque Munstero, sed Luthero, vere vindicanda,* Hamburgi A. 1742 edita. Versio Nov. Test. inibi est ipsa Latina Vulgata, parce ex probatiori linguæ Latinæ usu emendata. In Præfatione, quam *Lutherus* præfixit Novo Testamento, versionem hanc ipse sibi attribuit, licet stilus *Melanchthonem* spiret. *Acta Apostolorum* indidem Epi- 105.
stolæ ad Hebræos datæ & Epistolæ *Jacobi* interposita sunt. Pentateuchi *Mosaici* translatio ad Ebraicum contextum solicite fuit conformata in illa editione. Suasit *Lutherus*, ut Latina hæc edi-

tio domi usibus adhiberetur privatis, in publico autem cultu religioso vetus Vulgata retineretur. Memoratu dignum est, quod
Pag. 118. Autor *Psalterium in quatuor linguis, Hebræa, Græca, Chaldæa,* (id est, Æthiopica,) *& Latina, impressum Coloniæ A. 1518, in fol.* possidet, cujus Psalmi in incisa, seu versiculos, jam sunt distincti
121. pro more adhuc vigente. Prædicat ipse editionem suam Vulgatæ, ad A. 1486 referendam, fortassis Argentorati adornatam. Literam z deducit ex ç, id est, cs, & improbat scri-
123. bendi modum per tz, siquidem z jam includat literam t. Ex annotationibus M. *Georg. Christ. Bürcklini*, editioni Novi Test. *Bezæ*, A. 1580 per *Henr. Stephanum* in 8 maj. curatæ, adscriptis, passim in posterum specimina communicabit, nec non ex animadversionibus *Jo. Henr. Maji*, junioris, ad Novum Test. Græcum & Observationes sacras adjunctis. Exorditur jam denuo ab initio *Matthæi*. Γέννησιν interpretatur *nativitatem*. Inscriptionem Βίβλος γεννέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ exponit per *enarrationem de nato Jesu, qui, sese Messiam promissum esse, demonstra-*
129. *vit*. Theogoniarum originem, suspicatur, ex promissa filii Dei
133. manifestatione derivandam. Alias se huic sententiæ argumenta conciliaturum, addit. Virginem vocari γυναῖκα, ex *Maji* illius annotationibus ostendit. Quæ ad vocem *Rama Matth. II, 18*, attulit, expendi digna sunt. LXX vocem רָמָה crediderunt esse propriam. Suspicamur, notari *altam* sensu eximio, ac designari *Hierosolymam*, ad quam Φωνὴ *vox & fama* luctus Betlehemitici transiit propagata. Vocem *Zinne*, qua Germani prominentem ædificii partem superiorem denotant, deducendam
162. putat ex Italorum *Cima*. Eodem pacto vocem *Giebel, Gipfel*, arcessit ex Italorum vocula *cimola*. Galli certe fastigium, culmen, apicem, vocant *cime*. Autorem esse *Germanicum Sincerum*, Germanicum *Julii Cæsaris* interpretem, perspicimus ex *pag. 167*. Signum contemnentis, *pfuy dich an*, exponit per con-
178. tractum ex *ich speye dich an*. Quidni ex *spey dich an*? *conspue te ipse*, qui es sputis injectis dignus, ac vehementer contemnendus. Homines ad Visurgim habitantes adhibent pudoris incutiendi formulam: *futeckan*, seu *fukleck an*, ac verbum *fuen* adhibent pro *affligere concussione*, vel *cædendo*. Criticis ejus-

modi

modi annotationibus passim Autor delectatus fuit, quas veluti bellaria rebus severioribus immiscuit, ne lector fatigetur. Comprecamur Viro Cel. valetudinem firmiorem, vegetamque senectutem, ne quis casus tristior continuationes intercipiat, spe communi dignas.

Beschreibung aller heutiges Tages in Europa florirenden geist- und weltlichen Ritterorden, rc.

id est,

*DESCRIPTIO OMNIUM, NUNC IN EUROPA florentium, ecclesiasticorum ac secularium Ordinum equestrium, una cum iconibus insignium, quibus Ordines illi gaudent. Pars I, edita a J. W. R ***.*

Francofurti ad Oderam, impensis Jo. Godofr. Conradi, 1743, 4. Plag. $2\frac{1}{2}$, Fig. æn. 1.

Exhibetur hoc Fasciculo, minuto satis, Ordinum equestrium Imperatoriorum descriptio. Tractationis primordia capiuntur ab Ordine S. *Andreæ* Moscovitico, quem *Petrus Alexiewitz* A. 1698 instituit in eorum gratiam, qui documenta fortitudinis suæ in bello, adversus Turcos gesto, ediderant. Cœpit id honoris dudum aliis meritissimis personis donari, ut insigne Ordinis illius primarii gestent. Subjicit Autor Pag. 12. Ordinem S. *Alexandri Nefsky* Russicum, quem vulgo appellant *le cordon rouge de Saint Alexandre*, A. 1725 a *Catharina*, Imperatrice Russica, inventum, quo Princeps *Menzikow* donatus fuit primus. Leguntur in insigni hæc magnifica verba: *pro labore & patria.* Progreditur Autor ad Ordinem *Catharinianum*, A. 1714 ab eadem *Catharina* cœptum in memoriam prælii, A. 1711 ad Prutam cum Turcis commissi, & cum fœminis illustribus solitum communicari. Inde gradum promovet ad Ordinem Crucigerarum, Vindobonæ A. 1688 a conjuge *Leopoldi* Imperatoris institutum, cujus patroni sunt Deipara 15. & S. *Josephus*, præses vero Imperatrix Romana. Symbolum eminet:

eminet: *Salus & gloria.* Adjungit deinde nonnihil de Ordinibus Imperatoriis, jam exstinctis. In eorum refert censum
Pag. 16. *Societatem aquiligeram*, A. 1433 ab *Alberto III* institutam; *Ordinem crucis Burgundicæ*, A. 1535 a *Carolo V* constitutum; Ordinem *Constantini*, a *Constantino M.* A. 315 sancitum ob memoriam signi, in aere visi, & devicti *Maxentii*; *Ordinem draconis devicti*, a *Sigismundo* Imp. A. 1418, finito Constantiensi Concilio, fundatum; *Ordinem subversi draconis*, ab eodem tunc institutum; *Ordinem S. Georgii in Austria & Carinthia*, a *Fri-*
18. *derico III* A. 1470 inventum; *Ordinem S. Gereonis in Palæstina*, a *Friderico Barbarossa* constitutum; *Ordinem coronæ Frisiorum*, institutis *Caroli M.* solitum annumerari; ac *Ordinem servarum Virtutis*, quem *Eleonora, Ferdinandi III* Imp. uxor, A. 1662 invenit, numismate aureo insignem, in quo sol virentibus laureis cinctus conspiciebatur, adjectis verbis: *Sola ubique triumphat.*

M. MICHAELIS RANFFTI Leben und Schrifften aller Chur-Sächsischen Gottesgelehrten, ꝛc.

id est,

*VITÆ ET SCRIPTA OMNIUM SAXONIÆ Electoralis Theologorum, qui dignitate Doctorali excelluerunt, & hoc Seculo rebus humanis exemti sunt, Autore M. MICHAELE RANFTIO.*

Lipsiæ, impensis Deerianis, 1742, 8.

Alph. 2.

Promisit jam A. 1736 Vir Pl. Rev. hoc Opus, in recensendis omnibus Theologis Seculi hujus Doctoribus positum, literis ad B. *Joannem Christophorum Colerum* eam ob causam exaratis, lucique datis. Mutavit vero deinceps id consilium ex parte. Appulit enim animum postea ad Theologos terrarum Saxoniæ Electoralis eos describendos, qui Doctorali laurea effulserunt, & intra hoc Seculum diem jam obierunt suum. Tractationem hanc in *Partes* divisit *duas*, in *tertia* exhibiturus

hibiturus

hibiturus Theologos, qui Doctores ecclesiæ & Theologi optimi exstiterunt sine elogio Doctoris adjuncto. Secutus est Autor ordinem alphabeticum, usuris libro apprime utilem. Exhibentur *Partibus* hisce *duabus* LXXVIII Doctores Theologiæ pileati. In Præfatione Cl. Autor consanguineos & amicos demortuorum, quos ipse illustravit, ita excipit: *Spes me habet, fore, ut amici & cognati Theologorum, a me descriptorum, me futuri sint contenti, siquidem diligentiam in eo collocavi, ut gloriam, ab eis partam, quacunque augeam ratione, tantum abest, ut imminuam. Cui scopo facturus satis, multa omisi, quibus ipsa maculari posset. Fiduciam vero in ipsorum modestia simul defixam habeo, fore, ut ne ipsi a me postulent dissimulationem singularium opinionum, ac controversiarum, de eis exortarum, quæ, licet uni ac alteri, dum in vivis erat, minus fuerint honorificæ, me tamen, ut munus Historico conveniens negligerem, adducere haud potuerunt. Satis habeo, quod judicio meo supersedi, quantum fieri potuit, nec eorum omisi quidquam, quod vindiciis ipsorum videri potest accommodatum.* Tribuit sibi calamum fide dignum, & a partium studio alienum, Vir laudatissimus. Pulcherrimas passim annotationes, ex Historia & ecclesiastica & literaria decerptas, adjecit, sæpiusque ad Relationes innoxias, earumque Continuationem, ad Ephemerides literarias, & literatorum commentarios, in libris & Autoribus eorum designandis collocatos, provocavit. Exhibebimus primo seriem Theologorum ipsam; deinde specimina dabimus aliquot; tandem vero videbimus, Vindiciæ, Theologo Saxoniæ inferioris oppositæ, quid habeant in recessu, & quas in theatro tam lucido & fulgenti nemo lectorum, vel spectatorum, in cavea sedentium, deprehensurum sese, divinare potuisset, nisi sub calcem Præfationis & in Indice Vir, sua laude haud defraudandus, hujus molitionis vestigia & indicia sparsisset. Descripti sunt in hac serie 1) *Jo. Georg Abicht*, † 1740; 2) *Jo. Christianus Adami*, † 1715; 3) *Joannes Avenarius* † 1713; 4) *Christianus Gotthelf Blumberg*, † 1735. 5) *Joannes Bosseck*, † 1720; 6) *Ernestus Michael Brehme*, † 1726; 7) *Joannes Christianus Bucke*, † 1723; 8) *Sam. Bened. Carpzovius*, † 1707; 9) *Andreas Charitius*, † 1741;

10) *Mar-*

10) *Martinus Chladenius*, † 1725; 11) *Joannes Clodius*, † 1733; 12) *Joannes Cyprianus*, † 1723; 13) *Hieronymus Dathe*; 14) *Joannes Deutschmannus*; & 15) *Jo. Dornfeldius*. Hosce excipiunt 16) *Jo. Christoph. Ernesti*, † 1722; 17) *Jo. Andr. Gleichius*, † 1734; 18) *Casp. Henr. Graun*; 19) *Georg. Sigismundus Green*, † 1734; 20) *Joannes Güntherus*, † 1714; 21) *Philippus Ludovicus Hannekenius*, † 1706; 22) *Adamus Heroldus*, † 1711; 23) *Christianus Hoffkuntz*, † 1711; 24) *Immanuel Horn*, † 1714; 25) *Jo. Guil. Janus*, † 1725; 26) *Jo. Jac. Janzen*, † 1738; 27) *Jo. Georg. Jochius*; 28) *Thomas Ittigius*; 29) *Joannes Kiesslingius*, † 1715; 30) *Jo. Andr. Knoblachius*, † 1725; 31) *Christianus Lehmannus*, † 1723; 32) *Caspar Læscherus*, † 1718; 33) *Jo. Gottl. Lucius*, † 1722; 34) *Christianus Ludovici*; 35) *Christoph. Samuel Martini*, † 1726; 36) *Jo. Georg. Meisnerus*; 37) *Christianus Ernestus Mussigk*; 38) *Jo. Georg. Neumannus*; 39) *Joannes Olearius*, & 40) *Gothofredus Olearius*, † 1715. Succedunt hisce 41) *Georgius Philippus Olearius*, † 1741; 42) *Joannes Augustus Olearius* † 1711; 43) *Jo. Gottlob Pfeifferus*, † 1740; 44) *Abrahamus Pilz*, † 1719; 45) *Henricus Pippingius*, † 1722; 46) *Joannes Pretten*, † 1708; 47) *Adamus Rechenberg*, † 1721; 48) *Mich. Henr. Reinhardus*; 49) *Elias Reheboldus*; 50) *Georgius Richterus*; 51) *Jo. Bapt. Ræschelius*, † 1712; 52) *Jo. David Schieferdeckerus*, † 1721; 53) *Jo. Schmidius*, † 1731; 54) *Henr. Gottlieb Schneiderus*, † 1722; & 55) *Christophorus Schraderus*, † 1709. Hos sequuntur 56) *Christophorus Daniel Schreiberus*, † 1714; 57) *Georg. Frid. Schræerus*, † 1739; 58) *Jo. Andreas Schræn*, † 1716; 59) *Frid. Guil. Schützius*, † 1739; 60) *Gothofredus Schumann*, † 1732; 61) *Jo. Schwartzius*, † 1725; 62) *Jo. David Schwerdtnerus*, † 1711; 63) *Gottlob Frid. Seligmann*, † 1707; 64) *Christianus Andreas Siberus*, † 1704; 65) *Urbanus Gothofredus Siberus*, † 1741; 66) *Valentinus Sittigius*, † 1705; 67) *Jo. Conr. Sittigius*, † 1714; 68) *Davides Andr. Teuerlein*, & 69) *Wolfgangus Caspar Troppannegerus*. Agmen claudunt 70) *Jac. Wachtlerus*, † 1702; 71) *Georg. Sam. Wagnerus*, † 1728; 72) *Mauritius Guil. Wagnerus*, † 1740; 73) *Christianus Weissius*, † 1736; 74) *Frid. Wernerus*, † 1741; 75) *Gott-*

75) *Gottlieb Wernsdorffius*, † 1729; 76) *Franciscus Wokenius*, † 1734, & 77) *Paulus Pomianus Pesarovius*, Regiomantanus Ecclesiastes & Theol. Professor, *Christiani Dreieri* adversarius, A. 1723 Dresdæ mortuus. His viris egregiis lectissimisque theatrum hoc effulget. Feliciter & præstantissime Pl. Rev. Autor in hoc labore versatus est, de Historia literaria, & Saxoniæ Electoralis ecclesiastica, præclarissime meritus. Utinam exstarent ejusmodi libri de singulis Protestantium regionibus, paulo post obitum virorum Theologiæ laudibus commendabilium conscripti. Solent enim notitiæ hæredum sensim obliterari & evanescere adeo, ut, quinquaginta annis elapsis, sæpius pauca restent de permultis Theologis, laude dignis. Liceat, pace Autoris, addere votum pro hoc Opere continuando; & ad umbilicum adducendo. Decerpemus hinc pauca memoratu digniora.
*Jo. Christianus Adami* Theologiam mysticam judicavit pernicio- Pag. 41.
sam, & cum *Jeremia Josepho Weg* conflixit scripto eam ob causam. *Joannes Avenarius* movit primus arma adversus terminum salutis humanæ peremtorium. D. *Augusti Pfeifferi*, alio- 47.
rumque Saxoniæ Electoralis Doctorum, qui extra eam obierunt, vitas Pl. Rev. Autor omisit. Progenitor inclytissimorum *Carpzoviorum* fuit *Benedictus*, Brandeburgi natus, Cancellarius Saxoniæ Electoralis, & Consiliarius provocationum, Vitebergæ defunctus A. 1626. Catechismi Dresdensis origo in an- 118.
num 1688 incidit, plenius hic demonstrata. Cur B. *Spene-* 129.
*rus* Dresdense munus relinquere jussus fuerit, rationem Autor affert specialem, indicans, ipsum, *Joanne Georgio III* mor- 132.
tuo, si vocatus esset, fuisse rediturum, clanculumque postea munus Dresdense relictum rursus expetiisse. Vindicat *Sam. Benedict. Carpzovium* a quadam narratione B. *Speneri*, a per- 140.
sonato *Clarmundo*, & *Siegvolckio*. *Joannis Christiani Clodii*, Col- 146.
legæ nostri præstantissimi, scripta recenset *pag. 202 seq.* Qui vitam B. *Gottliebi Wernsdorfii* legerit, magnam ibi controversiarum recentissimarum partem, satura lance exhiberi, haud inficiabitur, præcipue ubi vitam *Adami Rechenbergii* contulerit. Suffixit Autor Operi geminum catalogum Theologorum Saxoniæ electoralis. *Prior* complectitur Theologos, jam hoc Seculo defunctos, doctorali dignitate haud conspicuos. *Poste-*

 *rior*

*rior* continet Doctores Theologos, quibus adhuc per Dei gratiam vita suppetit. Nec tamen omittendam esse mentionem Vindiciarum Autoris, existimamus. Ediderat ipse libellum de masticatione mortuorum in tumulis A. 1728, ut phænomena
Pag. 1398. narrationis de Vampyris exponeret. Notaverat simul nonnihil in libello *Jo. Christoph. Harenbergii*, licet ab hoc haud fuisset provocatus. Recensuit itaque hoc loco tertium Autor cogitatorum suorum summam, a nobis ex parte suppeditatam in *Supplement. ad Nova Acta Tom. II pag. 91 seq.* Quare hic nihil amplius addimus, a liticulis alieni. Concludit Vindicias Autor
1414. hunc in modum: *Interim non possum non aperte ingenueque fateri, quod omnino consultius fecissem, si ab aliorum scriptorum recensione prorsus abstinuissem. Ipse enim bene intelligo, quantum sit, quod ignorem. Plus vice simplici id fecisse me pœnituit.* Perplacet modestia & pœnitentiæ declaratio. Si quid forte in liticula illa peccavit Rev. Autor, illud copiose hoc Opere diligenter adornato obruit & obtexit. Si igitur is, quem denuo attingit & vellit, silentio sese involverit generoso, ac pœnitentiæ Pl. Rev. Autoris tædium suum ac respondendi sempiternam dilationem jungat, omnia sunt expedita, ac nil nisi communis utilitatis studium commune restabit. Vitæ certe summa brevis vetat nos litibus immorari, qui utiliora meditamur.

## *JO. JOACH. SCHROEDERI DISSERTAtio theologico-philologica de Urim ac Tymmim, in Pontificis Hebræorum pectorali positis.*

Marburgi, apud Phil. Casimir. Müllerum, 1744, 4.

Plag. 19.

Elegit Cl. Autor, Professor Theologiæ Extraordinarius, & Histor. Eccles. ac Lingu. Orient. Ordinarius, insigne argumentum pertractandum, in quo errores veterum pariter ac recentiorum indicantur & refutantur, vera sententia exponitur ac demonstratur, & varia Scripturæ S. loca solide vindicantur & explicantur, totumque adeo in clara luce collocatur. In *Præfatione* quæstionis de Urim & Tymmim momentum proponit, &, difficultatem, sed non insuperabilem, esse, monstrat. In duas autem libellum

libellum hunc partes divisit, & quidem primo in vocis utriusque etymologiam inquirit, ejusque significationem abstractam & appellativam, non res duas distinctas, sed unius rei duplicem significare modum considerandi, putat, scilicet *luces ac perfectiones*; dein, quid Pontificis *humerale* אפוד, & *pectorale* חשן, quod a R. Arab. حسن *hasona, pulcher fuit*, derivat, fuerint, exponit, & locum aliquem *Lev. V, 8*, illustrat. Porro opiniones longum sub examen vocat Talmudistarum, Rabbinorum, interpretum Christianorum, vel *Hugonis de S. Victore, Montani, Christophori a Castro, Spenceri*, illasque impugnat; omnes autem rejicit, versionis Græcæ Alexandrinæ constitutionem, mutationem, & corruptionem, asserit, simul de Teraphim, idolis, propudiis, a R. Chald. תרף, *turpis fuit*, disserit, non imagines licitas fuisse ostendens, ac locum *Hos. III, 4*, vindicans. Postea virorum quorundam doctissimorum conjecturas profert, & dissensus sui rationes indicat. Tandem sententiam suam, ceu veram, declarat, & multis argumentis probare contendit. Gemmas recte vocari Urim & Tymmim, *luces perfectas*, seu fulgidissimas & perfectissimas, per Hebraismum, & eorum natura aliisque rationibus docet, ac ad potiores dissentientium objectiones respondet. In *Parte posteriori* de ritu ac usu τῶν Urim & Tymmim, & sententia *Buxtorfii*, quam limitat ac restringit, disseritur, dein *Flavii Josephi* & aliorum ὁμοψήφων traditionem de ritu & usu fuse proponit, ac tandem triplicem eorum usum explicat. Loca Scripturæ S. quæ illustrare studuit, sunt inprimis *Exod. XXVIII, 30, XXXIX, 8 seq. Lev. VIII, 8, Num. XXVII, 21, Deut. XXXIII, 8, 1 Sam. XXVIII, 6, XXX, 7, Hos. III, 4*, &c. quæ evolvi, legi, ac perpendi, merentur.

## *MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum Scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.*

## *Voluminis II Pars IV.*

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium, 1744, 8.
Plag. 12.

In *Parte* hac *Voluminis II* postrema, quam Index claudit, varia leguntur. Scenam aperit *Jo. Dieterici Winckleri*, Prof. Hamburgensis, *de egregiis quibusdam gentilium Scriptorum testimoniis, varias religionis Christianæ veritates ex Theologia, tam dogmatica, quam morali, confirmantibus*, Ἐπίμετρον. Usum lectionis scriptorum, ad exteros & simulacrorum cultores referendorum, commendarunt Theologi, quos laudat Vir laudatissimus; damnarunt contra homines mentis fanaticæ ac emotæ; ac vaferrimus Imperator *Julianus* Christianis eo interdixit. *Lutherum* lectioni ei fuisse iniquiorem, fabula est *Ægidii Camardi* & *Claudii Fleurii*, dudum explosa. Nec ea in Apostolos cudenda est faba. Latet certe in vetustissimorum Poetarum scriptis multum primæ ultimæque veritatis. Insunt ceteris quoque scriptoribus, a vera religione aversis, rudera egregia, & rationi consentanea rectæ, & sacro Codici congruentia mirum in modum. Cautione tamen opus est, ne in eis cumulandis modum excedamus, vel pronuntiata illorum scriptorum sinistre interpretemur. Restant ex fontibus primis & ἐκ γνωστῶν τοῦ Θεοῦ tabulæ naufragorum apud veteres, e. g. doctrinæ, ad creationem, ad diluvium universale, & similia momenta, referendæ. Fama de legibus *Mosaicis* longe lateque inter eos fuit diffusa.
Pag. 583. An *Plato* & *Aristoteles* a Judæis susceperint dogmatum nonnihil, varie fuit disputatum. Hæc cum copiose Noster executus fuisset, ostendit, dogmatum, ad veram religionem perti-
586. nentium, rudera, ac morum præcepta, divinitus tradita, in scriptis eorum, qui a genuina Dei religione alieni exstiterunt, inveniri. Excipit hanc Mantissam Dissertatio *Petri Zornii* de פחד
611. יצחק, sive *Timore Isaaci, ad Gen. XXXI, 42, 53.* Chaldæi Deum vocarunt דחלא, *timorem*, eo quod est timendus. Φόβον τοῦ κυρίου eodem spectare *Act. IX, 31*, ipse sibi persuadet. Refert huc vocem מורא, *reverentiæ* indicem *Ps. LXXVI, 12.* Disquirit, quid sit ἀφόβως λατρεύειν Θεῷ *Luc. I, 74*, & quomodo
615. differat πνεῦμα δουλείας a spiritu, filium decente. Succedit *Jo. Christoph. Harenbergii* Observatio critica de כנים, *Insectis*,
617. *Ægyptum infestantibus, ad Exod. VIII, 21, 22, 29.* Alibi ea insecta vocantur

vocantur kinnam. Supereſt apud Ægyptios adhuc vox antiquiſſima *cnamus*, *namus*, quæ culices deſignat, obvia animantia circumvolantes, & mirum in modum pungentes, ac ſanguinis hauriendi avidos, non niſi tela ſubtili excludendos a lectis. *Thevenotum* & *Mailletum* Noſter laudat teſtes, quorum poſterior commendat domicilium hominis nocturnum ſublime, & cubiculum in excelſo conclavi ſitum. Frigidum enim aerem culices illi averſantur. Telam illam ſubtilem, lecto circumdatam, Ægyptii vocant *cnamuſié*, *namuſié*, Græci *κωνωπεῖον*, Latini *conopeum*. Cnamus ſunt Græcis *κνίφες*, *κώνωπες*, litera labiali pro more permutata. Addit Autor moleſtias culicum, & miraculum, *Exod. VIII, 21*, perſcriptum, exponit. Sequitur *Chriſtophori Saxii* Ἐπίκρισις Φιλολογική, ſive *Stricturæ, in nuperum Franci cujusdam libellum de Incerto hiſtoriæ Romanorum antiquiſſimæ. Sectio II continuata.* Diximus jam bis de hiſce Stricturis. In præſens oſtendit Noſter, quam mala fide Francus ex *Livio*, *Plutarcho*, aliiſque Romanorum ſcriptoribus, eat demonſtratum, Romanos vetuſtiſſimos ſua parcius negligentiusque ſcripſiſſe, & omnia periiſſe eorum monumenta. Pag. 621.
Multa veterum loca hic præclare vindicata, multa in illuſtrem conditionem collocata ſunt. De monumentis Romanorum & publicis & privatis Autor diſſerit cum cura. Illa fuiſſe tabularia, 628.
hæc tablina, dicta, oſtendit. Illa, cum urbe ipſa nata, in arce Capitolina & Saturni æde fuiſſe aſſervata, docet. A Gallis, Romam vaſtantibus, monumenta omnia fuiſſe exſtincta, ſolide negat. 630.
Ubinam, & quomodo, ea fuerint conſervata, præſtantiſſime exponit. Si cujus ea noſſe intereſt, eum oportet hanc hiſtoriæ Romanæ vetuſtiſſimæ facem lucemque propius oculis contrectare. Excipiunt limatiſſimam hanc Commentationem *Vocum aliquot Latinarum, quæ in Lexicis vulgaribus fruſtra quæruntur, ex priſcis Autoribus collectarum a Frid. Ottone Menckenio, Sectio ſecunda, iterum continuata.* En harum vocum 712.
recenſionem & agmen: *Hygra*, collyrium tollendis oculorum ſuffuſionibus aptum, *Idemmet Ennii*, *Illectrix Caſſiodori*, *Illemet Ciceronis*, *Illuſter Valerii Maximi*, *Impartire Livii*, *Ciceronis*, *Apuleji*, *Suetonii*, *Impermutabilis Caſſiodori*, *Imperpetuum*, pro non perpetuo, *Scribonii*, *Inæſtimabiliter Caſſiodori*,

Pag. 721. *dori*, *Inaurire*, id est, vim & facultatem audiendi tribuere, *Lactantii*, ac in sensu audiendi tritum *Hilario* vocabulum. *Inauritum*, id est, quod auribus caret, vox *Gellii* est. Pingue quiddam sonant hæc *Cassiodori*, *Incentivum*, & *Incorrigibilis*.
723. *Increbesco* æque Romanorum est ac *Increbresco*. Vox *Indeclinabiliter* prodit denuo *Cassiodorum*. *Influvium*, quod frustra in *profluvium* convertitur, vox est *Velleji Paterculi II*, 120, no-
727. tans fluxum vehementem & insolitum. *Influxionem* habet *Cælius Aurelianus*, Medicus vetusti ævi. *Inimicam* esse substantivum, ex *Ovidio*, *Plauto*, *Seneca*, & *Tullio*, perspicere licet. *Inoletam consuetudinem* pro inveterata *Cassiodorus* habet, cujus præterea est vox *insensibiliter*. *Insulanus* est Sub-
731. stantivum, præeunte *Cicerone*. *Interæstimatio* vox est *Pomponii*, JCti, in *l. pen. ff. de Ædilit. Edicto*, ubi vulgo legitur *in æstimationem*. *Interemtus* pro cæde est in verbis Autoris ve-
734. tusti argumentorum, fabulis *Ovidianis* præmissorum. *Isis* fuit antiquis emplastri genus. Universa hæc vocabula orant Lexicographos, ne committant, ut ipsa in perpetuum ab officinis mercium Latinæ linguæ excludantur, vel memoriam hominum in futurum omne tempus fugiant. Errantibus hisce vo-
736. culis subjuncta est *C. A. H. Appendicula* ad *Tomi I Nov. Misc. Lips. Obs. V pag. 310.* Docet hic Vir præstantissimus, *Observationum Halensium decimam quintam*, quæ est *de vita, morte, & scriptis, Hug. Grotii*, autorem esse *Jo. Gerhardum Meuschenium*, nuper demortuum, teste scriptorum catalogo, quem Director Coburgensis Gymnasii adjunxit ei Programmati, quo funus viri olim celeberrimi ac πολυμαθεστάτε indixit. Hæc sunt summa eorum capita, quæ hac *Parte* comprehenduntur. Judicium de eis erudito orbi & elegantiarum, Romanarum præcipue, cultoribus, rationibus haud unis commoti, relinquimus integrum & inviolatum.

Sammlung verschiedener Casuum &c.
id est,

*COLLECTIO DIVERSORUM CASUUM MEDICO-Chirurgico-Forensium, cum annotationibus utilioribus edita a LUDOVICO PARMENIONE.*

Ulmæ,

Ulmæ, sumtibus Danielis Bartholomæi & filii, 1742, 8. Plag. 11½.

Autor noster e re Medicorum fore existimavit, si & suas observationes forenses in publicos usus divulgaret. Sola hæc fuit ratio, quod, cum semel jam data occasione elaboratæ mandatæque fuerint literis, easdem in pluteo retinendas non putarit, cum alias nec argumentorum selectu & raritate, nec tractationis soliditate ac robore, nec dicendi etiam concinnitate, in tanta ejusmodi casuum copia, adeo necessariæ editu, & luce publica dignæ, videantur. Satis nobis erit, indicem dare casuum, ut, si quis Lectorum de alio atque alio certior fieri cupiat, mox, quid in eo quærendum sit, uno conspectu cognoscat. Sistitur itaque casu 1) inspectio cadaveris gravidæ mulieris, repente denatæ cum suspicione veneni; 2) inspectio cadaveris ex sumto Arsenico defunctæ mulieris; 3) inspectio cadaveris potionati, cum renuntiatione medico-chirurgica; 4) inspectio cadaveris potionati, cum desuper facta depositione; 5) inspectio cadaveris beneficio functi, cum depositione medico-chirurgica; 6) in causa intoxicationis *Magdalenæ* depositiones medicæ; 7) Agrorum & pascuorum intoxicatio per arsenicum; 8) Responsum medicum ad quæstionem de habitudine rationis, an & in quantum a statu sano recedat, in juvene ob bestialitatem Sodomiticam suspecto; 9) de juramento in cadaverum inspectione, & desuper insinuanda depositione, nec semper, nec facile, decernenda; 10) Relatio medico-chirurgica de pectoris & pulmonis vulnere; 11) de infanticidio; 12) de infanticidio, cum ventilatione quæstionis, num sit necessarium, extrahere secundinas mox post partum; 13) de capitis vulnere; 14) partus undecimestris non legitimus; 15) sectio cadaveris, læsione capitis defuncti; 16) an mulier fluentibus mensibus possit concipere, & an partus undecimestris sit legitimus; 17) examen concitati abortus; 18) de tempore animationis fœtus, an liceat abortum promovere primis mensibus; 19) de infante quatuor mensium, an vivere & lactare queat; 20) Depositio medico-chirurgica in causa infascinationis; 21) Judicium medicum super phthiriasi infantis a prætenso fascino; 22) de cadavere ante decem dies sine loculo

sepulto,

sepulto, a Medico non inspiciendo; 23) Relatio medico-chirurgica de luxatione vertebrarum spinæ dorsi ad interiora; 24) Responsum medicum ad quæstionem: An Hernia sit recens, vel inveterata; 25) An novitius cum defectu alterius testiculi in monasterium admitti queat.

## IL FINTO AMICO DISCOPERTO, &c.

hoc est,

*SIMULATUS AMICUS DETECTUS; RESPONSIO apologetica D. TH. JOSEPHI DI MICELI, Abbatis S. Dominicæ Montis Dei, Protonot. Apost. & Confessionarii ordinarii Monachorum Panormi in patria, qua ostenditur, quanto damno sit Excell. Domino Archiepiscopo Panormitano responsum Autoris incogniti, formis publicis Romæ A. 1719 descriptum. Contra privilegia Monasterii S. Rosaliæ Monachorum Cassinensium, in favorem abusuum Parochi S. Joannis li Tartari. Integritati & justitiæ Excell. & Reverendiss. Domino Archiepiscopo Panormitano, D. DOMINICO ROSSO.*

Patavii, 1741, 4.

Alph. 1.

Pro Monasterio S. *Rosaliæ* Ven. Autor jam A. 1719 edidit scriptum, cui præfixa fuit Inscriptio: *Discorso Apologetico*, ac illud *Clementi XI*, P. M. tradidit consecratum. Opposuerunt huic monumento illi, quorum intererat, nonnihil per confutatorem suum. Denuo igitur in aciem prodit disputator, monasterium sibi olim demandatum tutaturus. Historia Canonum, & Ordinis Benedictini notitia, paginam hic facit utramque. Scripto huic apologetico duæ sunt *Partes*. *Prior* complectitur *Capita octo*; *posterior* continet *tria*. Cardo rei in eo vertitur, ut Autor manibus pedibusque laboret, ne quis existimet, monasterium S. *Rosaliæ* Monacharum Observantium Benedictinarum urbis Panormi obnoxium esse jurisdictioni Parochorum S. *Joannis de Tartari*, sed ut intelligatur, id sanctæ Sedi citra interventum esse subje-
Pag. 35. ctum, ejusque nomine Regi ac Archiepiscopo Panormi. Egregie solideque inter alia comprobavit, virgines Deo sacras, easque Ordinario subjectas, privilegiis Ordinis sui gaudere. Nec oblitus fuit bullatarum *Martini IV* literarum, qui primus religiosis Benedictinis facultatem impertivit administrandi unctionem extremam eis, qui in-
81. tra monasterii septa commorantur. Docere conatur, virgines sacras omnes Benedictinas penitus ab Episcopali jurisdictione esse exemtas & immunes. Nihil certe omittit in medium afferre, quod S. *Rosaliæ* monasterio, ejusque juribus, potest prodesse.

# INDEX AUTORUM,

## quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur.

## I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

## II. *Libri Juridici.*



## III. *Libri Medici & Physici.*

Valca-

## IV. *Libri Mathematici.*



## V. *Libri Historici, Geographici, Chronologici, Genealogici, &c.*

Papillonii

## VI. *Libri Philosophici & Miscellanei.*

# INDEX
## RERUM NOTABILIORUM.

### A.

Bibliothecæ

Curva,

E. Ecli-

E.



F.

G.



H.

Jureti

Martenii

De Mœl-

Numi

Pontificis

# INDEX



*Eph.*

Siberi

Theolo-

Errores operarum hi sunt emendandi: *Pag.* 3 *lin.* 22 pro *Quas* legendum *Qua-*; *Pag.* 114 *lin. penult.* pro *numeavit* leg. *numeravit*; *pag.* 161 *lin. penult.* pro *Majooris* leg. *Majoris*; *pag.* 208 *lin.* 22 pro *amorem* leg. *errorem*; *pag.* 626 *lin.* 33 pro *Joannis* leg. *Jacobi*; *pag.* 690 *lin.* 30 pro *reticuio* leg. *reticulo.*



Digitized by Google